



DE

MATRIMONIO

CHRISTIANO.

Déposé en Belgique et en France.

DE

MATRIMONIO

CHRISTIANO

LIBRI TRES

AUCTORE IO. PERRONE E SOC. IESU,

IN COLL. ROM. GEN. STUDIORUM PRAEFECTO.

EDITIO LEODIENSIS, AB AUCTORE RECOGNITA ET EMENDATA,
ET LOCUPL. INDICE AUCTA.

TOMUS TERTIUS.

ALMA COLLEGE
ST. JOSEPH CHURCH
LIBRARY
Alma, California
ALMA COLLEGE
234.7
LIBRARY
P429
Alma, California

LEODII,

SUMPTIBUS ET TYPIS H. DESSAIN,
CANCELL. EPISCOP. TYPOGRAPHI.

MDCCCLXI.

2[illegible]

[illegible]

DE

MATRIMONIO CHRISTIANO.

LIBER TERTIUS

DE

UNITATE AC INDISSOLUBILITATE MATRIMONII CHRISTIANI.

STATUS QUAESTIONIS ET PARTITIO.

Cum duae vulgo recenseantur coniugii christiani proprietates, unitas videlicet atque indissolubilitas, et earum unaquaeque graves complectatur quaestiones, singillatim expendendae sunt. Quapropter in duas sectiones hunc librum distinguemus ad absolvendum, quod nobis proposuimus, argumentum; quarum altera erit de unitate, altera de indissolubilitate.

Licet vero de utraque hac proprietate in tractatu de matrimonio egerimus, tamen quod nonnisi breviter strictimque, prout Praelectionum indoles postulat, ibi fecimus, fusius pleniusque hic pro rei gravitate pertractare constituimus, ne quid deesse ad uberiorem rei cognitionem videatur.

SECTIO PRIMA

DE MATRIMONII CHRISTIANI UNITATE.

Matrimonii unitas in unius cum una individuae societatis coniunctione consistit, eaque sub duplici potest ratione spectari; aut quatenus individuam eiusmodi societatis consuetudinem servat cum unico coniuge, quin novas ineat altero defuncto

coniuge nuptias, aut quatenus alterutro vita functo eamdem cum altero societatem instaurat. Sub primo respectu habetur monogamia perfecta, sub altero monogamia imperfecta.

Huic unitati tum perfectae, tum etiam imperfectae adversatur polygamia simultanea seu uxorum pluralitas uno eodemque tempore, nec non polyandria, quae habetur, cum mulier pluribus simul adhaeret viris. Unitas imperfecta, quae exurgit ex iteratione coniugii alterutro coniuge defuncto, vulgo polygamiae aut polyandriae successivae nomine designari consuevit. Quo fit, ut passim theologi bifariam distinguant polygamiam et polyandriam, in simultaneam videlicet et in successivam.

Polygamiae vox usurpari solet ad significandam plurium uxorum cum uno viro coniunctionem. At proprie polygamia vox est generica, quae multiplicitatem significat nuptiarum, cuius veluti species sunt polyandria et polygynia. Duplex itaque est polygamiae significatio, altera generica, altera vero specifica, quae aequipollet polygyniae. Nos a communi loquendi ratione nullatenus recedemus.

Ut itaque, quidquid de unitate christiani matrimonii dicendum est, complectamur, in duo capita primam hanc sectionem partiemur, ac prius de simultanea, deinde de successiva polygamia disputabimus.

Quod ad simultaneam attinet polygamiam, vix ulla occurrit quaestio, si sermo sit de pluralitate virorum seu de polyandria: breviter itaque eius foeditatem, solo etiam inspecto naturae iure, ostendemus. Si vero sermo sit de pluralitate uxorum seu de polygynia, quae, ut diximus, polygamia appellari solet, multiplex erit quaestio expendenda: num scilicet ea primariae naturae legi ita refragetur, ut sit intrinsece mala ac semper illicita; an vero solum quadantenus naturae legi adversetur, illique potius minus conformis quam ab ea prorsus difformis dicenda sit; an ea divino iure etiam ante Evangelium vetita fuerit, adeo ut sine divina dispensatione frequentari licite nunquam potuerit; an denique in lege evangelica sit omnino abo-

lita, adeo ut unitas censeri debeat prima christiani matrimonii proprietas.

Quod vero spectat ad polygamiam successivam, ea quamvis unitati christiani matrimonii non adversetur, eius tamen perfectioni minus congruit. Hinc Ecclesia secundas ulterioresque nuptias semper quidem habuit ut validas atque legitimas, at simul erga eas disciplinam plus minusve severam adhibuit : nostri itaque muneris erit Ecclesiae hac de re doctrinam disciplinamque illustrare.

Ita porro si pro viribus quaestionibus satisfecerimus, quas de polygamia simultanea ac successiva indicavimus, eo ipso prima christiani matrimonii proprietas, nempe unitas, illustrabitur et vindicabitur.

CAPUT I.

De polygamia simultanea.

Articulus I. — Non solum christiani Matrimonii unitati, sed ipsi Matrimonii notioni, spectato etiam solo iurae naturae, directe opponitur polyandria et uxorum communio.

Vix olim de polyandria a theologis disserebatur : at plerumque penes omnes uti ratum fixumque assumebatur, eam abominandam turpitudinem prae se ferre. Attamen nunc cogimur ipsam adoriri, postquam pessimi homines doctrinam de polyandria foede invexerunt. Sansimonieni proclamarunt veluti principium fundamentale *communitatem foeminarum*, ac *foeminae emancipationem*, *foeminam liberam* (1). Fourieristae ac Pha-

(1) Ita Louis Blanc in *Histoire de dix ans*. Paris 1842. tom II. pag. 269. ubi scribit : « Les Saints-Simoniens ébranlaient dans le *Globe* toutes les vieilles » bases de l'ordre social... que le mariage, législation de l'adultère fît place à la souveraineté des penchants et à l'émancipation du plaisir. » Enfantin, unus ex praecipuis huius sectae propagatoribus, iam an. 1851. promovebat *rehabilitationem carnis* per *foeminam liberam*. Id ipsum postea praestitit Proudhon an. 1846. Cf. op. *Le communisme et ses causes*. Avignon 1848. prém. part. pag. 19 seqq.

lansteristae commendarunt communitatem, cuius membra promiscue degerent in eadem domo, viverentque in communi sub unica *capacitatis lege*, *harmoniarum et affectionum* (2): et ita porro docere non sunt veriti Icariani, atque communistae caeteri, quorum pestis nunc longe lateque societatem depopulatur.

Isti a suis cineribus exsuscitarunt quidquid foedi et obscoeni antiqui docuere philosophi; Plato praesertim, divinus nempe ille Plato, qui in sua chimaerica republica communitatem pariter foeminarum constituerat (3); quidquid cynismus ethnicus, gnosticismus orientalis effutierat, quidquid demum latrocinium Albigense media aetate, atque anabaptistae impuri excogitarunt.

Quamvis porro nemo istorum aperte conceptisque verbis polyandriae theorice patrocinium susceperit, practice tamen eam omnes admittunt ac profitentur, eamque propensionibus humanis valde congruentem adstruunt sub *communismi foeminei* denominatione, ita ut possit foemina unaquaeque tot viris se coniungere, quot ipsi bonum visum fuerit.

Ex protestantibus Thomasius polyandriam *aliquo modo* illicitam prius pronunciavit (4); postea vero eam *ex regulis decori*

(2) Ita Victor Considérant: *Exposition du système phalanstérien de Fourier* pag. 72. et pag. 98. « La famille pour eux, inquit, n'est qu'une simple réu- » nion de reproduction; et le premier élément social, c'est le phalanstère ou » la commune; 1200 personnes au moins habitant dans une même maison et » y vivent en commun *sans concurrence* sous la seule loi de la capacité, des » harmonies et des attraits.... Ils n'ont (les hommes) que l'embarras du choix.» Et in op. *Théorie des quatre mouvements* an. 1840. pag. 146. « Une femme, » scribit, peut avoir à la fois 1. un époux dont elle a deux enfants; 2. un gé- » niteur, dont elle n'a qu'un enfant; 3. un favori, qui a vécu avec elle et qui » a conservé ce titre; plus de simples possesseurs, qui ne sont rien devant » la loi. »

(3) Lib. V. *De republica* cuius verba in primo libro descripsimus.

(4) *Iurisprud. divin.* lib. III. c. 2. n. 206 seqq. Num. vero 211. haec habet: « Polyviriam infimum gradum licentiae obtinere, et prohibitioni propiorem » esse quam praecepto. » Quasi vero non esset absolute ac natura sua prohi- » bita.

et honesti reiicit (5). Ast, ut optime observat Schwartz, reiicere potius *ex regulis iusti* debuisset (6).

Iam vero polyandriam non minus divino iuri, quam naturali ac sociali adversari vix probatione indigere videtur.

Etenim quod attinet ad ius divinum, exinde constat, quod nuspiam ac nunquam in sacris litteris polyandriae exemplum ullum afferatur, licet habeantur, ut videbimus, exempla polygamiae. Quinimo Apostolus absolute pronunciat: « Mulier, vi- » vente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, (7). » Excludit proinde quamvis cum pluribus viris mulieris legitimam coniunctionem.

De iure naturali non est pariter quod multa dicamus, cum pateat polyandriam repugnare primario coniugii fini. Siquidem finis primarius coniugii est procreatio prolis, prout omnes fere admittunt (8), eiusque recta institutio non minus moralis quam physica. Huic autem fini aperte opponitur polyandria, cum per plurium virorum congressum hebetetur mulieris foecunditas (9), et incerta reddatur proles, adeoque incerta etiam patris ad eam educandam obligatio. Cum igitur fini primario ac essentiali matrimonii repugnet polyandria, nullum superesse dubium potest eam naturali iuri penitus adversari.

Sed repugnat etiam polyandria fini matrimonii secundario, cuiusmodi est remedium concupiscentiae. Etenim non tam remedium concupiscentiae, quam fomentum ac irritamentum est

(5) In *Fundament. iuris natur.* lib. III. c. 2. n. 36.

(6) *Instit. iur. publ. univers. nat. et gentium.* Venet. 1760. p. II. tit. I. *De statu hominis adventitio.* Resp. IV. pag. 13.

(7) Rom. VII. 3.

(8) Dixi *fere omnes* admittunt: nam non defuerunt, qui his ferme annis id inficiati sint autumantes primarium coniugii finem in mutua constituendum esse amicitia et societate. Attamen communis theologorum sententia, S. Thoma praeeunte, constanter fuit finem praecipuum matrimonii esse generis humani, adeoque prolis, propagationem et procreationem.

(9) Cf. Debreyne *Essai sur la théologie morale.* Paris 1845. III. part. §. 3. ubi inter caetera scribit: « On compte en général, dit Marc, que deux cents femmes prostituées ne produisent que deux ou trois enfants par an. » p. 221.

mulier pluribus simul viris coniuncta, cum non valeat iis omnibus debitum reddere, ut ex ipsis physiologiae legibus deprahenditur, ex qua novimus id in valetudinis detrimentum cedere (10). Insuper imperii maritalis natura repellit virorum multiplicitatem. In una enim eademque uxore divisum foret eiusmodi imperium, quod sibi viri conditio vindicat, utpote firmiori prae foemina ingenio, iudicio, ac robore praecellentis, atque ad regendum ordinati; per polyandriam fieret, ut una eademque mulier plures simul dominos haberet, quorum nullus eam in solidum possideret.

Exinde factum est, ut apud nullas gentes, ne dum excultas, sed neque apud barbaras atque sylvestres unquam presse sumpta polyandria obtinuerit. Dixi *presse sumpta;* nec enim inficiamur fieri potuisse, aut etiam reapse aliquando contigisse, ut unica mulier pluribus simul fuerit addicta viris; ast eiusmodi congressus matrimonii nomine cohonestati non sunt, sed effraeni libidini potius atque *corruptelae apertae* tributi (11).

Immo vero et illud animadvertimus, pluralitatem virorum quoad unam eamdemque uxorem, fuisse veluti indirectum alterius sive doctrinae sive praxeos perversae consectarium de com-

(10) Cf. Debreyne loc. cit.

(11) Prout adnotat Puffendorfius lib. VI. *De iur. nat. et gent.* c. I. §. 15. qui etsi plurium populorum exempla proferat, tamen fatetur *apertam corrupteIam* fuisse, adiiciens: « Enim vero, quin haec omnia iuri naturali repugnent, » dubitare fas non est. » Quinimo Thomasius op. cit. lib. III. c. 2. n. 36. scripsit: « Dubitandum esse homini, genuinis verae historiae fundamentis » imbuto, » utrum extiterit mos, de quo disserimus, apud populos a Puffendorfio commemoratos. Attamen vix dubitari posse videtur apud nonnullos tunpem eiusmodi obtinuisse corruptelam, ut apud Agathyrsos, de quibus loquitur Herodotus *Histor.* lib. IV. n 104. adiiciens huius moris causas fuisse, ut veluti consanguinei omnes sine odio et livore vitam degerent. Idem refert de Nasamonis, ac de Massagetis cap. 172. Sic eiusmodi polyandriam in Britannia olim obtinuisse testatur Iulius Caesar lib. IV. c. 10. *De bello Gallico* scribens: « Uxores habent deni duodenique inter se communes. » Bardesanes apud Eusebium *Praeparat evangel.* lib. VI. c. 10. idem refert. De Malabaribus et Ceylanensibus ut una uxor pluribus (ad sex usque) nubat fratribus narratur; uti et de Calecutianis refert Bzovius ad an. chr. 1847. n. XI. aliique. Cf. I. A. Fabricium in *Bibliographia antiquar.* c. XX. n. XI.

munitate uxorum, quam Stoici cum Platone effutierunt, non autem principium directum ac si polyandria per se probaretur. Eiusmodi vero uxorum communionem ideo illi sapientium propriam existimarunt, quod omnes Patrum instar acqua charitate et amore sobolem prosequi deberent in chimaerica, quam excogitarunt, republica (12). Hac etiam de causa Spartani, Licurgo et Solone magistris, convenientem quibusdam in casibus natu-

(12) Ita quidem interlocutores apud Platonem in cit. loc. De republica. Quandoquidem autem litteratorum plerique non desinunt Platonem eiusque confictam rempublicam extollere et admirari, non abs re erit iudicium proferre, quod de eodem tulit D. Iafferson in suis *Mélanges politiques, et philosophiques* tom. II. pag. 257. « Je me suis amusé à lire sérieusement *la Répu-*
» *blique de Platon*. J'ai grand tort, à vrai dire, d'appeler cela un amusement.
» car c'est bien une des plus lourdes tâches que j'aie jamais accomplies. Il m'é-
» tait arrivé d'avoir par occasion quelques-uns de ces autres ouvrages; mais
» j'avais eu bien rarement la patience d'aller jusqu'à la fin d'un dialogue. Tout
» en surmontant, cette fois, la fatigue que me causaient les bizarries, les
» puérilités, et l'inintellígible jargon de ce livre, il m'est arrivé souvent de
» le fermer, pour me demander comment il avait pu se faire que le monde
» se fût si longtemps accordé à soutenir la réputation d'un verbiage aussi dé-
» pourvu de sens...

» L'éducation est le plus habituellement confiée à des hommes intéressés à
» soutenir la réputation et les rèves de Platon... Si l'on soumet Platon au ju
» gement de la raison, et qu'on lui ôte ses sophismes, ses futilités, et tout
» ce qu'il a écrit d'incompréhensible, que restera-t-il? En vérité il faut le ran-
» ger dans la famille des purs sophistes, et s'il a échappé à l'oubli qui a fait
» justice de ses confrères, c'est grâce à l'élégance de sa diction, et surtout à
» l'incorporation de ses chimères dans la construction du système du christia-
» nisme artificiel. Son esprit nuageux présente les objets comme à travers un
» brouillard, qui ne les laisse voir qu'à demi, et ne permet de préciser ni
» leurs dimensions, ni leurs formes; et cependant ce qui devait le condamner
» de bonne heure à l'oubli, est justement ce qui lui a procuré cette immorta-
» lité de renommée et de vénération.

» Il est heureux pour nous, subdit; que le républicanisme de Platon n'ait
» pas obtenu la même faveur que son christianisme, sans quoi nous vivrions
» tous aujourd'hui, hommes, femmes et enfants, pêle-mêle comme des bru
» tes. - Malgré cela, Platon est un grand philosophe, disait la Fontaine. - Mais,
» lui répondait Fontenelle, trouvez-vous ses idées bien claires? - Oh! non,
» il est d'une impénétrable obscurité. - Ne le trouvez-vous pas rempli de con-
» tradictions? Certainement, répliqua la Fontaine, ce n'est qu'un sophiste.
» Et cependant, quelques instants après, il s'écriait encore. - Oh! Platon est
» un grand philosophe! »

rali legi, et civili bono consentaneam habuerunt uxorum communitatem, prout et nonnullis Romanis persuasum fuisse saltem quoad commodationem uxorum, testatur Plutarchus (13).

Patet igitur verissimum esse, quod affirmavimus, polyandriam in germana sua significatione acceptam nusquam, theoretice saltem, directe obtinuisse, sed solum indirecte ex praepostera penes aliquot consuetudine inductam de communione uxorum, aut ex chimaerica nonnullorum ethnicorum philosophorum circa eamdem rem doctrinam, quae fortasse nunquam in praxin ab iis ipsis in societatem traducta fuit, sed intra theoreticae speculationis ambitus unice constitit. Adeo verum est communi hominum sensu tanquam a natura abhorrentem polyandriam habitam fuisse.

Nec obstat quod nonnulli censuerint, polyandriam non repugnare fini primario in hypothesi, quod maritus primus sterilis foret, praesertim si unica mulier superstes fuerit cum sterili marito; aut in hypothesi quod per *speciale pactum* matrimonii usus concessus non essei pluribus nisi in annos successivos, aut denique in hypothesi divinae dispensationis, quam Sanchez supponit (14). In quibus casibus polyandria primario fini matrimonii haud videretur adversari.

Siquidem huiusmodi omnes hypotheses stultae ac fictitiae sunt, ac nullo modo constituta principia quatere possunt; neque enim nos de imaginaria aliqua hypothesi disserimus, sed de rerum natura, iuxta quam polyandriam naturali iuri repugnare affirmavimus. Quapropter si primus maritus esset sterilis, quin novum superinducat uxor maritum, prole carere debet. Quod si unica, ut fingitur, in universo hominum genere mulier superstes coniugali foedere cum sterili marito consociata remanserit, argumentum foret mundi finem advenisse, aut ut nonnulli censent, mariti sterilitas foret hoc in casu impedimentum dirimens, adeoque ob maius bonum conservandae humanae speciei,

(13) In Numa pag. 62. et in Catone p. 771. ed. Paris. 1624.
(14) Lib. VII. disp. 80. n. 5.

priori marito dimisso, posset alterum ducere (15). Quod ad alteram spectat hypothesim de speciali pacto, non satis per illud consuleretur prolis certitudini, neque idcirco debitae educationi, *ordinaria* saltem *ratione* in contractu illo successivo, ut alia silentio praetereamus. Similiter relate ad hypothesim divinae dispensationis, quidquid demum sit de singulari Sanchezii sententia, quam non ignobiles auctores falsam reputant, certe vel ipse fatetur *communiter* illam reiici, eo quod sit *contra prima naturae principia*, ut loquitur S. Thomas (16). Ast non est quod ulterius in otiosis eiusmodi hypothesibus excutiendis versemur.

His igitur dimissis, ut revertamur ad id, unde discessimus, vel ipsi recentiores communistae ac Sansimoniani locupletissimi testes sunt cum notione coniugii polyandriam non posse consistere. Nec enim ipsi directe propugnant polyandriam, sed potius eliminant ac destruunt ipsam coniugii notionem, dum proclamant uxorum communionem seu potius mulierum, quas solutas vellent a quavis matrimonii servitute. In istorum systemate coniugale vinculum est *servitus* respectu foeminae, quam ipsi emancipare contendunt, ut *liberam* faciant; siquidem iuxta ipsos leges connubii iugum constituunt intolerabile, atque penitus disrumpendum; volunt utique *familiam*, at familiae nomine significant coetum illius communitatis peculiaris, in qua pecudum more vivitur, seu verius voluptatibus omnibus indulgetur.

Iam vero eiusmodi sectas, seu potius perversos homines in hac sentiendi agendique ratione simul iuri divino ac naturali omnino adversari, praeter ea quae diximus, facile evincitur ex

(15) Cf. Shwarz op. et loc. cit.

Hanc eamdem difficultatem sibi proposuerat Bellarminus *De matrim.* cap. XI., responditque nullum esse periculum ut talis casus accidat. Deo enim curae est providentia generis humani. Alioqui etiam quaerere possemus num deberet pater filiam uxorem ducere, aut filius matrem, si nulli alii inter homines superessent. Demum et ipse in eiusmodi hypothesi recurrit ad solutionem prioris coniugii.

(16) In 4. Sent. d. 33. q. 1. art. 1. ad 7.

eo quod moralitatis ac sanae ethices leges proculcent, omnes veterum haereticorum abominationes renovent, adeoque publicae honestati probro ac dedecori sint; denique mulieris cuius emancipationem ac libertatem iactant veram nativamque dignitatem deiiciant.

Quae quidem singillatim sic breviter evolvimus : ac primo quidem eiusmodi homines proculcare omnes sanae ethices leges exinde constat, quod receptas omnibusque insitas moralitatis notiones penitus pessumdent, iuxta quas sexuum commixtio non ad explendam libidinem ordinata est, sed est legitima coniunctio quibusdam certis devincta legibus prolis suscipiendae educandaeque causa, qui finis extra coniugalem societatem rite obtineri nequit. Quare apud omnes omnino gentes vel ab ipsis humani generis primordiis coniugii societatem in eum finem institutam ac receptam novimus. Licet vero nonnullae gentes ad tempus aberraverint ab eiusmodi institutione falsis permotae principiis, cuiusmodi fuisse diximus Spartiatarum gentem, ea tamen sentiendi agendique ratio spectata fuit a populis reliquis veluti deviatio quaedam a connubialibus institutis, et improbata, ut deviationes aliae a naturae lege, cuiusmodi fuerunt furta, parentum aetate fatiscentium interceptio, atque id genus plurima (17), quae certe a moralitatis norma foede aberrabant. Promiscua igitur illa ac coeca foeminarum communio, quam isti suadere ac propugnare connituntur, a communi honestoque hominum sensu ac instituto universim recepto maxime abhorret, qui eam quovis tempore damnarunt ac detestati sunt.

Praeterea Sansimonianos, ac generatim communistas veterum haereticorum abominationes renovare, historiae haereseon earumque cum theoriis et praxi recentiorum comparatio luculenter ostendit. Notum est plerasque priorum seculorum haereses, gnosticorum praesertim, inde ortas fuisse, quod ethni-

(17) De quibus Plutarchus in *Licurgo,* aliique passim Cf. Brenna *De generis humani consensu in agnoscenda divinitate.* Florentiae 1773. tom. I. part. alt. cap. 7 et seqq. Nonnulla et nos de his attigimus in tract. *De vera religione* cap. II. *De necess. revelat.* prop. I seqq.

cismum cum christiana religione coniungere immo et commiscere perversi homines sategerint, adeoque paganismi sordes in christiana castra inferre. Qui vero illis successerunt haeretici eadem placita, quae cupiditatibus explendis absque verecundia idonea forent, adoptarunt. Istorumque soboles ac successio diversis sub nominibus diversisque impietatis formis nunquam ad haec usque tempora desiit, donec omni disrupto aggere sec. XIX. longe lateque communistarum doctrina tanquam foeda colluvies exundavit. Sansimoniani et communistae suos habent seque dignos parentes, nullaque foeditas est a prioribus excogitata, quam non adoptaverint, propagaverintque recentiores, aut etiam superaverint.

Sane istorum omnium agmen duxit alter pariter Simon cognomento Magus, qui ut auctor novae sectae aggressus est *liberationem* cuiusdam Helenae prostitutae foeminae, quam in prostibulo invenit; eam emit, se ipsum *virtutem Dei* altissimi proclamavit, Helenam vero *matrem* fecit spirituum sive aeonum, qui deinde mundum condiderunt (18), et carnis libertatem induxit.

Hunc proxime secutus est Menander, qui pariter carnis propugnavit libertatem, stupra, fornicationes, adulteria operibus meritoriis adscribens (19).

Verum prae caeteris Carpocrates eiusque discipuli Carpocratiani eminuerunt, qui inter praecipuos novae ipsorum doctrinae articulos posuerunt, *uxores oportere esse communes* (20).

Adamitae sec. Ecclesiae secundo in omnem turpitudinem effusi apostoli quoque fuerunt eiusdem carnis libertatis ac muliebris licentiae (21).

Marcus eiusdem seculi haeresiarcha gnosticus Marcosianorum

(18) Cf. S. Irenaeum *Contra haeres.* lib. I. c. 23. ed. Massuet.

(19) Ibid. n. 5. Cf. etiam Eusebium *Hist. Eccles.* lib. III. c. 26. S. Epiphan. Haeres. XXII. ed. Petav.

(20) Cf. Clement. Alex. *Stromat.* lib. III. ed. Paris. 1641. pag. 428. Item S. Epiphan. *Haeres.* XXVII. n. 5.

(21) De his scribit Clem. Alex. lib. III. *Strom.* pag. 437. item Theodoretus *Haeret. fabul.* lib. I. c. 6. *De Prodico;* S. Epiphan. *Haeres.* LII.

parens non alia se ratione gessit erga mulieres, quas decipiebat, ipsis pollicens prophetiae donum, earumque se non minus pudicitiae proditorem, quam divitiarum, si quas habebant, expilatorem exhibuit (22).

Praetermissis vero Montanistis sec. III. a Montano qui se Paracletum seu Spiritum Sanctum venditabat, originem habentibus, Priscillae et Maximillae pseudoprophetissarum illecebris captis, mulieres pariter extollentibus ac decipientibus (23), Artotyritae seu Pepuziani, aequalitatem virorum ac mulierum propugnabant, mulieres in libertatem asserebant, ac iniquum asserebant illas sub virorum potestate detinere; hinc mulieres etiam in episcopissas ac sacerdotissas consecrabant (24).

Non minus, imo magis insaniebant eodem tempore Antitacti, qui lascivias omnimodas inter officia moralia recensebant, eo quod opponerentur legi Mosis, quae utpote mala abrogata fuerat, ac operam omnem conferebant, ut sese *malo* opponerent (25).

Taceo de manichaeis, qui dum nuptias tanquam malas atque a malo principio promanantes damnabant, incredibili libidine suis in conventibus diffluebant (26).

(22) De quibus fuse agit S. Irenaeus lib. I. c. 13. et S. Epiphan. *Haeres.* XXIV.

(23) Sic enim Montanum severe interpellabat Apollonius : « Dic mihi, pro» pheta ne comam coloribus tingit? Propheta ne sumptuose et vestitu splen» dido ornatus incedit? Propheta ne tabulis ac tesseris ludit? Propheta ne » foenus exercet? Ista vero mihi fateantur et dicant, utrum liceat usurpare » aut contra. Ego certe haec apud illas (prophetissas) factitata perfacile » ostendam. » Apud Euseb. *Hist. Eccl.* lib. V. c. 17.

(24) Cf. S. Epiphan. *Haeres.* XLIX.

(25) Cf. Clement. Alex. *Strom.* lib. III. ed. cit. pag. 431. et 452. Theodoretum *Haeretic. fabular.* lib. I. cap. XVI.

(26) Vid. S. Epiphan. *Haeres.* LXXVI. S. August. lib. *De haeresib.* cap. XLVI. Perperam vero Beausobre in sua *Histoire critique de Manichéé et du manichéisme* adnisus est eos a turpitudinibus istis liberare, ac nuper refutatur a Matter in *Hist. de l'église chrét.* tom. I. pag. 373.

Caeterum de his primitivis haereticis copiose et erudite scripserunt Massuetus in *Dissertat. praeviis in lib. S. Irenaei dissert. I. De haereticis, eorumque actibus, scriptis et doctrina.* Card. Laurent. Cozza in *Commentar. Historico-dogmaticis in librum S. Augustini de haeresibus*, duo vol. in-fol. Romae 1707.

Eiusmodi porro doctrinae et abominationes, quae diu Ecclesiam afflixerunt, ac probrum christiano nomini, ipsisque ethnicis scandalum crearunt, instauratae sunt aetate media a sectis illius temporis non minori dedecore. Etenim Picardi sec. XII. solos se in universa terra *liberos* esse iactabant, caeteros vero servos, eo quod verecundiores corporis partes contegerent. Mulieres Picardae in carcerem coniectae a quodam Bohemiae domino affirmabant, eos, qui vestes induunt, non debere liberos homines aestimari (27). Picardus, sectae institutor, haud dubitavit se Filium Dei nuncupare ac novum Adam a Deo missum ad homines docendos naturae legem, quae duobus constat praeceptis, *communitatis* videlicet *foeminarum* ac perfectae corporis nuditatis.

Idem dic de novis Adamitis, qui sec. XIV. veteres Adamitas imitati sunt, effutientes viros esse totidem Adam, mulieresque totidem Hevas in innocentiae statu novum paradisum nudi incolentes (28).

Eodem medio aevo, ac eadem ferme aetate extitit Tanchelinus, qui se ipsum Deum faciebat ac Iesu Christo parem, qui non alia de causa Deus dicebatur, nisi quia receperat Spiritum Sanctum, cuius plenitudinem se quoque accepisse profitebatur, ex quo inferebat, se non esse Iesu Christo ullo modo inferiorem. In omne autem vitium effusus, promiscue quotquot poterat, foeminis abutebatur, quem pariter eius discipuli imitati sunt (29). Hos secuti sunt

praeclara est perpetua eius collatio veterum haeresum cum haeresibus sec. XVI. Gaet. Maria Travasa *Storia critica della vita degli eresiarchi del primo e del secondo secolo della Chiesa*, IV. vol. in-8. Venezia 1754-1759.

(27) Ermant in *Hist. des hérés.* art. *Picardiens*. Cf. etiam Bergier *Diction.* art. *Picards*.

(28) Quinam fuerit veterum Adamitarum paradisus, S. Epiph. *Haeres.* LII. ed. Petav. nobis exponit; illorum coetus appellat *speluncam* seu *cavernam monstrorum* sine verecundia degentium. Cf. etiam Clement. Alex. *Stromat.* lib. III. p. 427 seqq. S. Augustin. *De haeresib. Haeres. XXVI.* Philastrium Brixiensem cap. XLIX. Quoad recentiores cf. Pluquet *Diction. des hérés.* Paris. 1845. art. *Adamites*.

(29) Cf. Pluquet op. cit. art. *Tanchelin*. Hos etiam diris coloribus pingit Michelet in sua *Hist. de France*, tom. II. p. 396 seqq.

Turlupini in omnem et ipsi turpitudinem effusi cynicos aemulantes (30).

Post haec persequi non vacat docendi ac vivendi rationem, quam sectati sunt pseudo-mystici cuiusvis aetatis, uti Massaliani (31), Apostolici (32), Lollardi (33), qui omnes nuptias deprimebant aut damnabant sub continentiae larva, et interim se libidinosae concupiscentiae prorsus tradebant. Idem contigit Thaboritis (34), anabaptistis (35), quietistis (36), qui summis laudibus pudicitiam efferebant, dumque se in vitiorum luto volutabant, quamdam impeccabilitatem sibi tribuebant veterum sectarum more, quae sibi omnia impune licere absque ulla peccati labe, quae ipsis imputari merito posset (37).

Quibus vix delibatis, pronum est patefacere sub diversis formis unam semper eamdemque ab antiquissimis haereticis ad Sansimonianos usque et communistas dimanasse doctrinam. Etenim ad unum omnes damnarunt nuptias, relaxarunt matrimonii vinculum, communionem foeminarum professi sunt, unice in votis habebant carnis, quam vocant, emancipationem, carnisque libertatem sive sub uno sive sub altero colore ac prae-

(30) Cf. Prateolum *De vitis, sectis et dogmatib. haeret. Elench. alphabeticus.* Coloniae 1581. lib. XVIII. pag. 491.

(31) Cf. S. Epiphan. *De haeres. Haeres.* LXXX.

(32) Cf. S. Bernard. in *Cantic. serm. LXV.* et seq. Mabillon. *Analect.* tom. III. p. 455. D'Argentré *Collect. iudic.* tom. I. p. 33. Nat. Alex. sect. XII. art. XI. De variis *apostolicorum* sectis late disserit Prateolus op. cit. lib. I. cap. 59. p. 58. seqq.

(33) Cf. Dupin *Hist. des controv.* quatorz. siècle p. 436. d'Argentré op. cit. tom. I. pag. 282.

(34) Cf. Prateolum op. cit. lib. XVIII. pag. 471.

(35) Cf. Sudre *Histoir. du communisme*, ed. cit. p. 79 seqq.

(36) Cf. Constit. Innoc. XI. contra errores Michael. Molinos data die 19. Febr. 1687. quae incipit: *Coelestis Pastor* apud d'Argentré op. cit. tom. III. p. 362 seqq. Cf. item Bergier *Diction. de théolog.* ad vocem *Molinosisme*, ubi adversus Moshemium eiusmodi damnationem vindicat.

(37) His plures aliae posteriores sectae adiici possent eadem se gerentes ratione, de quibus egit Grégoire in op. *Histoire des sectes réligieuses depuis le commencement du siècle dernier jusqu'à l'époque actuelle.* Paris 1828. decem vol. in-8.

textu asserebant. Praecipui sectarum illarum architecti et auctores se ipsos aut Deum proclamarunt, aut Filium Dei, aut Christum, aut Spiritum Sanctum, aut certe intimam cum divinitate communicationem sibi tribuerunt. Denique omnes immunditiis omnigenis se tradiderunt eodem tempore, quo propriam innocentiam ac puritatem extollebant, ac mulierum nobilitatem efferebant, quas ex abiectionis et servitutis iugo relevare contendebant.

Iamvero etiam Sansimoniani coeperunt ab hominum apotheosi, quos totidem deos, vel divinitatis participes fecerunt per pantheismum, seu pancosmismum quemdam, iuxta quem homo est suprema manifestatio divinitatis, quam solam agnoscunt, nempe universi totius. Cultus Sansimonianorum obiectum est caro, eius suprema potentia est foemina (38), quam vocare non verentur *convivium deorum*, cui omnes assidere debent indiscriminatim a iugo seu servitute matrimonii solutae (39); foeminas item sacerdotissas ac prophetissas esse decernunt. Sacerdos ac sacerdotissa, aiunt ipsi, proprium exercent ministerium ope suae pulchritudinis. Etenim sacerdotium futuri temporis carnem suam minime cohibet, faciem suam velo non obducit, non se scrutis tegit, flagellorum ictibus corpus suum non contundit. Pulchrum ipsum est, sapiens ac bonum (40). Attamen et ipsi eodem tempore propriam extollunt pudicitiam atque decentiam; ita enim prossequuntur : « Copia (id est » *unio*) sacerdotalis totam sentit vim et incantationem decen- » tiae ac pudoris ac totam quoque agnoscit gratiam donationis » plenae et voluptatis. Ipsa imponit imperium amoris sui » eorumque beatorum, quos sensus urentes decipiunt, atque » ab ipsis tributum percipit arcanae ac pudicae teneritudinis » sive affectionis (41). » Inter caetera absurda Sansimoniani

(38) *Doctrine de Saint-Simon. Première année. Introduction.*

(39) Ita istorum principia exponuntur in periodica collectione, quae inscribitur *Le Globe*, quaeque Lutetiae ad plures annos prodiit.

(40) Ibid. *Le Globe.*

(41) Ibid.

expectant *foeminam messiam*, quam *matrem*, uti quondam Simon magus, sic et isti vocant; affectant et ipsi castimoniae ac sanctitatis professionem, uti Gnostici veteres, dum in delubro versantur voluptatum (42).

Caetera non prossequar, tum ne castas aures magis offendam, tum quia ea, quae allata sunt, ultro sufficiunt ad demonstrandum quod intendimus. Quandoquidem ex collatione veterum sectarum cum novis Sansimonianismi et communismi doctrinis agendique ratione evidenter constat, nihil novi recentiores attulisse, quod veteres non excogitaverint atque in praxin non deduxerint.

Quemadmodum igitur veteres illae sectae iam habitae sunt ut honestatis publicae ac societatis dedecus ac probrum, idem est ferendum de recentioribus iudicium. Revera huiusmodi communistarum sectae haberi debent ut publici societatis hostes non modo ob communionem, quam praedicant, bonorum omnium, sed etiam, imo maxime ob foedam illam communionem mulierum, quam proclamare non verentur. Et nihilominus pessimi huiusmodi homines se iactant societatis reparatores, potissimum vero liberatores emancipatoresque mulierum.

Sed praeter dicta facile est directe ostendere huiuscemodi communitatis foeminarum patronos non modo dignitati ac libertati, quam iactant, sequioris sexus minime prospicere, eamque promovere, sed potius mulierem a suo gradu deiicere, mancipiumque vilissimum efficere. Vera siquidem foeminae dignitas in verecundia consistit, in sanctis coniugii legibus rite servandis, in optima ac religiosa prolis institutione, in

(42) Quidam Duveyrier, unus ex Sansimonianis apostolis, ita respondit in tribunali Parisiensi iudicum interpellationibus, qui ei proponebant advocatum, qui eius patrocinium susciperet : « Un avocat? Mais où en trouverez-vous qui » puisse me défendre? Les voilà tous; je leur ai parlé avant l'audience, et je » leur ai dit : Vous ne pouvez me défendre, *moi essentiellement religieux et* » *moral, moi homme chaste!* Car depuis six mois je vis dans *le célibat le plus* » *absolu, comme tous mes frères,* tandis que vous, vous vivez tous dans » l'adultère et la prostitution! Ils ont baissé la tête, et n'ont pas répondu. »

aequalibus status huius iuribus tuendis, in praebendo de se virtutum omnium exemplo, quae suum sexum exornare debent, in propria agnoscenda tuendaque dignitate, in fidelitate omnimoda coniugali custodienda, in muniis domesticae societatis obeundis, atque ut paucis omnia complectar, in eo est foeminae dignitas ut in se typum mulieris christianae prae se ferat atque realem in se exhibeat eam mulieris ideam, quam exhibet divina Christi religio. Quaevis ab his regulis ac legibus deviatio foeminam omnino deturpat, atque a gradu suo, in quo illam christianismus collocavit, et ad quem illam extulit, plane detrudit.

Vel ipse communis hominum sensus haec omnia confirmat. Quidquid enim sectarii, quos impugnamus, novis suis theoriis effutierint, citra omne dubium est, solas illas mulieres passim apud omnes gentes aestimari, magni fieri et commendari, quae castitate, pudicitia ac modestia florent; contra vero uti lutum platearum illas omnes contemni et despectui haberi, quae contrariam viam inierint. In qua sententia perditissimi etiam homines permanent, qui illis prave abutuntur easque seducunt, ut experientia quotidiana patefacit

Velint igitur nolint Sansimoniani et communistae omnes, non alia dignitas, non alia excogitari libertas foeminae potest praeter eam, quam sanctissimis suis legibus christiana religio ei comparavit et contulit. Haec sola fulgente aureola eius frontem ornavit, quae mulierem christianis hominibus commendabilem reddidit. Haec sola foeminam a misera illa deiectione erexit, in quam polytheismus ac falsae religiones eamdem coniecerant, et in qua adhuc versantur apud populos omnes, qui nondum evangelica luce collustrati sunt, ut nempe mulieres habeantur, aut veluti animantia bruta ad onera ferenda destinata apud barbaros, aut veluti instrumenta voluptatum penes gentes excultas (43).

(43) Inter plures, quos recensere possem, huius assertores veritatis, unum afferam Buchanan, qui animadvertit : « Dans tous les pays où le christianisme » ne règne pas, on observe une certaine tendence à la dégradation des » femmes. » *Christian. Researches in Asia etc.* by the rev. Claudius Buchanan DD. Lond. 1812. p. 56.

Hinc verissime illustris auctor affirmavit, christianismum foeminam reddidisse ens quodammodo *supernaturale*, quia eam supra conditionem, quam naturalis eius posceret conditio, evexit (44). Quibus addere possumus novas has sectas foeminam infra naturalem conditionem prorsus deiicere.

Ut igitur, quod assumpsimus, concludamus, nec diutius hoc in argumento versemur, constat polyandriam, multo vero magis communionem foeminarum ne dum iuri divino, verum etiam iuri naturali penitus adversari.

Articulus II. — Polygamia simultanea iuri naturae absolute non repugnat, eidem tamen minus conformis est, et quadantenus etiam adversatur.

Breviter hic nos a prima quaestionis parte expediemus, cum penes catholicos omnes constet, non ita eiusmodi polygamiam directe repugnare legi naturae, ut quandoque Dei praesertim accedente dispensatione licita fieri non possit. Id vero statuitur passim adversus Calvinum, qui autumavit nunquam permitti polygamiam posse, eo quod legi naturali sit prorsus contraria. Hinc non veretur patriarchas reos traducere laesi iuris naturalis ob uxorum pluralitatem.

Sic enim arguit Saram quod Abrahae Agar in uxorem dederit : « Verum, inquit, ut res esset desperata (conceptio), non » debuit tamen quidquam aggredi *nisi Dei voluntati et legitimo* » *naturae ordini* consentaneum. Sarai connubii legem perver- » tit, lectum coniugalem, qui duobus dicatus erat, polluendo ; » et paulo post pergit loquens de Abraham : « Improprie tamen » (Agar) vocatur uxor, quae praeter Dei legem in alienum

(44) Comes de Maistre in op. *Du Pape*, livr. III. ch. I. cuius verba haec sunt : « C'est de lui (christianisme) qu'elle tient toute sa dignité. La femme » chrétienne est vraiment un être *surnaturel*, puisqu'elle est élevée et main- » tenue par lui jusqu'à un état qui ne lui est pas *naturel*. »

Nonnullas etiam hac de re commentationes cf. apud cl. Tullium Dandolo in op. *Del cristianesimo nascente* ubi agit de B. Virgine, quod caput praemissum est alteri eiusdem auctoris operi *L'imitazione di Gesu Cristo*, recusum Mediolani 1857. pag. 67.

» torum inducitur. Quare sciamus hunc concubitum sic illici-
» tum fuisse, ut inter scortationem et coniugium quasi medius
» fuerit (45). » Et iterum, disserens de Iacob, qui post Liam Rachelem duxit in secundam uxorem : « Ut malum, inquit,
» duplicet polygamia. » Deinde sic pergit: « Itaque ad tertium
» coniugium rapitur Iacob. Unde colligimus *nullum esse peccati*
» *finem*, ubi semel neglecta est Dei institutio.... Mirum est
» quod Deus adulterinum coniugium prolis honore dignatus
» fuerit. Sed ita interdum beneficiis certat cum hominum mali-
» tia, et indignos sua gratia prosequitur.... Paulo ante Moses
» uxorem vocavit Bilha, quae tamen *pellex* dici merebatur (46) »
et ita porro. Adeoque iuxta Calvinum primi patriarchae populi Dei, qui adeo chari Deo fuerunt, ni perpetuo contubernio ac fornicatione seu adulterio versati fuissent, gravissimisque habitualibus noxis se commaculassent, quin tamen Deo accepti esse desiissent. Moses, dum Rachelis ancillam Iacob *uxorem* vocavit, turpiter errasset, cum pellicem dicere eam debuisset. Huc perducit systema spiritus privati in Scripturarum interpretatione, atque anticipatum iudicium (47).

Itaque ne in eiusmodi incidamus absurda, fateamur necesse est, Deum posse illi legi derogare seu ab ea dispensare, quod profecto non posset, si polygamia foret intrinsece seu natura sua mala. Distingui igitur debent duo praeceptorum naturalium genera, quorum alterum constat ex universalibus et communissimis, quae sunt veluti principia prima iuris naturae ; alterum constituitur ex conclusionibus, quae ex primis illis principiis derivantur. Iam vero principia illa prima ac universalissima et ab omnibus admissa rectitudinis normam ac regulam ita con-

(45) *Comment.* in cap. XVI. Genes. opp. ed. Amstelodami 1671. tom. I.

(46) Ibid. in cap. XXIV. et XXX. Genes.

(47) De polygamia patriarcharum cf. Matth. Petitdidier *Dissert. X.* in *script. sac.* pag. 165. seqq. Guil. Seldenum in *Otiis* p. 349. *Vesperus groninganus* pag. 125. et 159. Patric. Delong in libello anglice edito an. 1737. et recuso an. 1739. cui tit. *Reflections upon polygamy and the encouragement given to that practice in the scriptures of the old testament.*

stituunt, ut nullo unquam in casu in iis dispensari possit; secundaria autem, quae nempe ex primis illis deducuntur, licet regulam rectitudinis contineant, non ita sunt firma, ut mutatis rerum, temporum ac personarum adiunctis in iis dispensari non possit ac ea mutari, non quidem ab hominibus, sed a Deo legis naturae auctore. Ad primum praeceptorum genus, in materia de qua agimus, refertur polyandria, quae primario coniugii fini, ut ostendimus, adversatur; ad secundum pertinet polygamia, quae utique cum fine ille potest consistere.

Sane, si ex communi sententia primarius matrimonii finis est prolis procreatio, nemo est, qui non videat finem hunc obtineri, si vir unus pluribus sit uxoribus coniunctus, quod et experientia iugis ostendit. Eo vero magis finis hic in coniugio intentus habebitur, si prior uxor sterilis fuerit. Hoc porro obtento, secundarii fines absolute, licet aegre, obtineri possunt; ac certe viro officium incumberet ut satageret modis omnibus cum fine primario componere, prout a patriarchis illis sanctissimis factum legimus (48).

Quum proinde polygamia primario iuris naturalis principio non repugnet, ac per ipsam primarius coniugii finis obtineatur, pronum est inferre, eam nec intrinsece malam esse, nec Deum ab ea dispensare non potuisse, secus ac Calvinus senserit, qui crimini propterea vertere debuit sanctis viris pluralitatem uxorum contra apertam sacrarum Scripturarum auctoritatem.

Iam ad alteram propositi partem accedamus oportet, ac polygamiam minus esse naturali iuri conformem, imo illi quodammodo adversari demonstremus.

Paulo implexior est quaestio, quam excutiendam suscipimus, ob difficultatem ipsi insitam et ob discrepantes theologorum sententias.

Difficultas enim inde orta est, quod, re in se spectata, seu praecisione facta a divina institutione et mandato, non videatur

(48) Cf. Bellarmin. cap. X. *Prop. secunda.*

polygamia aliqua ratione a naturae lege dissentire, cum ex una parte, fatentibus omnibus, primarius coniugii finis obtineri possit, quandoque etiam melius; ex altera vero absolute fines secundarii, cuiusmodi sunt recta prolis institutio, domestica pax, concupiscentiaeque remedium haberi valeant. Praeterea casus non infrequentes occurrunt, in quibus ad commune societatis bonum polygamia conducere, aut etiam interdum ad illud obtinendum necessaria omnino videatur.

Exinde factum est ut theologi ac iuris naturalis periti non infimae notae in varias concesserint sententias. Nam Durandus, Gersonius, Caietanus, Abulensis, aliique non pauci apud Sanchez (49); ex recentioribus vero Simmonet (50), Sardagna (51), Schwarz (52), Biner (53), Merlin (54) docuerunt naturae iuri haud repugnare polygamiam, aut saltem non satis id evinci. Atque ad id fidentius asserendum auctoritate utuntur sanctorum Patrum, Augustini praesertim, qui loquens de Iacob quatuor uxores habente aperte scribit : « Quando mos erat, » crimen non erat (55), » Hieronymi, qui docet antiquitus nulla lege interdictam fuisse (56), et aliorum qui idem sentiunt, ii praecipue, qui impugnarunt Manichaeos legem veterem a principio malo datam autumantes, eo etiam ex capite, quod polygamiam uti licitam permitteret (57).

Id etiam confirmant ex consuetudine longe lateque per universas fere gentes antiquitus recepta de pluribus simul ducendis

(49) Lib. VII. disp. 80. n. 5.

(50) Disp. IV. art. III,

(51) De matrim. n. CCCLXXXIII seq.

(52) Op. cit. part. II. tit. I. *Dicendum* 3.

(53) *Dissertat. sur la polygamie des patriarches contre Bayle* (qui vindicias Calvini susceperat). *Journal de Trevoux* an. 1756. Iuil. 2. part. p. 1591.

(54) Op. cit. *Apparat. erudit.* loc. cit.

(55) Lib. XXII. cont. Faustum Manich. c. 47. et 48. et alibi, praesertim lib. III. *De doctrina christiana* c. 12. 20. et lib. XVI. *De civit. Dei*, c. 38. n. 3.

(56) Epist. LXIX. *ad Oceanum* n. 5. ed. Vallars.

(57) Inter quos eminet Theodoretus quaest. 85. in Genes. de quo postea sermo erit. Cf. Biner in *Apparatu erudition.* part. II. cap. I. q. 5. n. 27.

uxoribus. De Hebraeis enim nulla est dubitatio ; praetermissis siquidem patriarchis, Moyses tanquam de re vulgo admissa loquitur, dum legem tulit : « Si habuerit homo uxores duas » alteram dilectam et alteram odiosam etc. (58). » Quod clarius adhuc patet ex iis, quae idem legislator constituit de regibus, quibus unice excessum in uxorum numero, quas ducere possent, interdixit his verbis : « Non habebit (rex) *uxores plurimas*, » quae alliciant animum eius (59). » Hanc consuetudinem penes illum populum usque ad reipublicae interitum tum respectu privatorum, tum respectu virorum principum viguisse novimus (60). Quod vero attinet ad alios populos sive orientales praesertim, sive etiam occidentales, res est notissima, adeo ut longe facilius sit eos recensere, penes quos obtinuit monogamia, quam eos, qui polygamiam sunt sectati, idque a remotissimis temporibus, siquidem polygamia a Noachica pene aetate coepit.

De Aegyptiis quidem refert Herodotus, eos monogamiam coluisse scribens : « Unusquisque nonnisi unam uxorem in » matrimonio habet sicut Graeci (61). » Ast Diodorus Siculus testatur id penes solos sacerdotes viguisse, alios vero quotquot quisque vellet mulieres in matrimonium duxisse (62). Atheniensibus a Cecrope vetitam polygamiam ostendit Petitus (63), prout de Numa idipsum statuente testis est Festus (64). Ita de anti-

(58) Deut. XXI. 15

(59) Deut. XVII. 17.

(60) De Iudaeorum polygamia cf. Heidegerum in *Historia patriarcharum*, Seldenum *Uxor hebraea* lib. I. c. 9. Montacutium in *Apparatu* p. 193 seqq. Triglandus ostendit Karaeos seu Karaitas nullo numero adstringere polygamiam in op. *De secta karaeorum* p. 147 seqq, Contra vero rabbanitarum secta ad quatuor uxores coarctabat, ut refert Lightphootus in *Horis hebr.* et *Thalmud.* ad Matth. V. 31.

(61) Hist. lib. II. §. 92. ed Argentorat. 1816. tom. I. pag. 363.

(62) Lib. I. sect. I. n. 21 seqq. ed. Dindorfii Paris, Firm. Didot 1842.

(63) *Ad leges Atticas*, pag. 434. Attamen ex A. Gellio *Noctium Atticarum*, lib. I. c. 17. et lib. XV. c. 20, ed, Oiscli Lugd, Batav. 1656. exempla contraria habemus.

(64) In *Pellex* apud A Fabricium *Bibliograph. antiquar.* cap. XX. *Polygamia.*

quis Germanis scribit Tacitus, quod prope soli barbarorum, singulis uxoribus contenti fuerint, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. « Virgines, inquit, unum accipiunt maritum, quomodo unum » corpus, unamque vitam, nec ulla cogitatio ultra, nec longior » cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium » ament (65). » De recentioribus non loquor; compertum enim est non leve obstaculum experiri legis evangelicae praecones in suadenda christiana religione eaque firmanda apud infideles nationes, dum ex praescripto legis evangelicae polygamiam abolere nituntur (66).

Ex hac porro fere universali polygamiae consuetudine nonnulli intulerunt, illam nullo modo legi naturali adversari. Attamen communis theologorum sententia est polygamiam sin minus primario naturae iuri, saltem secundario seu derivato esse contrariam, nempe conclusionibus ex primariis praeceptis deductis, ut loquitur Angelicus. In hac autem sententia tuenda diversimode theologi incedunt; siquidem nonnulli tenent ideo

(65) *De morib. Germanor.* n. 18-19. ed. Taur. 1821. tom. IV. Cf. Reinegyerum qu. 92. ad Tacitum; nec non Zeidlerum in lib. *De polygamia.*

(66) Non aliam viam ad hoc superandum obstaculum protestantes invenerunt, quam polygamiam suis conversis aut convertendis indulgere, idque publico suffragio et consilio decreverunt. Legimus enim in ephem. *Tribune de New-Yorck* collationem habitam fuisse dictorum *missionariorum* protestantium Calecutiae, cui interfuerunt ministri episcopaliani, presbiteriani, methodistae, baptistae et congregationalistae, postque profundum studium, pluresque consultationes, *unanimitate* suffragiorum decisum est, quod « Si un converti, » avant de devenir chrétien, a epousé plus d'une femme suivant la pratique » des Juifs, et celle *des églises primitives*, il lui sera permis de *les garder* » *toutes;* mais il ne sera éligible à aucune dignité dans l'église. »Hoc publicum documentum refert David Ellen missionarius protestans apud Indos annis 25. in op. *Missionum Asiae*, quod vulgavit in provinciis foederatis Americae. An. 1856.

Item polygamia neophytorum probata fuit a Mylord Celenzo in Cafraria, cuius extitit episcopus anglicanus, qui cernens difficultatem, quam Cafri prae se ferebant ad conversionem ob uxorum pluralitatem, expedire iudicavit, ut eas omnes, quas duxerant, retinerent etiam post baptismum. Cf. Univers. 9. Août 1856. Oh praeclaros evangelii praecones!

polygamiam iure naturali esse prohibitam, quia secundariis adversatur matrimonii finibus, uti cum S. Thoma (67) sentiunt Billuart (68), Tournely (69), Kugler (70), qui plures alios adducit auctores, praesertim vero Bellarminum; immo ulterius progreditur constituens seclusa Dei dispensatione, matrimonium cum duabus aut pluribus uxoribus, spectata rei natura *nec licitum nec validum* fuisse aut esse; in quo, ut diximus, ulterius fortasse quam par sit, progressus est, neque ei auctores omnes allegati hac in re suffragantur. Alii, ut Collet, Theologia Nanciensis, ac Rothomagensis (71) censent polygamiam minus esse naturali iuri consentaneam propter incommoda, quae ex ea oriri consueverunt, atque idcirco ipsi repugnare solummodo ut aliquid minus perfectum.

Nos in hac sententiarum discrepantia quid probabilius videatur aperiemus, ac mediam terere viam, atque extrema devitare curabimus.

Itaque naturae iuri conformem esse polygamiam simultaneam cum quibusdam dicere non audemus; sed neque contendimus eam naturae iuri ita adversari, ut solo spectato naturæ iure tum illicitum tum etiam invalidum dici possit coniugium, quod retenta adhuc uxore priori iniretur. Adeoque constituimus *primo*, polygamiam minus esse iuri naturae conformem; *secundo* eamdem potius naturae iuri quodammodo adversari.

Ac re sane vera societas haec postulat aequalitatem iurium, scilicet alter coniugum totum se alteri tradere debet et quidem donatione plena atque perfecta, vi cuius alter alterius fit, ita ut neuter possit dici compos corporis sui. Nimirum dependentia ex unione coniugali proveniens reciproca esse debet, tum mariti erga uxorem, et uxoris erga maritum, salva superiori-

(67) In 4. Sentent. d. 33. q. 1. art. 2. in Corp.
(68) Dissert V. art. 1. §. 1.
(69) Qu. VI. art. 1. sect. 1.
(70) Quaest. XXXVIII. n. 1833.
(71) Apud Carrière, tom. I. part. II. n. 177.

tate, quam vir uti supremum familiae caput habet erga mulierem in familiae regimine. Haec vero aequalitas in polygamia non servatur. Ea ergo minus conformis naturae iuri dicenda est.

Rursum : societas coniugalis societas est *amicitiae*, qua fit, ut coniuges mutuo se ac intimo amore prosequantur, amboque in commune familiae bonum aequali ratione conspirent, suamque operam conferant ad eam nutriendam confovendamque. Haec autem perfecta animorum et intima coniunctio, quae ex societate coniugali oritur, in monogamia quidem facile habetur, at in polygamia haud parum impeditur. Itaque quemadmodum monogamia iuri naturae omnino conformis est, ita polygamia minus eidem conformis dici debet (72).

Accedit quod in polygamia nec ipsa officia, quae exigit coniugium, et ad quae unusquisque coniugum ius habet adimpleri semper possint. Nam eadem ratione qua vir coniugale debitum exigere ab uxore, ita et uxor a marito potest; iam vero si vir pluribus esset uxoribus obstrictus, huic obligationi satisfacere nequaquam valeret. In polygamia proinde saltem magna ex parte iure suo uxor defraudaretur non sine incontinentiae discrimine.

Demum in polygamiae seu polygyniae statu ad continendas in officio plures uxores non tam amore quam imperio vir innitatur necesse est ; quod quidem imperium in domesticam pene tyrannidem facile vergit haud minimo eiusdem domesticae societatis detrimento (73).

(72) Cf. Taparelli *Saggio del diritto naturale. Dissert.* VII. cap III. art. II. §. II. Roma. 1855.

(73) Apposite Cantù in *Storia universale*, ed. V. Torino 1844. tom. II. p. 51. ad rem nostram scribit : « Che se noi cerchiamo la cagione per cui » nell' Asia si perpetuò il despotismo, la troviamo ne' loro costumi. Impe- » rocchè libertà politica e libertà morale van di conserva ; nè mai speri solle- » varsi a franchigie civili chi non abbia cominciato dal riformare i costumi. » Patria e famiglia sono idee associate in Europa, ove il miglior cittadino è » il miglior padre, non così ove è stabilita la poligamia. - Essendo queste » (donne) ancora bambine, nè ad altro abili che al diletto, voleasi un freno

Atque ex his iam facile est inferre, quod secundo loco constituimus, polygyniam legi naturali quodammodo adversari. Dixi *quodammodo* ne viderer contendere *absolute* polygamiam iuri naturali repugnare, quia cum ex una parte, ut diximus, per eam finis primarius coniugii obtineri possit, et ex alia incommoda etiam, quae eam comitantur, vinci ac superari omnino valeant, temperandam idcirco aliquantulum censeo sententiam.

Caeterum in exposito sensu polygyniam naturali iuri adversari ex eo patet, quod secundarii, quos vocant, coniugii fines vix aut ne vix quidem cum polygamia haberi possint. Siquidem in mulierum pluralitate, spectata ipsarum indole ac natura, pax et tranquillitas a familia exulet necesse est, non modo quia mulieres rixosae esse solent et inquietae, verum etiam, imo potissimum ob zelotypiam, ob aemulationem, ob invidiam aliasque cupiditates, seu ut vocant *passiones*, quae ex eiusmodi consociatione suapte natura excitari, atque accendi vehementer consueverunt, uti experientia manifeste demonstrat. Praeterea unaquaeque sobolem suam prae aliena diligit, adeoque perpetua habetur occasio contentionis atque dissidii. Hinc fit ut apud orientales populos penes quos eiusmodi polygynia viget, mos obtinuerit ut foeminae omnes in gynecaeis tanquam in carceribus trudantur, ne in familia dissidia et confusionem ciere possint.

Neque obest quandoque foeminas ingenio pacificas reperiri, quae unionem animorum et concordiam consectentur. Siquidem istae exceptionis instar sunt, quarum ratio haberi nequit, cum agitur de iis, quae communiter solent contingere. Nam ars perinde ac lex ea, quae nonnisi raro admodum accidunt, non

» alla violenta agitazione delle loro passioni, all' amore, alla rivalità, alle » gelosie. E l' orgoglio e le affezioni di esse rimanevano offese dalla poliga- » mia, che tormenta i sensi colle privazioni, il cuore colle preferenze; onde » lo sposo non poteva far conto sull'amore di esse; amore la più salda » guarantigia della fedeltà. Doveva pertanto dominarla con indomita se- » verità, chiuderla con attentissime precauzioni, porvi a custodia nomini » ridotti in guisa da non eccitare nè i desiderii delle fanciulle, nè la gelosia » del padrone. »

spectat, sed ea, quae frequenter atque ut plurimum evenire consueverunt (74).

Alter finis, qui in recta prolis institutione consistit, aegre pariter aut vix omnino comparari potest : idque ob peculiarem dilectionem, quam maritus erga unam prae alia uxore affectus est. Qua praedilectione fit, ut eius quoque filios aliarum filiis praeferat cum caeterorum damno, quos aut negligit, aut certo non aequali amore ac sollicitudine prosequi solet. Cuius rei monumentum indubium habemus in Mosaica legislatione, in qua paulo post superius allegata verba : « Si habuerit homo uxores » duas unam dilectam, et alteram odiosam » subditur : « genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primo- » genitus, voluerítque substantiam inter filios suos dividere : » non poterit filium dilectae facere primogenitum, et prae- » ferre filio odiosae, sed filium odiosae agnoscet primogeni- » tum (75). » Ex quibus patet quam pronum homini sit ob specialem praedilectionem, qua fertur in unam uxorem, huius gratia filios ex ea progenitos anteponere filiis alterius minus dilectae.

De tertio fine, qui est remedium concupiscentiae, iam diximus illum obtineri haud posse, quin necesse sit hac in re diutius insistere.

Quae quidem omnia confirmantur ex iis, quae praeclare hanc in rem scribit Angelicus doctor : « Pluralitas uxorum neque » totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem (ma- » trimonii), cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus foecun- » dandis, et educandis filiis ex eis natis : sed secundum finem, » etsi non totaliter tollit, tamen multum impedit, eo quod non » facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores » iunguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfacien- » dum pluribus uxoribus ad votum, et quia communicatio » plurium in uno officio causat litem, sicut figuli corrixantur » ad invicem, et similiter plures uxores unius viri (76). »

(74) L. *Nam ad ea* ff. *De legibus*.
(75) Deut. XXI. 15-17.
(76) In IV. Sent. d. 33. q. 1. art. 1. in corp.

Illud obiter tandem iuverit animadvertere, spectato etiam solo naturae iure difficile admodum esse, infideles, penes quos polygamia viguit, aut penes quos hactenus obtinet, a peccato excusare, ex eo potissimum quod ii non honesti alicuius finis gratia illam frequentent, sed solum libidinis aestu, quo fit, ut brutorum more, ultra quam ferat hominis rationalis conditio ac dignitas, illa se implicent, ex qua innumera pene mala proficiscuntur, cuiusmodi sunt tyrannis in familia, filiorum inconsulta multiplicatio, illorum neglectus, interemptio interdum, aut saltem publica expositio in viis ac foris, ut notum est ex Indis atque Sinensibus, penes quos singulis annis innumerabilis recens natorum perit multitudo (77). Et haec de iure naturae.

Articulus III. — Polygamia simultanea iure divino positivo ante evangelium absolute vetita non posse dici videtur, nec proinde necessaria divina dispensatio, ut veterum polygamia a crimine contra ius naturale vel divinum defendatur.

Inficiari non possumus, polygamiam, quae obtinuit primaevis temporibus, deinde vero sub lege Mosaica, minus fuisse conformem divinae matrimonii institutioni, quinimmo ab ea declinasse; tum etiam non quamlibet polygamiam fuisse permissam, sed eam solam, quae intra certos fines, ac quibusdam sub conditionibus iniretur. Id solum dicimus, nullam expresse

(77) Barbarum hunc morem exponendi in foris ac viis publicis infantes a parentibus nimia prole onustis antiquum esse nemo est qui nesciat. Nobis satis hic sit verba S. Augustini afferre ex Epist. XCVIII. ed. Maur. n. 6. quibus id testatur scribens « Aliquando etiam quos crudeliter parentes ex» posuerunt nutriendos a quibuslibet, nonnunquam a sacris virginibus col» liguntur, et ab eis offeruntur ad baptismum. » Interdum vel ipsas matres hac de causa infantes suos necasse testis est S. Otto, Pomeranorum apostolus, sic mulieres allocutus : « Et partus foemineos, quia vos, o mulieres, necare » consuevistis, quod quantum abominationis habeat, exprimi sermone non » potest... Sive igitur sit masculus sive foemina, diligenter enutrite partus » vestros : Dei enim est et marem procreare et foeminam. » Apud Bolland. mens. Iul. tom. I. in vita S. Ottonis cap. II. n. 77. pag. 397.

legem a Deo datam fuisse, qua polygamia vetaretur, ita ut nullo in casu absque divina dispensatione licita fuerit, ac rei violatae legis divinae extiterint, quotquot illam frequentaverunt.

Haec assertio, ut patet, mere *critica* est, atque speculativa, quae nullum locum post evangelicam legem, ut deinceps ostendemus, habere potest; atque potissimum eo spectat, ut validius refellatur Calvinus, eiusque hac in re assecla et patrocinator Baylius, qui vellent traducere patriarchas reos violati non minus naturalis quam divini iuris (78).

Loquimur porro de lege *expressa*, quae data positive a Deo fuerit ad vetandam polygamiam simultaneam; nam nemo inficias ibit, nosque saepius adstruximus, implicite, ut aiunt, eam legem contineri in ipsa originaria matrimonii institutione, quae praebuit fundamentum Christo Domino, ut matrimonium ad monogamiam revocaret, prout primitiva matrimonii institutio postulabat.

Hisce ita explanatis, polygamiam intra certos fines, iuxta dicenda, divino positivo iure antiquitus non fuisse vetitam, seu ei absolute non adversari sive ante sive post diluvium, nullaque proinde opus fuisse, aut tacita aut expressa divina dispensatione, inspecta ipsa matrimonii primaeva institutione, atque attenta Patrum doctrina, haud difficile videtur ostendi posse.

Sane Deus, quum instituit primaevum inter protoparentes nostros coniugium, nonnisi *unam* Hevam *uni* Adae coniugem dedit, quo facto ostendit, monogamiam hominis conditioni congruere, et adsignificavit hunc ei statum naturalem esse, suamque non obscure aperuit voluntatem. Alioquin, prout Patres animadvertunt, plures foeminas condidisset, quae ei sociae essent et coniuges; eo vel magis quod eiusmodi mulierum numerus plurimum contulisset ad humani generis propagationem ex ipsa intentione Dei dicentis progenitoribus ipsis: « Crescite et multiplicamini (79). »

(78) Calvinus loc. cit. Bayle *Dictionn. critique et histor.* art. *Sara* not. I. Item in art. *Agar*.

(79) Genes. I. 28.

Hinc Tertullianus : « Et ideo homo Dei Adam, inquit, et mu-
» lier Dei Eva, unis inter se nuptiis functi formam hominibus Dei,
» de originis auctoritate, et prima Dei voluntate sanxerunt. De-
» nique, erunt duo, inquit, in carne una, non tres neque qua-
» tuor. Alioquin, iam non una, nec duo in unam carnem (80). »
Sic S. Hieronymus pariter scribit : « Una costa a principio in
» unam carnem versa est. Et erunt, inquit, duo in carne una,
» non tres neque quatuor, alioquin iam non duo si plures (81). »
Sic alii Patres passim.

Quae confirmantur, ut patet, etiam ex adductis Patrum testi-
moniis, per ipsa verba ab Adam Deo inspirante prolata, cum
Hevam primum adspexit : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et
» caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem
» suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, *et erunt duo in*
» *carne una* (82); » quae tanquam a Deo ipso prolata refert
Christus (83). Adeoque dubium nullum superesse potest de
Dei intentione ac voluntate circa monogamiam.

Ast aliud est de Dei intentione ac voluntate disserere per
factum ipsum manifestata, aliud vero de lege expressa, qua
Adae posteris indictum fuerit, ut unam tantum uxorem duce-
rent, ac illegitimum et nullum declaretur coniugium, quod
post ductam primam uxorem initum fuerit. Haec expressa lex
nuspiam apparet in sacris litteris; Patres vero in diversas sen-
tentias abire visi sunt. Nonnuli ex Patribus Lamech traducunt
ut violatae divinae legis reum, eo quod duas simul habuerit uxo-
res, ut Tertullianus, qui post relata verba scribit : « Numerus
» matrimonii a maledicto viro coepit. Primus Lamech duabus
» maritatus, tres in unam carnem effecit (84); » et alibi : « Se-
» mel vim passa institutio Dei per Lamech (85). « Item S. Hiero-

(80) *De exhortat castitat.* cap. V. ed. Rigalt.
(81) Lib. I. advers. Iovinian. n. 14. ed. Vallars. tom. II. col. 263.
(82) Genes. II, 23. 24.
(83) Matth. XIX. 5. 6.
(84) Loc. cit.
(85) Lib. *De monogamia*, cap. IV.

nymus, qui et ipse addit post verba superius descripta : « Primus Lamech, sanguinarius et homicida, unam carnem in » duas divisit uxores : fratricidium et digamiam, eadem cata- » clysmi poena delevit (86). » Necnon S. Nicolaus I. qui scribit : « Adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in » duabus uxoribus perpetravit, nonnisi Sanguine Christi aboli- » tum extiterit, qui septima et septuagesima generatione secun- » dum evangelium luxerit in mundum (87). » Alios afferre pos- sem, qui idem sentiunt.

Verumtamen non desunt Patres alii, qui contrarium doceant. Etenim Clemens Alex. non modo vetitam non dicit polygamiam a Deo, sed eo usque progreditur, ut affirmet Deum illam ad pro- pagationem humani generis quodammodo exegisse scribens : « Idem vir et Dominus vetera renovans *non amplius concedit* » polygamiam (in novo foedere). Tunc enim *id exigebat Deus*, » quando oportebat augeri et multiplicari (88). » Eadem ferme habet S. Io. Chrysostomus, cum ait : « Neque secundum sta- » tum, qui nunc est, opera, quae tunc facta sunt, iudices. Tunc » enim, quia principia erant, *permissum fuit* cum duabus vel tri- » bus vel pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus propa- » garetur. Nunc vero, quia per Dei gratiam humanum genus » valde multiplicatum est, virtus quoque incrementum acce- » pit (89). » Nec obstat quod fere immediate subdit. « Ecce enim » quoniam *mala erat* haec consuetudo, explosa est, et non licet » ulli eam praetexere; » nam non eo sensu *malam* dicit, quod reipsa culpabilis esset, sed ut patet ex orationis serie, comparate ad monogamiam, quae illam praecellit; alioquin dicere non potuisset polygamiam fuisse *permissam*.

(86) Loc. cit. qui eadem ferme repetit verba Epist. LXXIX ad Salvinam ed. cit. col. 505. scribens :« Primus Lamech, maledictus et sanguinarius, et de Cain stirpe descendens, unam costam divisit in duas, et plantarium digamiae pro- tinus diluvii poena subvertit. »

(87) *Ad consulta Bulgaror.* n. 51, apud Harduin. *Acta concil.* tom. V. col. 371.

(88) Lib. III. *Stromat.* p. 461. ed. Paris. 1641.

(89) Hom. LVI. in Genes. n. 3. ed. Maur. tom. IV. p. 542.

Immo vero vel ipse S. Hieronymus, qui pro contraria adducitur sententia, ut vidimus, non discrepat alibi sive a Clemente Alex., sive a S. Io. Chrysostomo; siquidem nullo interposito discrimine ante aut post diluvium, universim pronunciat : « Et » si post diluvium, et ante diluvium *viguit ista sententia : cres-* » *cite et multiplicamini, et replete terram*, quid ad nos, in quos » fines seculorum decurrerunt, quibus dicitur : *tempus breve est :* » et : *iam securis ad radicem arborum posita est*, quae silvam » legis et nuptiarum evangelica castitate succidat (90)? » Cumque ad cohonestandam polygamiam a nonnullis eius aetate obiiceretur exemplum patriarcharum, ipse opposuit verbis Geneseos verba Evangelii. Adnotat praeterea idem S. Doctor, Apostolum bene novisse consuetudinem plures ducendi uxores lege Mosaica fuisse probatam et patriarcharum exemplo « Sciebat » (Apostolus), inquit, *lege concessum*, et exemplo patriar » charum ac Moysi familiare populo noverat in multis uxori- » bus liberos spargere : ipsis quoque sacerdotibus huius licentiae » patebat arbitrium (91). » Quomodo vero haec componi possint cum iis, quae iuxta contrariam sententiam alibi scribere visus est, mox videbimus.

Interim, ut statim nonnulla alia veterum testimonia hac de re afferamus, sese offert Theodoretus, qui diserte affirmat, nulla lege sive naturali sive scripta polygamiam antiquitus vetitam fuisse : « Rogavit (Sara), inquit, ea de causa Abraham, ut cum » Agar congrederetur, quo ipsa liberos inde susciperet, quid » peccavit Abraham? Maxime, *cum neque natura, neque lex* » *ulla tum scripta* plures ducere uxores prohiberet (92). »

Nec minus luculenter eam doctrinam S. Augustinus professus est. Scribit enim : « Sufficiendae prolis causa erat uxorum plu- » rium simul uni viro habendarum *inculpabilis consuetudo* (93). » Negat et ipse cum Theodoreto, ullam tunc temporis legem extitisse,

(90) Epist. CXXIII. *ad Ageruchiam*, n. 13, col. 903.
(91) Epist. LXIX. *ad Oceanum*, n. 5. col. 414.
(92) Quaest. LXVII. in Genes.
(93) *De doctrin. christ.* lib. III. cap. XII, n. 20.

qua vetaretur polygamia : « Eo tempore, quando multiplicandae » posteritatis causa plures uxores *lex nulla* prohibebat (94). » Demum ostendit Iacob in ducendis pluribus uxoribus haudquaquam peccasse, eo ipso quod nulla impediretur lege sive naturali sive divina positiva : « Iacob quod pro ingenti crimine quatuor » obiiciuntur uxores, generali praelocutione purgatur. Quando » enim mos erat, crimen non erat... Alia enim sunt peccata con- » tra naturam, alia contra mores, alia contra praecepta. Quae cum » ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis » uxoribus obiicitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non » lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur ; si mo- » rem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur ; si prae- » ceptum, *nulla lege* prohibebatur (95). »

Quid plura? vel ipse Tertullianus, qui Montanista effectus, polygamiam, ut vidimus, ab initio prohibitam a Deo asseruit, cum adhuc catholicus esset, contrarium docuit, scribens : « Sane » apud veteres nostros, ipsosque patriarchas, non modo nubere, » sed etiam *plurifariam matrimoniis uti fas fuit*. Erant et concu- » binae... Necessarium fuit instituere, quae postea aut imputari » mererentur... Igitur per *licentiam tunc passivam* (96), materiae » subsequentium emendationum praeministrabantur, quas Do- » minus evangelio suo, dehinc Apostolus in extremitatibus sae- » culi, aut excidit redundantes, aut composuit inconditas (97). » Ex quibus patet, ipsum adhuc catholicum non modo permissam, verum etiam *necessariam* putasse institutionem polygamiae, quae postea in evangelio abolenda omnino erat. Sibi praeterea

(94) *De civ. Dei*, lib. XVI. cap. XXXVIII. n. 3.

(95) Lib. XXII. cont. Faustum cap. XLVII.

(96) *Licentiam passivam* Rigaltius sic enarrat : « *Nuptias multiplices pas-* » *sim concessas.* » Item etiam La-Cerda sic exponit ; qui praeterea verba illa : *Necessarium fuit instituere* ita interpretatur : « Vult scriptor (Tertullianus) » *institutam a Deo* polygamiam, ut postea quanta esset vis evangelii noscere- » tur, reprimentis auctoritate sua luxuriam connubiorum, etiam aliquando li- » citam. Nollem diceret Tertullianus, *necessarium fuit instituere* : satis erat, » *necessarium* fuit permittere. »

(97) Lib. I. *Ad uxor.* cap. II.

contradicit, dum ex una parte constitutam monogamiae legem affirmat illis verbis: *et erunt duo in carne una,* adeoque reum violatae legis traducit Lamech, eo quod duas duxerit uxores, ex altera vero affirmat illis Dei verbis: *crescite et multiplicamini*, licitam effectam polygamiam, dum ait: « Sane *licebit* (polyga-» mia).... si etiam nunc locus vocis illius, *crescite et multipli-*» *camini*, id est, si nondum alia vox supervenit, tempus iam in » collecto esse... Ut opinor autem unius et eiusdem Dei *utraque* » *pronuntiatio et dispositio* est, qui tum quidem in primordio » sementem generis emisit *indultis coniugiorum habenis*, donec » mundus repleretur, donec novae disciplinae materia proficeret: » nunc vero sub extremitatibus temporum compressit, quod » emiserat, et revocavit, *quod indulserat* (98). »

Sed quid dicendum de S. Hieronymo, qui eadem ferme Tertulliani verba usurpavit, dum accusat Lamech gravis criminis ob superinductam alteram uxorem contra Dei voluntatem ac legem? Quid de Nicolao I., Innocentio III. et Gregorio IX. qui in eadem fuere sententia? Nam Innocentius III. statuit, quod Deus: « Non dixit tres vel plures, sed duo; nec dixit adhaere-» bit uxoribus, sed uxori. Nec ulli umquam licuit insimul » plures uxores habere, nisi cui fuit divina *revelatione* conces-» sum (99); » et Gregorius IX. scribit de Lamech: « Dum » uxorem unam divisit in duas, sanguinarius factus est et vi-» rum in suum vulnus occidit (100). »

Dicendum haud aegre haec posse componi, dummodo prae oculis tria habeantur, quae valde huic explanandae quaestioni inserviunt; ac *primo* advertimus, Deum in primaeva coniugii

(98) *De exhortat. castit.* cap. VI.

Atque hic animadvertendum est, Tertullianum in libris, quos adversus catholicam scripsit Ecclesiam, acriter adeo perstrinxisse polygamiam, ut damnaret secundas nuptias: siquidem ipse permiscuit polygamiam successivam cum polygamia simultanea, et quasi de una eademque re ageretur, utramque damnat tanquam a Deo quovis tempore vetitam.

(99) Cap. *Gaudemus*, tit. XIX *De divortiis*, c. 8.

(100) Epist. VI. ad Germanum archiep. Graecor. *De unitate Ecclesiae.* Apud Labbeum *Concil.* tom. XI. part. I, col. 325. ed. Parisiens.

institutione non modo patefecisse ex intentione ac voluntate sua monogamiam esse servandam, sed praeterea id clarius fuisse significatum per verba, in quae ex Dei ipsius inspiratione Adam prorupit: *Et erunt duo in carne una*, adeoque quandam legem, ut ita dicam *implicitam*, vel ab ipso mundi exordio extitisse de unitate matrimonii (101) Attamen lex eiusmodi non erat satis expressa, quod ad legem proprie dictam, omnibus omnino assentientibus, requiritur, ut vim obligandi habeat et sub peccato adstringat. *Secundo* ex divina institutione satis apparebat aequalia iura utrique coniugi convenire, adeo ut unusquisque totus alterius esset, ac mulier viro, ac vir mulieri esset ex aequo mancipatus; quocirca eo ipso quod idem ius utrique coniugi inesset, non poterat vir aliam superinducere nisi ex consensu prioris. *Tertio* ut polygamia certis finibus detineretur, atque non brutorum more, sed prout hominem decet, haberi posset, non libidinis explendae, sed unius procreandae prolis causa legitime poterat admitti (102).

Itaque sine contradictione affirmari poterit vel negari, polygamiam esse contra legem, prout legis nomen vel presse vel laxius usurpatur, ac simili modo dicetur vel iusta vel iniusta, prout consentiente aut invita priori uxore frequentata supponatur; itemque honesta vel inhonesta, prout eius finis est generis humani multiplicatio aut licentia. Scilicet ut polygamia a crimine violatae legis divinae immunis credatur, tres conditiones omnino requiruntur, ut nulla explicita lege vetetur, ut uxor expresse vel tacite consentiat (103), ut finis sit honestus: quod si una ex his conditionibus desit, si ad libidinem potius

(101) Huc referuntur, quae conc. Tridentinum sess. XXIV. exhibens doctrinam de sacramento matrimonii protulit: « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis...et erunt duo in carne una.* Hoc autem vinculo *duos tantummodo* copulari et coniungi, Christus Dominus *apertius* docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata, referens, dixit: *Itaque iam non sunt duo sed una caro.* »

(102) Cf. Merlin Diss. cit. §. IV.

(103) Nonnulli tamen hanc conditionem utpote non necessariam respuunt.

quam ad multiplicationem humani generis adhibeatur; si primae uxori afferatur iniuria; si ratio habeatur legis sin minus explicitae saltem implicitae, tum enimvero eadem polygamia inhonesta dicetur, contra fas et ius, et contra spiritum legis, atque aliquo vero sensu illegitima.

Hisce ita praestitutis, pronum iam erit Patrum dicta, quae sibi invicem pugnantia videntur, inter se componere. Nam vidimus S. Hieronymum in gratiam multiplicationis humani generis uti licitam sive ante sive post diluvium polygamiam habuisse. Quod si arguit Lamech verbis a Tertulliano usurpatis, non eadem mente ac Tertullianus Montanista id praestitit, sed quod libidinis explendae causa alteram uxorem duxerit, prout pessima viri huius agendi ratio suadet; alioquin S. Doctor sibi haud cohaereret.

Tres vero commemorati pontifices rationem habuere primigeniae matrimonii institutionis, ac proinde satis manifestae divinae voluntatis circa monogamiam et Dei legis lato sensu acceptae; non autem loquuntur de expressa Dei lege, quae nuspiam apparet. Eodem vero sensu improbant factum Lamech ac S. Hieronymus cuius verbis utuntur (104).

Ex eo vero quod affirmavimus in altera animadversione de consensu prioris uxoris, atque ex cessione iuris, quod ea acquisivit super maritum, hunc potuisse secundas et ulteriores nuptias inire, non sequitur posse uxorem de consensu mariti alium virum ducere. Nam distinguere oportet inter ea iura, quae natura *exigit*, ab eis, quae natura *concedit*. Ius prioris generis habetur ut medium necessarium fini obtinendo, quem natura ipsa intendit; ut medium vero non omnino necessarium,

(104) Non desunt interpretes, qui sub hoc respectu Lamech excusent. Inter quos Mersennius *Quaest. el Comment. in Genes.* ad cap. IV. *Quaest.* 54. n. 191. scribit: « Probabilius mihi videtur nec Lamechum ideo peccasse, quia duas » uxores habuit, nec polygamiam in statu legis naturae corruptae ante diluvium » prohibitam fuisse... immo ex patriarcharum post diluvium viventium exem- » plo satis coniicio id non minus licitum fuisse ante diluvium, quia par erat » propagandorum individuorum necessitas. »

at naturaliter utile ius habetur alterius generis. Iam vero ius, quod habet maritus possidendi solus uxorem, ius est prioris speciei, quia pluralitas virorum contraria est generationi et propagationi generis humani, quae est finis coniugii primarius et a natura intentus. Contra vero ius, quod habet mulier possidendi sola maritum, est alterius speciei, quia uxorum pluralitas fini primario matrimonii minime adversatur. Quod vero attinet ad fines secundarios, ii licet aegre, absolute tamen cum coniugio polygamo consistere possunt. Quo fit, ut uxor quidem cedere possit iuri suo, nequeat autem maritus. Quia, cum agitur de iure mariti, agitur de bono naturae, quando autem de iure agitur uxoris, agitur potissimum de bono personae; hinc, nisi lex positiva aliqua obstet, prout obstat evangelica, potest utique uxor ius suum alii participare. Quapropter duplex etiam distingui potest polygamia, in quarum altera violatur ius, quod acquisivit uxor possidendi sola maritum; quod si fiat, polygamia etiam ex lege naturali evadit illicita ac iniusta; altera vero, in qua uxor sponte, nulla obsistente positiva lege, ut dictum est, iuri suo cedit, et haec spectato naturali iure licita evadere potest. Prior polygamia intelligi debet damnata verbis illis Geneseos: *Et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

Quo sensu reipsa ea exposuit S. Io. Chrysostomus scribens: « Ea, quae ab ipso sunt dicta de non repudianda uxore, non » modo non repugnant, verum etiam valde cum Moyse conve- » niunt; considerandum autem est, quod non solum ab opificio, » verum etiam ab ipso praecepto sententiam suam corroborat; » non enim dixit, quia virum et mulierem unam solummodo » fecit, verum etiam quia iussit, ut unus uni coniugatur. *Nam si* » *voluisset alteram etiam conducere uxorem, uni viro creato,* » multas conformasset mulieres: nunc vero et creationis » et sanctionis modo, *unam uni perpetuo coniungi et nun-* » *quam rescindi* oportere perdocuit (105). » Ex quibus patet S. Io. Chrysostomo hanc stetisse mentem, solam illam

(105) Item LXIII. in Matth. n. 1. ed. Nivelli 1581. ed. autem Maur. Hom. LXII.

polygamiam vetitam fuisse, quae induceretur ad divortium seu repudium faciendum prioris uxoris, adeoque laesione illius iuris quod haec acquisierat. Non sibi proinde contradicit, cum scribit olim polygamiam fuisse permissam illis verbis, quae nuper attulimus : « Quia principia erant, *permissum fuit* (106). »

Sic etiam S. Augustinus legitimam pro illa aetate pronunciavit polygamiam, quae de consensu prioris uxoris fieret, ut liberi essent utrique quodammodo communes. En eius verba : « Plane uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commixtione ac semine, alterius autem iure ac potestate, *apud antiquos Patres* fas erat (107). » Eadem ratione alibi idem S. Pater loquitur « Nullam Iacob legitur petiisse praeter unam, nec usus plurimis nisi gignendae prolis officio, coniugali iure servato, ut neque hoc faceret, *nisi uxores eius id fieri flagitassent, quae corporis viri sui habebant legitimam potestatem* (108). » Unde vero habuerunt uxores, seu potius prior uxor Iacob hanc legitimam habuit potestatem super corpus eius, nisi vi legis in Genesi promulgatae : *Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una?* Et iterum : « Obediens (Abraham) coniugi, quae suae sterilitatis credidit esse solatium, si foecundum ancillae uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret suum (109). »

Si igitur ex communi Patrum doctrina polygamia simultanea, in qua tres recensitae conditiones concurrerent, nulla erat positiva atque expressa lege divina prohibita, adeoque licita per se

(106) Hom. LVI. in Genes. 1. c.

(107) *De bono coniugal.* cap. XV. n. 17.

(108) *De civit. Dei,* lib. XVI. cap. XXXVIII. n. 3.

(109) Ibid. cap. XXV. Haec melius declaravit S. Doctor lib. XXII. *Cont. Faustum,* c. XXXI. scribens : « Quis enim nescit uxorem marito tanquam domino debere servire? Sed quod ad membra corporis attinet, quibus sexus ipse distinguitur, Apostolus dicit, *Similiter et vir* sui corporis potestatem non habet, sed mulier, ut cum in caeteris actibus ad humanam pacem pertinentibus mulier viro debeat servitutem, huius unius rei, qua sexus utriusque carnali sorte discernitur, et carnali commixtione concernitur, similem in se habeant potestatem, vir in uxorem, et uxor in virum. Prolem igitur, quam de se habere Sara non poterat, de ancilla habere voluit. »

erat sive ante sive post diluvium ob propagationem humani generis, iam patet nulla opus fuisse peculiari dispensatione ad eam frequentandam (110).

Sane huiusce dispensationis nullum occurrit in sacris litteris vestigium. Nonnulli quidem eam deprehendere visi sunt in eo, quod dixit Deus ad Abraham : « Omnia, quae dixerit tibi Sara, » audi vocem eius (111). » Porro Sara fuit, quae Abrahae dixit : « ingredere ad ancillam meam (Agar), si forte saltem ex illa suscipiam filium... et dedit eam viro suo uxorem (112). »

At quibus hoc persuadebunt ? Illa enim priora verba dicta sunt Abrahae relate ad eiectionem Agar, et Ismaelis de domo sua, nec ullam relationem habent ad ea, quae ante plures annos dixerat Sara de congressu cum Agar.

Quin potius videmus Scripturam loqui de polygamia tanquam de re, quae per se liceret ; Pharao a Deo flagellatus perhibetur, non quod alteram uxorem superinduceret, sed quod tulerit Saram iam matrimonio Abrahae copulatam (113). Idem dic de Abimelech, rege Gerarae, respectu Rebeccae, uxoris Isaac (114). Et reipsa reperimus sanctos viros data occasione, quin revelatio aut inspiratio requireretur aut expectaretur, se pluribus uxoribus coniunxisse. Laban obtulit Iacob in coniugium Rachel post Liam, neque Iacob huic obstitit propositioni neque id illicitum esse reposuit (115). David cognita morte Nabal, viduam eius Abigail petiit ad nuptias, quin tamen prudentissima foemina quidpiam regereret. Quid plura ? Esther coniugio traditur a Mardochaeo regi Assuero, qui tamen ad po-

(110) Mirum videri debet recentiores non paucos theologos in adductis verbis Geneseos : *Adhaerebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*, legem, eamque positivam et expressam, de qua loquimur, agnovisse de monogamia, quam Patres ignoraverunt, adeo ut licet ipsis eadem verba comperta fuerint, tamen pronunciarint, directe polygamiam *nulla fuisse lege prohibitam*.

(111) Genes. XXI. 12.

(112) Ibid. XVI. 2.

(113) Genes. XII. 17 seqq.

(114) Ibid. c. XXVI. 7 seqq.

(115) Ibid. XXX. 27.

pulum Dei profecto non pertinebat, quique iam cum pluribus aliis uxoribus iunctus erat, et ita porro.

Nec sancti Patres aliquando de eiusmodi sive revelatione sive inspiratione divina quidpiam suspicati sunt, sed absolute penes veteres polygamiam permissam tradiderunt, immo etiam quodammodo insinuatam. Constat enim ex allatis testimoniis, Tertullianum dixisse, quod hunc polygamiae ordinem ante evangelium *necessarium fuit instituere;* Clementem Alex. affirmasse illam a *Deo permissam* et quod Deus *id exigebat quando oportebat augeri et multiplicari;* Chrysostomum et Theodoretum absque ambage scripsisse *fuisse permissam;* S. Hieronymum *viguisse* vi illius sententiae *crescite et multiplicamini* prolatae tum ante tum post diluvium; S. Augustinum asseruisse, Abraham *nihil contra mores et praecepta* fecisse, eo quod *mos ille* obtinuerit, et *nulla lege prohiberetur*.

Quod si nulla contra polygamiam existebat lex positiva; si eam insuper exigere videbatur (quodammodo) praeceptum de humani generis multiplicatione in illis mundi primordiis ex doctrina Patrum, non video opus fuisse aliqua divina revelatione aut inspiratione, ut eadem licite frequentaretur. Quod si S. Augustinus alicubi scribit de Abraham « Non suae carnali cupidi» tati cessit, sed coniugali potestati obtemperavit; *credens hoc* » *Saram ex Dei nutu voluisse*, qui iam ex se ipso illi haeredem » promiserat, sed *ex qua foemina* non praedixerat (116); » ut patet ex contextu significare haud voluit S. Doctor, Abraham credidisse licitam sibi fore coniunctionem cum Agar, eo quod Sara sive revelationem sive inspirationem habuerit, quando ei suggessit, ut Agar coniungeretur, sed id solum significare voluit, sanctum patriarcham putasse in consilio Sarae executionem contineri divini illius promissi : « Egredietur de utero tuo (filius), » ipsum habebis haeredem (117); » quum enim Deus tunc ei nondum patefecisset, utrum hunc filium suscepturus esset ex Sara,

(116) Lib. XXII. *Cont. Faust. c.* XXXII.
(117) Genes, XV. 4.

an vero ex alia uxore, ideo in animum induxit suum *Dei nutu* Saram voluisse, ut alteri coniungeretur (118).

Iam ut aliquid innuamus de doctrina, quae etiam in scholis catholicis viguit, certe non pauci, neque infimi gradus theologi sententiae hactenus expositae adhaeserunt. Nam polygamiam ante legem evangelicam permissam fuisse, nullaque positiva et expressa lege fuisse prohibitam, adeoque ad eam consectandam, nullam necessariam fuisse dispensationem aut revelatione aut inspiratione divinitus manifestatam tenuerunt unanimes Durandus (119), Tostatus, qui prae omnibus copiose de hoc egit argumento, cumque ostendisset, nulla opus fuisse veteribus dispensatione divina ad plures simul ducendas uxores, eo quod nullo sive naturali sive divino iure positivo id prohiberetur, solvit difficultatem petitam ex Innoc. III. cap. *Gaudemus, quod non licuit alicui sine revelatione unquam accipere plures uxores simul*. Exponit autem dictum pontificis « de illis, quibus » constabat esse contra ius naturale, et contra ius divinum ex- » pressum verbo et opere ostensum: ut apparet ex probationibus » illis, quas inducit. Si quis tamen illas ignoraret, cum non esset » datum aliquod praeceptum expressum de hoc; neque lex natu- » ralis determinate ad hoc cogebat; non peccabat accipiendo plures » uxores. » Hactenus ille (120), Palacios (121), Veracrux (122),

(118) Sane iuxta S. Augustinum Abraham prius putavit promissi generalis divini de multiplicatione posteritatis suae adimplementum haberi potuisse in adoptato servo suo Eliezer, ut indicat quod cum Deo loquens, ait de vernaculo suo, *hic erit meus haeres*, tanquam diceret, ait S. Augustinus, « quia de meipso » mihi semen non dedisti, in isto comple. »

(119) In 4. Sentent d. 33. q. 1. ubi quaerit « Utrum quandoque licitum » fuerit habere duas uxores *absque omni dispensatione*; respondet vero » affirmative, eo quod polygamia nulli legi sive naturali, sive divinae ad- » versaretur.

(120) In cap. XIX. Evang. Matth. q. 33. et 34. ubi diligenter discutit rationes omnes, quibus nonnulli permoti contenderunt necessarium fuisse ad licite utendum polygamia aliqua sive revelatione sive saltem inspiratione divina; utramque autem excludit. Sed ipsum adisis.

(121) *Enarrationes* in Iesu Christi Evangelium secundum S. Matth. Coloniae Agripp. 1566. disp. I.

(122) *Speculum coniugiorum*, Mediol. 1599. part. II. art. 15. ubi prae caeteris ulterius progreditur. Cf. pag. 218 seqq.

Maldonatus (123), Mersennius (124), aliique (125).

Inter se autem utriusque placiti argumenta conferentes, deprehendimus auctoribus, qui propugnant polygamiam lege divina antiquitus interdictam fuisse, nulla suffragari Scripturarum testimonia, ea autem verba, quae ex Bibliis proferuntur, de primaeva coniugii institutione, ostendere quidem monogamiam conformem esse divinae intentioni per eam patefactae, non autem legem expressam et positivam praeseferre; immo quadantenus elidi ex iis verbis sive benedictionis sive praecepti: *Crescite et multiplicamini et replete terram*. Deprehendimus etiam Scripturam exibere polygamiae usum seu morem ubique in regionibus orientalibus primis temporibus receptam, quin ullum appareat dispensationis divinae vestigium, adeoque sanctissimos patriarchas in polygamia consectanda morem consuetudinemque pro aetate illa, atque illis in regionibus obtinebat, fuisse secutos. Deprehendimus illam postea a Moyse ipso fuisse in lege *sancitam*, qui regulas tantum praescribit ad eius abusum praecavendum (126). Deprehendimus Patres omnes

(123) *De matrimonio*, quaest. 1. ad IV. argum. Opp theologic. Lutetiae Paris. 1677. in fol. tom. II. pag. 435 seq.

(124) *Quaestiones in Genes.* Lutet. Paris. 1623. Vol. un. in fol. in cap. IV. Genes. Quaest. LIV.

(125) Qui ab his ipsis allegantur, quos recensuimus.

(126) Dixi a Moyse fuisse polygamiam probatam, de quo nullum dubium esse potest. Non desunt tamen, qui contendant postremis Iudaicae reipublicae temporibus etiam apud hunc populum illam in desuetudinem abiisse. Quod quidem aliquo sensu admitti posse videtur; nam cum Iudaeis dominarentur, iisque permixti essent Romani, qui monogamiam consectabantur, nullum dubium est quin istorum mores sive in bonum, sive in malum vim quamdam exercuerint, adeoque certe minus frequens erat penes Iudaeos polygamia; attamen non omnino cessavit. Etenim Iosephus Flavius lib. XVII. *Antiquit.* c. 1. testatur adhuc sua aetate eam viguisse scribens: « Nam mos nobis est patrius » eodem tempore plures habere uxores Πάτριον γὰρ ἐν ταὐτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν. Et mox Herodis magni novem coniuges memorat. Immo et aliquanto post S. Iustinus in *Dial. cum Tryphone* n. 134. adhuc exprobrat Iudaeis, quod rabbinorum suorum doctrina decepti quatuor aut quinque uxores ducerent, inquiens: « Satius est ut Deum sequamini, quam imprudentes et caeco » magistros vestros, qui sane ad hanc usque diem *et quatuor et quinque* uxores ha-

contrariae sententiae adhaesisse, quod nec adversarii dissimulant (127).

Caeterum quae pro contraria sententia adducunt auctores, de quibus agimus, ex Matth. XIX. ex trium Rom. pontificum decretalibus, atque ex conc. Tridentino optime, ut vidimus, componi possunt cum Patrum doctrina, dummodo prae oculis habeantur tres animadversiones, quas huic disceptationi praemisimus.

Imo non aegre componitur cum sententia Bellarmini, qui cap. XI. contendit veteres patriarchas licite polygamiam frequentasse ex dispensatione, quam habuerunt *per internam divinam inspirationem*, quin ullum huius assertionis documentum proferat. Innocentius vero III. si eius urgeatur auctoritas, postulavit non simplicem *inspirationem*, sed *revelationem*, quam tamen non requirit Bellarminus, qui praeterea fatetur polygamiam non adversari nisi finibus secundariis matrimonii.

Concludamus igitur adversus Calvinum eiusque asseclas, Bayle praesertim, veteres patriarchas non modo in naturae ius presse sumptum polygamia non peccasse, sed neque in legem aliquam divinam positivam, quae eam vetuerit.

» bere unicuique *permittunt* : et si quis venustam inspiciens eam concupive-» rit, Iacobi, qui Israel dictus est, et aliorum patriarcharum facta comme-» morantes, ac negantes peccare, si quis similia faciat. » ed. Theod. Otto Ienae 1849. tomi I. part. I. pag. 447 seqq. Cf. etiam notas hic appositas ex Seldeno et Maimonide.

(127) Sane Collet. cap. V. *De unitate matr.* sect. I. §. ult. n. 71. scribit : « Dubitari tamen possit an Patres omnes, Augustinus praesertim, et Theodo-» retus tam dure de polygamia vel ipsius Lamech sensissent, cum generatim » eam nulla lege prohibitam esse dicant. At haec eorum verba ad tempus » patriarcharum referri possunt. Fieri potest, ut in rebus non absolute malis » idem quandoque prohibeatur, quandoque toleretur. » Sed quando prohibita fuerit, non ostendit. D. vero Carrière n. 176. loquens de p. Merlin subdit : « Ait hanc esse SS. Patrum sententiam, et quosdam textus citat, *qui huic* » *revera sententiae favere videntur.* »

Articulus IV. — Polygamia simultanea in lege evangelica omnino est abolita, adeo ut christiani Matrimonii proprietas prima ac inviolabilis sit unitas.

Viam Calvinistis oppositam iniverunt Lutherani circa polygamiam. Dum enim illi, Calvino duce, polygamiam iuri presse naturali atque divino contrariam pronunciarunt, adeo ut reos violati utriusque iuris veteres patriarchas inclamaverint, isti, Luthero magistro, eamdem polygamiam sub lege ipsa evangelica permissam quandoque licitamque adstruxerint. Cunctanter quidem ab initio latenterque, ne rei novitate nondum satis praeparatos christianorum animos offenderent, ut patet ex ratione, qua sese gesserunt in facultate danda secundarum nuptiarum Landgravio Hassiae; deinde vero pedetentim magis ac magis eiusmodi doctrina dilatata est ac disseminata, ita ut Lutheri apologiam conficere in memorato Philippi facto eius discipuli susceperint (128). Quod si in praxim eiusmodi doctrina non deducitur ideo est, quod vehementer obstet conscientia christiana, nec mores europaei illam ferant.

Verum quod Lutherani vix pertentarunt, nunc quovis pudore abiecto Mormonitarum secta aperte profitetur, palamque consectatur. Nova haec secta, quae originem habet a quodam Iosepho Smith in provinciis foederatis Americae septentrionalis an. 1830. disseminari coepit (129) sub nomine

(128) Inter quos eminent Seckendorfius lib. III. *Lutheranismi*; p. 277. seqq. Cotta in editione *Locorum theolog.* I. Gerhardi tom. XV. Tubing. 1776. pag. 194. Alex. Müller *Encyclopedisches Handbuch des Kirchenrechts* seu *Manuale encyclopedicum ecclesiast.* Erfurt 1829. pag. 112. Monumenta porro hac de re iuris publici fecere Ernestus, princeps ex Philippi posteris, Carol. Ludovicus, comes Palatinus, praeter Bossuetum sub finem lib. VI. *Hist. des variations*, Oudin *Hist. de la vie de Luther.* ed. V. Paris 1845. tom. III ch. XXI. *Bigamie du Landgrave de Hesse*, pag. 445 seqq. aliique passim.

(129) Haec secta brevi magnum incrementum accepit, prout refert ipsemet Smith in epistola data ad Danielem Rupp. Cf. Opus *An original history of the religious denominations at present existing in the Unites States.* Philadelphia 1844. pag. 404 seq.

sanctorum novissimorum dierum. Isti vero *novissimi sancti* ex prophetae seu praesidis sui venia tres, quatuor, aut plures ducunt uxores, repudiant aut immutant, prout ipsis libuerit. Hac de causa difficultatem maximam experiuntur in secta propaganda penes gubernia, quae eiusmodi scandalum tolerare nolunt.

Epistola de qua loquimur sic incipit : « Ecclesia Iesu Christi sanctorum » novissimorum dierum, fundata fuit ex directa revelatione, sicut semper » fuit vera Dei Ecclesia secundum Scripturas (Amos III. et Act. I.) Ex Dei » voluntate ac beneficio, Ego hactenus fui in eius manibus instrumentum ad » promovendam causam Sion. Itaque incipiam a vitae meae narratione. »

Narrat porro se credidisse et sperasse in verbo Dei, *si quis indiget sapientia postulet a Deo* (Iac. I.), adeoque quum videret tot in religione dissensiones, se ad orationem contulisse, ut immediate a Deo doceretur ; tum die 21. Septembris an. D. 1823. visionem Angeli habuisse, qui nunciavit tempus adesse, ut testamentum Dei cum Israel complerctur, secundum Messiae adventum prope esse, iamque Evangelium in sua plenitudine nationibus praedicatum esse, ut populus ad regnum millenarium praepararetur. Narrat post multas angelorum visiones revelationesque de novissimis diebus, ab Angelo habuisse aureum prophetarum librum characteribus Aegyptiis exaratum, qui per plura secula in tellure delituerat, quem ipse perlegit ope pellucidorum lapidum, quos ab Angelo accepit, quosque Hebraei *Urim et Thumim* vocaverant, quemque ex Dei virtute Anglice vertit. In eo libro narratur colonos in Americam primo exturri Babelica, dein ex Hierusalem venisse, potissimum Israelitas ex stirpe Iosephi. Christum post resurrectionem suam ibi, nempe in America, apparuisse, ac religionem non secus ac in nostra continenti regione fundasse, apostolos, prophetas doctoresque statuisse ; populos dein a religione defecisse, ac ultimum prophetam Mormonem divinitus librum scripsisse, qui novissimis diebus e telluris sinu effodi debebat, ac Bibliis addi tanquam eorum complementum.

Post haec somnia, novae Ecclesiae propheta Iosephus Smith narrat die 6. April. 1830. Ecclesiam, ut ait, Iesu Christi sanctorum novissimorum dierum fundatam fuisse in urbe Manchester in statu Neo-Eboracensi, per prophetiam et revelationem et impositionem manuum ministros creatos fuisse, novumque Evangelium fuisse praedicatum, atque Ecclesias pluribus in Statibus Americae institutas fuisse, potissimum in Statu, qui dicitur *Missouri :* Quum vero *Sancti*, qui mirum in modum excreverant, inde fuerint per vim expulsi, ad statum qui *Illinois* dicitur, se receperunt, ubi urbem aedificarunt quam *Nauvoo* appellarunt, quae cito numeravit quindecim millia incolarum ad novam hanc Sion ex variis Americae Statibus, nec non ex Anglia, Scotia et Hibernia aliisque locis accitorum ad novi evangelii praedicationem.

Hactenus Iosephus Smith in citata epistola. Nonnulla praeterea paulo in-

Iam ut ad rem accedamus, praeter polygamiam formalem simultaneam vi cuius uno eodemque tempore vir unus plures simul uxores retinet, altera distinguenda est, cum secunda ducitur uxor priori adhuc vivente, sed per divortium repudiata, aut coniugio quavis de causa dissoluto.

Iam vero prior polygamia, si excipias, ut diximus, Mormonitas, nullibi apud protestantes obtinet: at posterior penes eosdem communis est, immo etiam apud illos catholicos populos, in quibus viget lex de matrimonio civili, ut in primo libro ostendimus. Nam eadem ratione, qua civilis codex sancit matrimonium civile, sancit etiam sub datis conditionibus coniugii dissolutionem, adeoque is, qui priorem coniugem repudiavit, vi eiusdem legis aliam ducere potest, priori adhuc superstite; et hac ratione polygamia simultanea apud ipsos christianos invehitur.

Quum igitur dicimus polygamiam simultaneam in lege evangelica abolitam esse, de utraque polygamiae specie hic recensita disserimus; siquidem non minus posterior quam prior a Christo Domino repudiata est. Quod ut evincamus doctrinam exhibebimus, quae in sacris novi foederis litteris continetur; exhibebimus constantem Ecclesiae sensum, ac demum eiusdem perpetuam praxim, quae nobis germanam divinorum oraculorum intelligentiam suppeditat.

Porro licet Christus Dominus directe Matth. XIX. 3. seqq. indissolubilitatem vinculi coniugalis statuat per abolitionem libelli repudii, attamen negari nequit unitatem etiam matrimonii statuisse, quatenus coniugium revocavit ad primaevam suam conditionem, scilicet ad monogamiam, quae inter protoparentes

ferius hac de secta innuemus. Interim compertum est primam originem tot tantarumque fraudum ac illusionum, fuisse manuscriptam fabulam (Romanzo) sub initio huius saeculi a ministro protestante ingeniose elaboratam, quae in Iosephi Smith manus devenit, in qua decem tribuum Israel in Americam emigratio, earum vicissitudines, futurique eventus biblico prophetarum stylo describebantur. Cf. Harpers *New monthly Magazine*. New York 1853. vol. VI. *The Mormons* pag. 607.

fuit constituta. Verba Christi sic se habent: « Non legistis, quia » qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos ? » et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhae- » rebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non » sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non » separet. Dicunt illi (pharisaei): Quid ergo Moyses mandavit » dare libellum repudii et dimittere? Ait illis ; quoniam Moyses » ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores ves- » tras : ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia qui- » cumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam » duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur. »

Quid sibi velit et quo spectet illa exceptio de fornicatione suo loco expendemus. Interim ex toto contextu patet, Christum ad primaevam institutionem coniugium revocasse, in qua nonnisi unus uni coniunctus fuit, et praeterea per posteriora verba constituisse, ut primordialis illa institutio deinceps, nulla interposita excusatione, secus ac in lege Mosaica acciderat, perfecte servaretur, ita ut nullo unquam in casu, ne fornicationis quidem, fas esset viro duas aut plures uxores habere, sive dimissa sive retenta adultera uxore, adeoque quicumque id attentaret, se reum adulterii constitueret.

Quod quidem clarius adhuc ex locis parallelis Marci et Lucae dignoscitur. Nam nulla adiecta conditione Christus Marc. X. 11. absolute pronunciat: « Quicumque dimiserit uxorem suam, et » aliam duxerit, adulterium committit super eam, » id est *contra eam* (130); et apud Lucam XVI. 13. « Omnis qui di- » mittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur, et qui » dimissam a viro ducit, moechatur. » Si proinde absque piaculo quocumque in casu non licet alteram ducere uxorem, profecto monogamia ita sancita est, ut polygamia in lege christiana omnino sublata haberi debeat.

Christi praeterea sententiam Apostolus tum in Epist. ad Rom. tum in Epist. I. ad Cor. nobis declarat, dum omni exceptione remota infinite pronunciat: « Igitur vivente viro, vo-

(130) Cf. Maldonat. in Matth. XIX.

» cabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem » mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non » sit adultera, si fuerit cum alio viro (131). » Et « Iis autem qui » matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxo- » rem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam » aut viro suo reconciliari (132). » In priori testimonio cum praemiserit Apostolus ea verba: *Scientibus legem loquor*, patet ipsum alludere ad primigeniam matrimonii institutionem, qua matrimonii tum unitas, tum indissolubilitas constituta est, quamque Christus confirmavit Matth. XIX. 6. dum reiecto libello repudii a Moyse permisso, voluit ut ad pristinam conditionem coniugium revocaretur, ad perfectam scilicet unitatem et ad perpetuam indissolubilitatem. Quo fit, ut sive vir sive mulier nunquam possint alteri coniungi, quacumque demum ex causa contigerit ut invicem separentur; quod si alteri coniungantur, semper debeant rei adulterii censeri. Adulterium vero non haberetur, si liceret sive alterum virum, sive alteram ducere uxorem.

Dixi Apostolum hoc in loco alludere ad primaevam matrimonii institutionem a Christo confirmatam; alioquin cum ex lege Mosaica non esset censenda adultera mulier, quae dimissa a marito alteri nuberet, falsum esset Apostoli assumptum, quod impium est cogitare, adeoque iure affirmavi Apostolum declarasse Christi sententiam de monogamia in sua lege servanda (133).

In altero autem testimonio cum aperte pronunciet idem Paulus: « *Praecipio non ego sed Dominus* uxorem a viro non discе- » dere; quod si discesserit, manere innuptam, » evidens est ad legem eum respicere Matth. XIX. Marc. X. et Luc. XVI. a Christo latam de monogamia, vi cuius nunquam fas est alteri nubere in vivis adhuc agente sive marito sive uxore. Nec obstat quod Apostolus solius uxoris mentionem iniiciat, quasi nimirum

(131) Rom. VII. 3.

(132) I. Cor. VII. 10.

(133) Cf. Estium *Comment.* in Epist. ad Rom. ad h. l. item Bernard. a Piconio.

viro liceat quod mulieri prohibetur (134). Nam, ut liquet ex orationis serie, Apostolus in eadem conditione tum viri tum mulieris ius constituit, siquidem commate iasequenti constituit, nec virum fidelem debere *dimittere* infidelem mulierem, nec mulierem fidelem *dimittere* virum infidelem, si pars infidelis consenserit pacifice habitare cum parte fideli. Pares itaque fecit Apostolus virum et mulierem quoad dimissionem; adeoque pares fecit quoad conditionem ne iterum nubant, dimissione secuta. Ideo vero de sola muliere, non autem de viro, locutus est Apostolus in cit. textu, quia, ut animadvertit Estius, illud intelligendum ac supplendum reliquit ex superiori membro; praesertim cum id de viro satis fuisset a Christo Domino expressum (135). Haec vero Christi doctrina alte adeo defixa fuit christianorum menti ab ipsis Ecclesiae primordiis, ut nunquam in universa traditione et in Ecclesiae praxi reperiamus ab ea declinatum fuisse, quod tum negative tum positive constat.

Negative quidem, quatenus nullum documentum ecclesiasticum pro contraria doctrina afferri unquam possit, et quamvis Lutherani solliciti maxime fuerint in hoc conquirendo, tamen eo pervenire non potuerunt, ut vel unum invenirent; si quod autem ab ipsis opponitur, ex eiusdem examine patebit aut nullum, aut ita aequivocum esse, ut argumentum ex eo deduci nequeat.

Contra vero positive luculentissimis fulcitur doctrina catholica testimoniis ac documentis, quae omnem vel umbram dubi-

(134) Prout Ambrosiaster, et post ipsum Caietanus et Catharinus voluere, in quo turpiter lapsi sunt; horum expendemus sententiam, cum de indissolubilitateagemus vinculi coniugalis. Caeterum id vel ipsi expositores protestantes immo et rationalistae viderunt. Nam in recensione Koppiana Dav. Iul. Pott vol. V. part. I. Gottingae 1826. in hunc loc. cum Grotio sic adnotat. « Si hoc » Christus viro dixit, cui tantum iuris dederat lex Mosis, quanto magis idem » intelligi debet de foemina, cui lex Mosis nihil tale concesserat? Eadem ergo » tolerantia, quam in exercenda lege Mosis Christus viris praescripserat, multo » iustius erat observanda foeminis, quibus ius a marito discedendi dabat non » lex Mosis, sed Romanae et Graecae leges, illorum populorum ingeniis » aptatae? »

(135) Estius in h. loc. Id ipsum iam notaverat S. Augustinus, lib. I. *De serm. Domini in monte*, capp. 14. et 16. Recolatur nota praecedens.

tationis tollunt. Nempe altas adeo radices monogamia in Ecclesia fixerat ex Christi doctrina, ut non pauci in alteram partem declinare visi sint, ita ut sin minus oppositam, saltem ut minus Christi doctrinae conformem traduxerint ipsam polygamiam successivam. Verum hisce dimissis, quorum germanam mentem postea expendemus, nonnulla speciminis gratia afferemus ex veteribus documentis, quae directe ac propius ad rem nostram conficiendam inserviunt.

Itaque Hermas, vir apostolicus, « Dic, inquit, si vir vel mulier » alicuius decesserit, et nupserit aliquis illorum, numquid pec- » cat? Qui nubit non peccat, inquit (Angelus); sed si per se » manserit, magnum sibi honorem acquirit (136). » Adeo nempe commendat hic auctor monogamiam, ut superstitem coniugem post alterius obitum vel a successiva polygamia dedoceat.

Theophilus Antiochenus scribit: Apud christianos « tempe- » rantia adest, continentia exercetur, *monogamia servatur*, » custoditur castitas (137). »

Clemens Alex. « Sed idem vir et Dominus (Christus) non » amplius concedit polygamiam. Tunc enim (in antiqua lege) *id* » *exigebat Deus*, quando oportebat augeri et multiplicari. Mono- » gamiam autem introducit propter liberorum procreationem et » domus curam gerendam, ad quam data est mulier adiu- » trix (138). »

Athenagoras ita institutos ait christianos, « Ut quisque vel » qualis natus est, maneat, vel *unicis in nuptiis*... Quicumque » enim dimiserit, inquit (Christus), uxorem suam et aliam » duxerit, moechatur, nec eam dimitti sinens, cuius virginitati » finem quis imposuit, nec aliam insuper duci (139). »

(136) In *Pastore*, lib. II. Mand. IV. n. 4. ed. Cote.

(137) *Ad Autolycum*, lib. III. n. 15. ed. Galland.

(138) *Strom.* lib. III. ed. Paris. 1641. p. 461. Disp. autem hoc in loco Clemens adversus Tatianum damnantem nuptias ut impuras. Eadem habet p. 457. 459. 464.

(139) In *Legatione pro Christ.* n. 33. ed. Maran.

Tertullianus adhuc catholicus in Apologetico « Christianus, » inquit, uxori suae soli masculus nascitur (140). »

S. Iustinus « Quemadmodum, ait, etiam ii, qui ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ita et qui mulierem adspiciunt ad concupiscendum eam, peccatores sunt apud magistrum nostrum (141).» *Duplicis* autem *matrimonii* seu *διγαμίας*. nomine hic S. Martyr significat secundum matrimonium, quod iuxta leges Romanas quispiam, repudiata priori uxore, cum altera iniret, quod christianis vetitum esse affirmat. Sane inter sacrorum eloquiorum oracula, quae praemittit, illud etiam profert ex Marci X. *Et qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur.*

Minucius Felix scribit: « Unius matrimonii vinculo libenter » inhaeremus. Cupiditatem procreandi, aut *unam scimus*, aut » nullam (142). »

Et haec ex primis tribus Ecclesiae seculis; nam quod attinet ad secula posteriora, vulgatissima sunt ac omnium trita manibus testimonia concilii Milevitani, SS. Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Innocentii I. qui Christi et Apostoli doctrinae innituntur in praedicanda monogamia. Etenim conc. Milevitanum « Placuit, inquit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito » alteri coniugatur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur (143). » Quo canone, ut patet, alludunt concilii Patres ad

(140) Cap. XLVI. ed. Rigalt.

(141) Apolog. I. n. 15. ed. Maran; in quem loc. Cf. eiusdem editoris notam. qua ostendit loqui hic S. Martyrem de secundis nuptiis, quas quispiam contraheret vivente adhuc priori coniuge, prout permittebant leges humanae, ipse autem damnat iuxta doctrinam christianam adulterii. Hanc eamdem interpretationem probavit Theod. Otto secus ac contenderet Braunius, qui hunc locum exposuit de polygamia successiva; ita etiam cum Marano hunc textum exposuere Thirbius et Ritterus. Cf. *S. Iustini opera*, ed. I. C. Th. Otto ed. 2. Ienae 1847. tom. primi part. I. pag. 38.

(142) In *Octavio*, n 31. apud Galland. *Bibl. patr.* tom. II. p. 399.

(143) Conc. Milevit. II. cap. 7. et in codice Canon. Eccles. Afric. can. CII. apud Harduin. *Acta concil.* tom. I. col 915.

leges imperiales, a quibus, ut diximus, iteratae nuptiae post repudium permittebantur. S. Ambrosius « Non licet tibi, uxore » vivente, uxorem ducere. Nam et aliam quaerere, cum habeas » tuam, crimen est adulterii (144).» Eadem repetit S. Hieronymus expendens Christi verba apud Matth. XIX. *Quicumque* etc. « Ubicumque est igitur fornicatio et fornicationis suspicio, » libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis » calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum, veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere » iubetur uxorem, ut secundam prima vivente, non habeat (145).»

Idem docet S. Augustinus dum ait receptum esse « in Ecclesia Christi... ut nec sterilem coniugum fas sit relinquere, ut » alia foecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege » huius saeculi, ubi interveniente repudio sine crimine conce» ditur cum aliis alia copulare connubia;... sed lege Evangelii » reus est adulterii; sicut etiam illa si alteri nupserit. Usque » adeo manent inter se viventes semel inita iura nuptiarum, ut » potius sint inter se coniuges, qui ab alterutro separati sunt, » quam cum his, quibus aliis adhaeserunt. Cum aliis quippe » adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent (146). »

Nec non Innocentius I. qui scribit: « De his requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copula» runt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. » Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur » esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt » adulteri non videri. » In cuius rei confirmationem adducit verba Christi Domini ex Matth. XIX. 9. (147). » Quia, ut alibi subdit « fide catholica suffragante... conventum secundae » mulieris, priore superstite nec divortio eiecta, nullo pacto posse » esse legitimum (148). »

(144) Lib. I. De Abraham c. VII. ed. Maur. tom. I. col. 502.
(145) *Comment. in Matth.* c. XIX. ed. Vallars, tom. VII. col. 146.
(146) *De nupt. et concup.* lib. I. cap. X. n. 11. ed. Maur.
(147) Epist. IV. ad Exuper. c. 6. apud Coustant col. 794.
(148) Epist. 9. XXXVI. ad Probum. Ibid. col. 910.

Quapropter filum traditionis christianae insecuti Romani pontifices eiusdem custodes ac vindices, nunquam passi sunt polygamiam impune inter christianos induci, sed eam tanquam legi evangelicae et apostolicae contrariam semper execrati sunt. Nam Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum : « Duas, inquit, » tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditio- » nis admittit, nec lex christianorum ulla permittit (149). » Et Innocentius III. declaravit, plures simul retinere uxores *absonum esse, et inimicum fidei christianae* (150). Idem iam declaraverat Alexander III. Innocentii praedecessor, decernens, cum, qui postquam cum una contraxit per verba de praesenti, aliam ducit : « etiamsi cum ista copulam habuerit, ab illa tamen de- » bere separari (151). » Tandem concilium Tridentinum tum adversus Lutherum qui profitebatur, se « polygamiae consuetu- » dinem nec introducere velle, *nec improbare*, posse quia « Patrum exempla *adhuc libera sunt* (152), » tum adversus anabaptistas, Lutheranorum propaginem, hunc canonem tulit : « Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, » et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anath. sit (153). »

Ad haec omnia accedit quod in Ecclesia christiana matrimonium semper habitum fuerit, prout ostendimus, uti sacramentum a Christo Domino institutum, quod esset signum ac symbolum unionis Verbi cum humanitate, ac Christi cum Ecclesia

(149) Cap. 51.

(150) In cap. *Gaudemus* 8. *De divortiis*. Loquitur autem pontifex de paganis, qui cum plures in infidelitate uxores duxerint, ad religionem christianam convertuntur, quos ait non posse ductas uxores retinere post conversionem, iuxta paganum institutum *religioni christianae inimicum*.

(151) Cap. *Licet etc.* 3. *De sponsa duorum*.

(152) Comment. in cap. XVI. Genes. Atque hic obiter observandum, quid valeant Biblia privato sensu intellecta; Calvinus in commentario ad hoc ipsum caput Geneseos Abraham veluti reum, ut vidimus, legis naturae iurisque divini violati traducit; contra vero Lutherus ex eodem capite infert polygamiam adhuc liberam esse. Ita inter se cohaerebant isti evangelicae reformationis duces.

(153) Sess. 24. can, 2.

sua, quam sibi ceu sponsam coniunxit. Iam vero Christus nonnisi unicam habuit et habet sponsam, quam acquisivit sanguine suo; ergo hoc ipso patet, in Ecclesia nonnisi monogamiam licitam ac legitimam haberi potuisse. Quare inauditum in Ecclesia christiana est unum virum plures simul potuisse uxores habere. Exinde ortum illud scandalum, quod universus orbis christianus exhorruit, cum accepit datam a Lutheranis permissionem Philippo, Lantgravio Hassiae, digamiam consectandi (154).

Adeo vero ab hac polygamia simultanea aliena semper extitit Ecclesia, ut neque legitima habuerit connubia, quae post primam uxorem celebraverint infideles. Quoties proinde contigit, ut aliquis ipsorum ad religionem christianam converteretur, toties exegit, veluti conditionem sine qua non conferretur ei baptisma, ut prius valediceret omnibus uxoribus, quas post primam duxisset. Cur enim vero? Nisi quia Ecclesia nunquam ut legitimas uxores eas habet mulieres, quae post primam ducuntur. Etenim ipsi etiam infideles lege divina tenentur adeoque, quidquid censendum sit de naturae lege, aut de iure divino ante Evangelium, cum certum sit ex lege evangelica omnino abolitam, ac prorsus prohibitam fuisse polygamiam, profecto nec ipsi infideles absque piaculo iam possunt plures ducere uxores. Quocirca etsi ex ignorantia hac in consuetudine aliquo modo excusari possint, cum nondum eis lex evangelica promulgata est, tamen cum ipsis evangelium est perspectum, eo ipso plures uxores retinere non possunt, adeoque coguntur eas deserere cum religionem christianam profitentur, ut pluries declaratum est a Romanis pontificibus (155).

Haec autem, quae diximus, ostendunt, polygamiam simultaneam ita vetitam esse, ut neque plures simul uxores haberi possint, neque altera duci post repudium sive alterius sive plurium aliarum uxorum. De prima polygamiae specie vix quaestio esse

(154) Cf. Bossuet *Histoire des variations*, liv. VI. a n. I. ad. X.

(155) Cuius rei in superiori libro plura Rom. pontificum. ac Rom. congregationum decreta dedimus.

potest, cum casus iste vix aut ne vix quidem vel inter ipsos protestantes, multo vero minus inter catholicos locum habeat; ast non est adeo insolens polygamiae species altera, ut ab initio diximus, quin imo passim recepta est ab illis omnibus, penes quos obtinet lex civilis de divortio, qua etiam datur facultas alteram ducendi uxorem, simul ac divortium a priore legitimum declaratur (156).

Porro si post civile divortium alia ducatur uxor, absque dubio polygamiae reatus inducitur damnatus a lege evangelica et apostolica atque a constanti traditione et sensu Ecclesiae. Si enim rite expendantur, quae ex evangelio, ex Apostolo, ex Patribus, conciliis Romanisque pontificibus adduximus documenta, patebit, ea omnia magis directe hanc secundae speciei polygamiam respicere. Constanter enim fere loquuntur de iis, qui relicta aut abiecta priori uxore alteram duxerint. Quocirca omnes istiusmodi ulteriores nuptiae totidem sunt adulterii crimina, utpote initae cum impedimento dirimente *ligaminis*, adeoque nullius valoris.

Quod vero speciatim attinet ad Mormonitas, cum se christianos profiteantur, eo quod credant in evangelium et in Ecclesiam primitivam, in pastores et doctores, saltem ut ipsi affirmant (157),

(156) De Anglia res est explorata, post quam divortium concessum est.

(157) Sane Iosephus Smith, auctor sectae, inter articulos, quibus Mormonicae fidei professionem exhibet, primo loco posuit: *Nos credimus in Deum Patrem, et in Filium eius Iesum Christum et in Spiritum Sanctum.* — Deinde vero art. 3. « *Nos credimus haec divinitus esse imposita ab Evangelio*: 1. *Fidem in Dominum* » *Iesum Christum*. 2. *Poenitentiam*. 3. *Baptisma per immersionem in remissio-* » *nem peccatorum*. Art. 6. *Nos credimus in eamdem constitutionem quae extitit in* » *primitiva Ecclesia, id. est apostolos, prophetas, pastores, doctores, evangelistas.* » Art. 8. *Nos credimus Biblia esse verbum Dei... prout et credimus librum Mor-* » *monis esse verbum Dei.* Nos credimus quidquid Deus revelavit, et quidquid » modo revelat, credimusque eum alia plura esse revelaturum multi momenti, » quae ad Dei regnum pertinent. Credimus fore ut Israël literaliter congrege- » tur, decemque tribus instaurentur, et Sion in hac regione (nempe in Ame- » rica septentrionali) aedificetur, et Christus personnaliter in terra regnet. Ius » nobis asserimus adorandi omnipotentem Deum iuxta nostram conscientiam, » idemque privilegium omnibus concedimus quidquid, et quomodo ac ubicum-

tum ab evangelio tum ab Ecclesiae primitivae sensu ac praxi abunde refelluntur, tum a pastoribus ac doctoribus universis. Sed haec argumenta parum apud eos valent. Etenim rectius eos dixeris constituere religionem a christiana omnino diversam, nec novam quandam sectam christianam, sed potius quemdam novum Islamismum constituere. Revera quemadmodum islamitae in evangelium et in Iesum Christum, sua tamen ratione, se credere, profitentur at simul credunt etiam in Alcoranum tanquam in librum, qui Dei verbum continet, etsi Alcoranus in multis evangelio adversetur, sic Mormonitae et in evangelium credere se dicunt at simul in librum Mormonis, utpote qui verbum Dei contineat, polygamiam non secus ac Islamitae divino iure sibi permissam arbitrantur. Ecclesia haec *sanctorum* sanctis suis iam ab hac vita delicias degustandas praebet paradisi, ut dici solet, Islamitarum et Epicuraeorum. Revelationem circa polygamiae usum ac ius datam fuisse dicunt uni ex Ecclesiae primoribus, Sidney Rigdon in urbe Nauvoo, de qua supra aliquid innuimus, ac primo haec immoralis doctrina cohonestata fuit nomine *spiritualis polygamiae*, licet ex ea non *spiritus*, sed *homines* procrearentur. Publica haec morum foeditas, praeter rationes politicas ob sectae incrementa, non ultima fuit ex causis cur quemadmodum antea ex *Missouri* ita dein ex *Illinois* per vim eiicerentur ac urbs ipsa Nauvoo deleretur (158). Tum vero Mormones incredibili alacritate et constantia in remotissimas desertasque foede-

» que colere velint. » Demum concludit « Dici potest nos sequi Pauli monitum, » omnia credimus, omnia speramus.« *Ad original hystori, etc.* p. 411. » In hac fidei professione ne verbum quidem adest de polygamia. At solemni praxi id postea fassi sunt huiuscemodi *sancti*, quod ab initio verbis profiteri non audebant.

(158) Paulo post Mormonum emigrationem ad urbis Nauvoo reliquias devenit ex Galli's colonia Icarianorum, digni prorsus qui Mormonibus succederent; tandem anno 1850. urbs prorsus deleta est simul cum templo, cui Mormones hanc inscriptionem affixerant: The house of the Lord : built by the Church of Iesus Christ of Latter-day saints. Holiness to the Lord. *Domus Domini aedificata ab Ecclesia Iesu Christi novissimorum dierum sanctorum. Sanctitas Domino.* V. Harpers *Magazine. The Mormons. New York.* 1853. vol. VI. p. 613.

ratorum Statuum regiones immigrarunt, atque in valle, quae dicitur Lacus Salis, novi Status fundamenta iecerunt, quem *Déseret* vocant, atque illuc ex propinquis Statibus Californiae et Oregon, et ex tribubus Americae et ex protestantibus in Anglia (159) ad novam religionem conversis, sanctos congregant, qui religioso fanatismo, vitae licentia, simulque alacritate et constantia in colonia fundanda et promovenda eminent. Inter eos polygamia magis magisque exercvit, iamque non solum eam publice profitentur, verum etiam innixi libertati conscientiae crimen intolerantiae irrogant senatui Statuum Foederatorum, qui eam improbat. In ipsa urbe Washington periodica quaedam scripta publicantur, quae Mormonitarum causae inserviunt, atque in iis polygamia non modo licita asseritur, sed etiam ut medium ad beatitatem maiorem in vita futura obtinendam suadetur et commendatur. Eo perventum est, ut doceant, nullam mulierem ad coelestem gloriam pervenire posse, nisi virum habeat a quo illuc, ut ipsi aiunt, introducatur; neque hominem ad perfectionem pervenire posse sine una saltem uxore, et eo sublimiorem futuram esse eius sedem in coelesti civitate, quo maiorem uxorum numerum secum ferat (160). Sectae primores exemplo suo patefaciunt, quam sublimem in novo a se excogitato paradiso sedem sibi policere contendant uxorum, quas ducunt, multitudine (161). Huiuscemodi doctrinae, multoque magis sectae in-

(159). Si fidimus sectae relationibus Mormones anno 1857. in Regno Unito Angliae, Scotiae et Principatus Gallensis numerabant 12 pontifices (high priests) 1761. seniores (elders), 1590 sacerdotes (priests), 1226. doctores (teachers) et 682 diaconos, fideles vero novo baptismate initiatos 50,000. eoque amplius, e quibus 17,000, ad sanctos fratres in Americam emigrarunt. Pleri que ex iis ex Anglia ad New-Orléans appellunt, alii ad Californiam; atque inde ad urbem Lacus Salis in *Deserct* conveniunt, ubi, si fidimus eorum patrocinatori in urbe Washington, Elder Pratt, anno 1853, iam 30,000 sancti numerebantur. V. loc. cit. p. 619.

(160) Vide *The Seer* quae publicatio est periodica singulis mensibus, in qua passim polygamiae patrocinium suscipitur.

(161) In period. *Univers* 1. Févr. 1857. haec habentur: « On lit dans l'*Echo* »*du Pacifique* du 3 Déc. 1856. un correspondant du *San Francisco Herald* lui »fournit de Fillmore *city* (Utah), sous la date du 15 sept. dernier, quelques rensei-

crementa effecerunt, ut modo in America quaestio de Mormonibus sub aspectu religioso, politico ac sociali non sine sollicitudine agitetur. In medio solitudinum vastissimarumque regionum, quae inter montes, quos appellant saxosos, protenduntur, paucis abhinc annis nova natio exorta dici potest (162), quae religioso fanatismo, dominandi cupidine non minus quam vitae licentia Islamitas aemulatur. Quidquid sit, ut patet, Mormonum polygamia armis potius ab iis, quorum interest, quam argumentis theologicis compescenda est.

Itaque Mormonibus omissis, ut revertamur ad vetustiores polygamiae patrocinatores, duo polygamiae monumenta in causae

gnements assez piquants sur la polygamie chez les mormons ; — Les membres du Conseil du Gouvernement sont au nombre de 13. Ils ne paraissent pas être d'un extérieur bien agréable, d'après la peinture qu'on en fait, et cependant ils ont ensemble 171 femmes. Les 26 membres de la Chambre des représentants ont ensemble 157 femmes et enfin les employés de cette Chambre au nombre de 5 en possèdent 22. Parmi ces derniers nous remarquons le chapelain qui en a jusqu'à 7. — A tout cela il faut ajouter les 68 femmes du Gouverneur Brigham Young (Summi nempe eorum pontificis et prophetae.) De telle sorte, que la législature et le pouvoir exécutif, en tout 45 hommes, n'ont pas moins de 120 femmes. »

Ibid. 5 Fév. 1857 exhibetur harum uxorum distributio, ut sequitur : Heber Kimbal, consilii praeses, habet uxores 37.— Daniel Weis, consiliarius, valde luscus 19.—Albertus Corringhton, infirmus et claudus, 21. — Opson Prât, infirmus, 7. —Wilford Wiodroff, claudus, 12.— Iohn Stokon, invalidus, 8.— Lorin Farr, infirmus, 25.— Laur. Saon, infirmus, 25.— Leonar. Narrengton, claudus, 5.— Beniam. Iohnson, invalidus, 4. — Isaac Morley an. natus 72, 5. — Iohn Ray 2. — Georg. Smith, infirmus, 5.

Membra conventus (Camera) *Repraesentantium*, quae sunt 26, habent 157 uxores. Quinque *officiales* congressus retinent uxores 22. Demum gubernator Brigham Young, ut vidimus, 68. Ita res procedunt inter Mormones.

(162) Anno 1846. Mormones ex Nauvoo ad Deseret emigrarunt : iamque anno 1850 ea colonia gubernium, quod vocant *territoriale*, habuit, donec completo legali colonorum numero (60,000) iuxta leges Statuum Foederatorum constituere possit *Statum* independentem. Hactenus dependet a praeside Statuum Foederatorem, a quo a 1850 territorii gubernator constitutus fuit idem ille Brigham Young, qui ab anno 1844, post violentam mortem Iosephi Smith a collegio XII. apostolorum electus fuerat ut prophetae successor. Cf. Harper *The Mormons* loc. cit. Is modo gubernii habenas negat novo gubernatori relinquere, ita ut armis tota quaestio finiatur necesse sit : secus Foederatis Statibus gravia ex Mormonum potentia imminere possent pericula.

suae subsidium proferunt, quorum alterum falsum esse videbimus, alterum saltem aequivocum.

Prius desumitur ex lege lata a Valentiniano seniore, referente Socrate, atque ex facto ipsius Valentiniani, qui vivente adhuc Severa nec ea repudiata, Iustinam virginem duxit. Sic enim rem totam refert Socrates : « Legem a se (Valentiniano) dictatam pu» blice per singulas civitates proposuit, ut cuivis liceret duas simul » uxores legitimas habere. Et lex quidem ita proposita est. Ipse » vero Iustinam duxit uxorem, ex qua Valentinum iuniorem sus» cepit (163). » Verum, praeterquam quod eiusmodi documentum ecclesiasticum non est, sed mere profanum, quod etiam in hypothesi de eius veritate normam praebere non potest christianae doctrinae, si ad critices severioris lucem revocetur, eius falsitas aperte se prodit.

Idque conficimus argumentis ineluctabilibus. Etenim 1. certum est Socratem deceptum fuisse in eo quod refert de ducta a Valentiniano Iustina virgine, cum constet ex Zosimo, scriptore ethnico et synchrono, illam fuisse uxorem Magnentii (164). 2. Certum est adeo Valentinianum ab eiusmodi poligamiae flagitio fuisse alienum, ut alter scriptor ethnicus ac non parum animo in Valentinianum infensus, eius castitatem extollat, nempe Ammianus Marcellinus, qui de eo scribit : « Omni pudicitiae » cultu domi castus et foro, nullo contagio conscientiae violatus » obscenae, nihil incestum : hancque ob causam tanquam » retinaculis petulantiam frenarat aulae regalis (165). » 3. Certum est nullum eiusmodi legis vestigium ullibi apparere, quae adversata fuisset legibus antea datis a Valeriano et Gallieno (166), ac deinde a Diocletiano et Maximiano Augustis (167).

(163) *Hist. Eccl.* lib. IV. c. 31. ed. Vales. atque ex Socrate id. Ipsum retulerunt Paulus diaconus, Zonaras, atque Nicephorus.

(164) *Hist.* lib. IV. c. 19. qui refert Valentinianum minorem natum *de coniuge, quae prius Magnentio uxor fuerat.*

(165) *Hist.* lib. XXX. cap. IX.

(166) « Eum qui duas simul habuit uxores, sine dubio comitari infamiam. » Lib. 18 c. *Ad leg. Iul. de adult.*

(167) « Neminem qui sub ditione Romani nominis, binas uxores habere posse, » vulgo patet, quum etiam in edicto praetoris huius modi viri infamia notati » sint » Leg. 2. Cod. *De incestis nuptiis.*

4. Certum est Valentinianum uti austerum nimis vindicem violatae castitatis a S. Hieronymo in crimen adduci (168), quod confirmat Amm. Marcellinus referens sub eius imperio complures virgines et nuptas adulterii Romae esse damnatas (169). 5. Certum est a nullo unquam, sive ex Rom. pontificibus sive ex SS. Patribus, qui ea aetate florebant et legis evangelicae acerrimi erant propugnatores, Valentinianum tum ob eiusmodi legem, tum ob perpetratam polygamiam fuisse sive reprehensum sive damnatum (170), quod certe facere non omisissent, si vera narrasset Socrates. 6. Certum est Theodosium M. qui una cum Gratiano, Valentiniani filio, eidem in imperio successerat, adeo aversatum polygamiam fuisse, ut eam vel in Iudaeis insectatus fuerit: (171), quid porro fecisset, si eam penes christianos reperisset? Reperisset porro si vera retulisset Socrates de data lege per universum orbem, qua facultas omnibus fieret duas, aut plures ducendi uxores priori superstite. Immo non levis ubique excitatus fuisset tumultus, si quam duxissent alteram uxorem, eam dimittere ob abrogatam legem illam debuissent. 7. Denique certum est tum Theodoretum tum Sozomenum Socrati coaevos, quique gesta Valentiniani prosecuti sunt, ne verbum quidem sive de ea lege, sive de Valentiniani polygamia unquam fecisse. Itaque inter figmenta caetera eiusdem scriptoris et hoc referendum est, constituendumque Valentinianum post Severae obitum Iustinam duxisse, legitimoque eam sibi copulasse coniugio, prout modo concedunt ipsi protestantes veritatis evidentia compulsi (172).

(168) In Epist. I. *De muliere septies percussa ad Innocentium*. Ed. Vallars.

(169) Lib. XXVIII.

(170) Erat tunc Rom. pontifex Damasus, vivebant S. Ambrosius, S. Hieronymus, deinde vero S. Augustinus, Orosius, aliique, qui passim suis in scriptis de polygamia egerunt, expendentes praesertim illud Apostoli I. Tim. 3. *Unius uxoris virum*.

(171) Leg. 7. *Cod. de Iudaeis*.

(172) Sane veluti fabellam Socratis historiam reiecit W. Lowth in notis ad cap. 31. lib. IV. nec non Basnagius in *Annal. politico-ecclesiast.* ad an. 375 n. IV. qui cum totum hoc negotium expendisset, concludit: « Quae igitur de

Hoc itaque sublato, utpote *falso*, documento, expendamus alterum oportet, quod ad minus *aequivocum* diximus ad fulciendam polygamiam. Desumitur vero ex epistola Gregorii Iunioris seu II. ad S. Bonifacium, qui pontificem hac de re interrogaverat, quid facto opus fuerit infirmitate laborante cuiusdam uxore? Respondisse autem pontifex his verbis perhibetur: « Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta » non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? » Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret. Sed » quia hoc magnorum est, ille, qui non poterit continere, nubat » magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infir» mitas praepedit, et non detestabilis culpa excludit (173). » Dixi autem eiusmodi subsidium *saltem aequivocum*, idque tum ex parte historica, tum ex parte iuridica. Etenim quoad partem historicam hoc pontificis rescriptum alii in dubium revocant, ex eo quod sub eius successore Zacharia quamvis sedulo in archiviis romanis conquisitum fuerit, repertum minime fuerit. Quod

» Iustina virgine Socrates narrat, *ea sunt a vero prorsus aliena*. Defuncta ergo » Severa, Valentinianus Iustinae nuptias adeptus est. » Quae cum ita sint, nescio unde desumpserit recens auctor Basnagium adducere pro polygamia legem et factum Valentiniani, et Gregorii II. Rom. pontificis, cum Basnagius refellerit Socratem, nec ullam prorsus Gregorii II. mentionem iniecerit. Rursum Baronio, ex quo nos argumenta ad Socratis respuendam narrationem desumpsimus, adstipulatus etiam est ex protestantibus Melchior Zeidlerus in Tract. de polygamia p. 117. seqq. Waechtlerus tamen in epist. ad Io. Burchardum Menckenium inserta *Actis eruditor.* tom. 5. Supplementi p. 168 seq. nec non Vedelius lib. *De prudentia veteris Ecclesiae*, p. 229. antiquiores Lutherani Baronii argumenta ad an. 370. nihil solidi habere affirmant. Adeo possunt in animis anticipata iudicia! Cf. praeter Baronium an. cit. n. 124 seq. Valesium in notis ad loc cit. Socratis, Pagium in not. ad an. 375. n. 5. Nat. Alexan. in sec. IV. c. ult. art. IV. Atque inter ipsos protestantes praeter Basnagium, Pufendorfium *De iure naturae et gentium*. Francofurti ad Moenum 1706. tom. I. lib. VI. cap. I. *De matrim.* §. 16. et Buddaeum *Instit. theol. dogmat.* Lipsiae 1741. lib. V. c. VI. §. 41. in not. pag. 1319. qui pariter eiusmodi fabellam confutant. Quare mirum est, quod Alb. Fabricius in sua *Bibliographia antiquaria*, c. XX. §. X. adhuc visus sit hanc Socratis narrationem admittere.

(173) Apud Hartzeim, *Concilia Germanica*. Colon. Agripp. 1759. tom. I. p. 34. hac refertur a Gratiano *Causa* XXXII. q. VI. cap. XVIII.

certe suspicionem non immerito ingerit de eius veritate, cum incredibile videatur cito adeo tanti momenti documentum excidisse (174). Alii vero absolute negant, eiusmodi epistolam fuisse a Gregorio II. exaratam inixi praeterea silentio Othonis, et Willibardi (175). Quoad partem vero iuridicam, alii censent agi in ea de infirmitate perpetua, seu de impotentia, qua mulier illa laborabat, adeoque de impedimento dirimente. Quod coniicere fas est, tum quia verba pontificis hanc interpretationem admittere possunt, tum quia epistola S. Bonifacii, ex qua determinari posset genuina mens summi pontificis, ad nos non pervenit, ac praesumptio favet huic docto sanctoque pontifici, qui profecto noluit ab evangelica et apostolica doctrina recedere atque a constanti maiorum instituto (176). Aliis vero placet in illo rescripto agi de coniugio antea in infidelitate contracto, quod cum *verum* quidem fuerit, non autem *ratum* a pontifice iusta interveniente causa potuit dissolvi (177). Verum de hoc rescripto iterum in altera sectione redibit sermo.

Cum igitur ex universa antiquitate hoc unum documentum pro polygamia afferatur, illudque tot sit obnoxium sive criticis sive hermeneuticis difficultatibus, argumento est ineluctabili perpetuam constantemque Ecclesiae doctrinam fuisse, monogamiam a Christo Domino constitutam esse, adeoque in lege evangelica illicitam omnino esse polygamiam.

Caetera vero, quae afferri a nonnullis solent, vix disquisitionem merentur, quia aut destituta sunt fundamento historico et critico, aut facinus arguunt illorum, qui polygamiam in Ecclesia christiana attentarunt.

(174) Ita Collet, *De matr.* cap. V. n. 131.

(175) Uti Brintherim in op. *Monumenta primi, medii et novissimi aevi*, tom. VI. p. I. p. 431. qui tamen, ut postea videbimus, sententiam mutavit.

(176) Ita passim theologi respondere solent, etsi eiusmodi responsio Estio in lib. 4. Sent. d. 33. §. 6. minime arrideat, cuius verba in nostris Praelectionibus attulimus.

(177) Hanc sententiam amplexus est Sebastianus Berardi in op. *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti*, p. II. Ven. cap. 66 de qua egimus in Praelection.

Ad primam classem refertur polygamia comitis a Gleichen, de qua scribit I. A. Fabricius « observandum est, quod etiam » pontifex Romanus Honorius III. *ab auctoribus non contem-* » *nendae fidei* traditur dispensasse polygamiam comitis a » Gleichen (178) » allegatque ad huius historiae confirmationem Bayle in hoc Dictionarii articulo. Iam vero non modo nutare haec omnia, verum etiam prorsus fictitia esse facile evincitur. Etenim 1. nemo de hac polygamia a Rom. pontifice concessa scripsit ante Hondorfium, scriptorem Lutheranum, qui opus suum exaravit secul. XVII. (179) ut aliquo modo vindicaret Lutherum ob datam Philippo Hassiae ducendae alterius uxoris facultatem (180); factum vero istud contigisset sec. XIII., nec ullum citat auctorem anteriorem, sed unice innititur sepulchro quod Erphordiae visitur, in quo exhibetur comes inter duas uxores insculptus, ac fabulosae traditioni (181). Quasi nempe receptum ea aetate non fuerit, ut inter duas uxores successivas medius maritus sepeliretur aut insculperetur (182). 2. Non refert Hondorfius, a quo pontifice data haec venia fuerit polygamiae, siquidem nomen Honorii III. de suo adiecit Fabricius. 3. Numquam sive Lutherus, sive alii primi *Reformatores* ad cohonestandam concessam Philippo polygamiam se receperunt ad facultatem a Rom. pontifice quondam concessam. 4. Nunquam aliquis ex tot principibus, qui maxime eam exoptassent.

(178) In *Bibliogr. antiquar.* c. XX. §. XI. ed. 3. Hamburgi 1760. p 915.

(179) Inscriptum est opus Hondorfii *Theatrum historicum* ed. Francofurt. 1633. in-8. pag. 533.

(180) Et haec est unica ratio, ob quam Fabricius eam refert acceptatque, ut nempe aliquo modo sese opponeret Lindano, Maimburgio, Varillasio, Bossueto, qui *tantopere insultare solent B. Luthero.* ut ipse loquitur. Et hac ipsa de causa eandem historiolam exscripsere ab Hondorfio auctor op. *Polygamia triumphatrix*: Dresser, *Millen ar.* VI. Zeillerus *Continuat. itineris German.*, Peccenstenius in *Theat. saxon.*

(181) En eius verba loc. cit. « Huius rei monumentum Erphordiae exstat: in » quo ex utroque latere comiti uxores adstant. Regina marmorea corona ornata: » Comitissa sculpta est nuda et infantes ad eius pedes reptantes.»

(182) Uti adhuc visitur in mausoleo comitis Petri de Mansfeld Luxemburgi Cf. Feller *Dict. hist.* art. *Gleichen.*

apud Rom. pontificem, ut eam obtinerent, exemplum comitis a Gleichen allegavit. Hinc est, quod nunc critici omnes ad fabulas amandent eiusmodi comitis polygamiam, saltem tanquam a pontifice concessam, ne Bayle ipso excepto, ad quem pervocat Fabricius (183).

Nihilo tamen minus illustris huius aetatis auctor visus est fidem adiungere huic facto, tum quod profundae traditioni innitatur, tum quod copiosis historicis fulciatur documentis (184). Verum duo haec, falsitas scilicet et veritas huiusce historiae haud aegre inter se componi posse videntur, si oppor-

(183) Fabricius allegat ed. secundam *Dictionarii historici et critici*; iam vero ego prae manibus habeo ed. tertiam Rotterodami 1720. attamen hic auctor tum in artic. *Gleichen* tum in nota *B* respuit ac refellit historiolam, quae ita narratur. Comitis amore capta filia Sultani dum captivus comes degeret penes turcas, ei fugam tutam se praebituram promisit, dummodo suas sibi nuptias polliceretur, quamvis sciret eum iam matrimonio devinctum. Reipsa fugam arripuerunt, Venetias appulerunt, ac Romae a pontifice facultatem comes obtinuit eam superinducendi; cumque patriam repetiisset, comitissa eius uxor laeta excepit novam coniugem, quae utpote sterilis veluti suos spectabat liberos comitissae. Tota haec fabula ex sculptura sepuleri originem habuit. Cf. opus cui tit. *Disquisitio historico critica in comitem de Gleichen, cuius monumentum est in Ecclesia sancti Petri.* Auctore D. Placido Muth. Erfordiae 1788. in-12.

(184) Sic enim scribit cl. comes de Montalembert in Hist. S. Elisabeth ch. XVI. ed. sixième, Paris 1854. pag. 130. « On remarque parmi eux (les croisés) » le nom de ce comte Louis de Gleichen, si célèbre en Allemagne par ses » aventures romanesques pendant cette croisade. Une tradition, enracinée et » appuyée par de nombreuses preuves historiques, raconte qu'ayant été fait » prisonnier en Palestine, et transporté en Egypte, il fut délivré par la fille du » Soudan Melechsala, à condition qu'il l'épouserait, quoiqu'il eût laissé en » Thuringe sa femme, née comtesse d'Orlamunde. Il l'emmena avec lui à » Rome, où il obtint, *à ce qu'on prétend*, l'autorisation du pape pour cette » double union, et de là à son château de Gleichen, où les deux épouses vécu- » rent dans la plus parfaite union. »

Qui deinde in nota subdit : »Cette histoire déjà qualifiée dans une Chronique » du XV. siècle de *Historiam nominatissimam comitis de Gleichen*, a été l'ob- » jet de nombreuses discussions entre les savants et historiens allemands des » deux derniers siècles, qui ont tour à tour combattu ou affirmé la réalité de ce » double mariage. On peut en voir l'énumération dans Justi (Dilich, Hess. » *Chron. II.* p. 92-94.) Le tombeau de ce comte, couché entre ses deux fem- » mes, se voit dans la cathédrale d'Erfurth. Les traditions de la chevalerie fran- » çaise attribuent le même trait à Gilles de Trazegnies. »

tune distinguatur rei substantia ab eius adiunctis. Rei substantia in eo consistit, quod comes a Gleichen in sua expeditione in manus infidelium inciderit atque ab iisdem ex Palaestina in Aegyptum abductus, ubi filia sultani Melechsala eius amore capta ipsi evadendi opportunitatem obtulerit, dummodo se vellet in coniugem ducere; quod, sponsione facta, ambo simul fugam arripuerint, Romamque se contulerint, atque exinde comes in vulgus sparserit facultatem se a Rom. pontifice has nuptias iungendi obtinuisse, vivente adhuc priori uxore sua. Quae quidem omnia fidem non superant. Ast quod Rom. pontifex reipsa secundas has nuptias ei indulserit, nullo modo admitti potest. Nam datae huius facultatis nullum prorsus extat documentum; nemo unus ex antiquis eam aut retulit aut obiecit; Honorii III. ut vult Fabricius, fidei ac disciplinae tuendae studium nulla ratione patitur, ut id admittatur. Itaque eiusmodi obtentae concessionis rumor ex parte comitis non fuit nisi quaesitus color, quo turpem suam agendi rationem tegeret, aetate illa haud insolens. Quod vel innuere videtur cl. auctor quem adduximus (185), sicque omnia apprime componuntur.

Ad alteram classem referri debet polygamia a Lothario, imperatoris Lotharii filio et Caroli Calvi nepote, Lotharingiae rege, pertentata, dum Theutberga repudiata Waldradam ducere in uxorem contendit. Nam vix res Nicolao I. summo pontifici, innotuit, ut causam eius discusserit, repudium improbaverit, acta concilii Metensis exsciderit, quod Lothario faverat, episcopos praevaricatores deposuerit, adegerit Lotharium sub excommunicationis interminatione ad Theutbergam recipiendam, atque ad Waldradam pellendam; Waldradam ipsam excommunicationis poena mulctaverit. Quae omnia confirmavit et execu-

(185) Ut patet ex verbis : *à ce qu'on prétend*. Qua de causa prudenter in versione itala adornata a Nic. Negrelli. Vienna 1838. quemadmodum etiam in eiusdem historiae compendio quod eodem an. Augustae Taurinorum a pia comite Solaro della Margarita editum est, totus hic tractus omissus fuit. Non item vero in versione Anglica, quam vulgavit Mary Hackett Dublin. 1852.

tioni mandavit Nicolai successor Hadrianus II. (186). Ut vero magis pateat, quo animi vigore SS. pontifex Nicolaus restiterit nefario Lotharii ausui, non abnuimus gravissima eius verba describere ex epistola, quam ad episcopos Lotharii ditioni obnoxios scripsit, ut eos fortes redderet in oppositione adultero regi facienda : « Quapropter, inquit, obsecro vos per adventum » D. N. I. C. ante cuius conspectum vel pro legitimis certamini- » bus coronam, vel pro desidia, quod absit, poenam percipietis : » ut tandem aliquando recogitetis ministerium, quod accepistis, » proiiciatis desidiam, pellatis a vobis servilem timorem, re- » sumatis episcopalem libertatem, corripiatis speculatorum et » pastorum officium, et precando, obsecrando, suadendo, modo » caduca huius mundi prospera exponendo, modo in aeternum » mansura gaudia praedicando, iam nominatum regem (Lotha- » rium) frequentius adeatis, et tam ex auctoritate Dei, quam » etiam ex nostri apostolatus iniuncta vobis praeceptione, quous- » que, si non obedierit, hanc, quam nunc habet, *adulteram mu-* » *lierem* proiiciens, finitivam permansioramque demus super » eum sententiam...Eruite hunc virum, qui ducitur ad mortem, » qui trahitur ad interitum, liberare ne cessetis. Clamate, quasi » tuba, exaltate voces vestras et annuntiate illi scelera sua, » quibus peccat, et peccare facit Israel. Quod si ille non au- » dierit, ipse in iniquitate sua morietur, sanguis eius super » caput eius erit : vos autem animas vestras liberabitis (187). »

Iste ne erit pontifex, qui Lothario polygamiam indulserit? Praeterea non de polygamia directe agebatur, sed potius de indissolubilitate coniugii : quum rex non iam duas simul uxores habere contenderet, sed potius divortio facto cum priori uxore, et quidem legitimo, ut ipse autumabat, alteram duxerat ; prout passim fit apud protestantes, et penes gubernia illa, in quibus obtinent matrimonia mere civilia per legem sancita : neque tamen pontifex passus est Waldradam uxorem vocari.

Quum vero duo haec facta vel sola sint vel praecipua saltem,

186) Cf. Natal. Alexandr. Diss. IX. in Hist. Eccles. saec. IX. et X.

(187) Epist. Nicolai 52. tom. III. *Concil. Galliae* pag. 269 seqq.

quae in favorem polygamiae simultaneae inter christianos afferri consueverint, alia minoris momenti non persequar, quae aut ad rem non faciunt, aut fabulosa omnino sunt (188), nec seriam disquisitionem exposcunt. Liceat ergo concludere unitatem ita esse christiani matrimonii proprietatem, ut polygamia simultanea prorsus excludatur.

CAPUT II.

De polygamia successiva.

Articulus I. — Ecclesiae doctrina ac disciplina circa bigamiam, seu secundas nuptias, exponitur et vindicatur.

In hoc argumento operae pretium est sedulo Ecclesiae doctrinam a disciplina secernere, quae diversis aetatibus obtinuit in ecclesia sive Graeca sive Latina.

Doctrina catholica semper haec fuit, validas licitasque esse secundas et ulteriores nuptias. Contra vero non pauci haeretici antiquiores secundas nuptias, multo vero magis ulteriores, defuncto priore coniuge, tanquam illicitas ac nullo modo ferendas improbarunt et execrati sunt. Hunc errorem sub cuiusdam perfectionis obtentu professi sunt Montanistae; cujus rei monumentum extat ineluctabile in variis Tertuliani libris, praesertim vero in libro *De monogamia*. Quemadmodum vero in aliis erroribus sic et in isto Montanistas Novatiani imitati sunt. Hos omnes Ecclesia catholica damnavit.

Licet autem Ecclesia ciusmodi errorem proscripserit, attamen minus semper propensam se exhibuit erga nuptias successivas, praesertim tertias et ulteriores. Dum proinde magno prosequebatur honore nuptias primas, benedictione, coronatione, aliisque ciusmodi ritibus, caeteras contra hisce significationibus honoris

(188) Cuiusmodi sunt censenda, quae ex Io. Bodino refert I. A. Fabricius op. et loc cit.

sanctitatisque privavit, uti alias exposuimus (1); ast nunquam eas omnino prohibuit; praesertim Ecclesia Latina.

Verum severiorem iugiter hac in re se exhibuit Ecclesia Graeca. Nam tertias, praesertim vero quartas nuptias improbavit; non quod senserit eas omnino ac absolute illicitas, sed in detestationem incontinentiae, quam prae se ferre videbantur, qui priori, multo vero magis qui secunda, aut tertia uxore vita functa aliam ducerent.

Quoad vetustiores nonnullos Patres fatendum est interdum eos durius nimis locutos fuisse, ac benigna interpretatione emolliendas eorum locutiones esse.

His vix leviter generatim delibatis, distinctis articulis agemus primo de secundis nuptiis, deinde de ulterioribus ad vindicandam Ecclesiae catholicae doctrinam, atque eiusdem disciplinam potissimum adversus Graecos schismaticos.

Ecclesiam constanter praetulisse viduitatem iteratis nuptiis explorata res est. Ex omnibus enim eius actis, ex scriptis Patrum et monumentis ecclesiasticis id luculenter patet. Siquidem ex iis constat, vel a suis incunabilis magno honore Ecclesiam fuisse prosecutam eas, quae vere *viduae* fuissent ac *desolatae*, ut loquitur Apostolus (2). Eas episcoporum ac presbyterorum providentiae committebat, ut curam ipsarum susciperent; admittebat ad votum castitatis; in peculiare collegium cooptabat; instruendis iunioribus in rebus fidei, iisque praeparandis ad baptismum praeficiebat: alebat publicis fidelium oblationibus; in coetum diaconissarum praestantissimas ex iis deligebat; peculiari etiam habitu donabat, quo a reliquis distinguerentur (3). Talis semper extitit Ecclesiae spiritus, quae uti virginitatem coniugio, sic viduitatem praetulit secundis nuptiis, quia quaecumque

(1) Lib. I. sect. I. cap. IV. art. II.

(2) I Timoth. V. 5.

(3) Cf. Alph. Salmeronium *Dissert. in epist. D. Pauli.* Opp. tom XV. Colon. Agripp. 1604. Diss. XIV. in I. ad Tim. V. qui haec fuse prosequitur suisque documentis confirmat.

amore castitatis viduitatem servant, eae magis idoneae sunt ad obsecrandum Dominum et ad instandum obsecrationibus et orationibus nocte ac die, curis seculi abiectis (4).

Non eo tamen Ecclesia progressa est, ut secundas nuptias tanquam illegitimas proscriberet. Novit enim dictum ab Apostolo « Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit, » quod si dormierit vir eius, liberata est : cui vult nubat : tan» tum in Domino (5). » Quinimo ulterius progrediens Apostolus viduas, quae interiori spiritu destitutae in periculo versantur a recto tramite declinandi, ad iterandas potius nuptias hortatur dicens : « Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres» familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti » gratia (6), » nempe ex indulgentia erga ipsarum infirmitatem ; cum per se, ut alibi scribit : « Beatior erit si sic permanserit » secundum meum consilium (7). » Quo satis ostendit se non damnare secundas nuptias, etsi eisdem praeferat uti perfectiorem statum viduitatis, quandiu is melius conferat ad animae salutem : quod si aliquis hoc institutum sectando in periculum incurrat incontinentiae, ei alias nuptias concedit.

Talis iugiter fuit Ecclesiae spiritus, quae etsi summopere illos commendaverit, qui castitatis amore in viduitate permanerent, tamen eos nunquam reprobavit, qui ex propriae infirmitatis experimento aut alia de causa vellent se iterum matrimonio coniungere.

Cuius assertationis vadem damus scriptorem antiquissimum, Hermam, virum apostolicum, qui aperte profitetur eum, qui iterum nubat, non peccare dicens : « Qui nubit (post viduitatem)... » non peccat (8) : » Sic etiam Clemens Alex. scribit : « Aposto-

(4) De hoc argumento S. Augustinus integrum librum scripsit *De bono viduitatis;* et ante ipsum S. Ambrosius librum *De viduis*, ut de reliquis taceam.

(5) I. Cor. VII. 39.

(6) I. Tim V. 14.

(7) I. Cor. VII. 40.

(8) In *Pastore* lib. II. mandat IV. n. 4. cuius verba superius integra dedimus. Atque hic est locus ad quem allusit Tertullianus Montanista lib. *De pudicitia* c. X cum scriberet : » Sed cederem tibi, si scriptura Pastoris, quae » sola moechos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni con-

» lus propter intemperantiam et ustionem, ex venia secundum » concedit matrimonium : nam hic quoque *non peccat* quidem ex » testamento, non est enim a lege prohibitus ; non implet autem » summam illam vitae *perfectionem*, quae agitur ex evangelio (9).» Etiam Origenes, quamvis secundis nuptiis se aversum patefaciat, attamen minime eas absolute damnat, immo solum feliciter *deceptum* eum censet, qui ideo ab iterandis nuptiis se abstinet, quod eas damnabiles existimaverit. Scribit enim : « Sunt alii, qui » ad secundas convolare nuptias nolunt, quod eas damnabiles » putent... ei quae unicas nuptias contraxit, arbitror conduci- » bilius esse *decipi* et putare bigamiam damnandam, et poenis » aeternis esse afficiendam, ut ipsa a secundis nuptiis abstineat » et puritati studeat, *quam rei veritatem agnoscere et bigamem* » *fieri* (10). » Igitur iuxta rei veritatem secundae nuptiae illegitimae non sunt, nec peccat, qui eas init, Origene auctore.

Neque ab hac sententia discesserunt posteriores Patres. Nam S. Basilius expresse canonem hunc num. XLI, edidit : « Quae » in viduitate habet sui potestatem, una cum viro habitare po- » test sine reprehensione, si nemo est, qui coniugium divellat, » cum Apostolus dicat : *Si mortuus fuerit maritus, libera est,* » *ut nubat, cui velit, tantum in Domino* (11). » S. Gre- » gorius Nazianzenus Novatum seu Novatianum infensum secundis nuptiis ita refellit : « An ne iuvenibus quidem » viduis, propter aetatis lubricum, ineundi matrimonii potesta- » tem facis ? At Paulus hoc facere minime dubitavit... At haec » minime post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas ? » Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes.

» cilio ecclesiarum etiam vestrarum inter apocrypha et falsa iudicaretur, » adultera et ipsa, et inde patrona sociorum ; a qua et alias initiaris. » Nempe Psychicus id est catholicus, qui iuxta Tertullianum Montanistam ex libro Pastoris duo discit secundam poenitentiam et secundas nuptia

(9) Lib. III. Stromat. edit. Sylburgi, Paris 1641, pag. 461.

(10) Homil. XCIX. In Ierem. n. 4. et De la Rue, tom 12, p. 366 seq.

(11) Epist. XCIX ed. Maur. tom. III. p, 208.

» Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas (12). »

Nec aliter docet S. Io Chrysostomus, qui exponens Apostoli verba : *Mulier alligata est legi*, haec habet : « Quae vero est » libera, siquidem voluerit secundo nubere, non simpliciter » neque temere hoc facit, sed cum legibus, quae sunt a Paulo po- » sitae (13) » Sic etiam S. Epiphanius inter falsa Catharorum seu Novatianorum dogmata et hoc recenset : « Si quis post bap- » tismum secundam uxorem duxerit, ab illis non amplius ad- » mittitur. Quod quidem *plane stolidum* est (14). » Quem deinde errorem simul cum reliquis eiusdem sectae erroribus postea refellit. Theodoretus pariter expendens citata Apostoli verba 1. Cor. VII. « Notandum est, subdit, quod non beatam, sed *bea-* » *tiorem* eam dicat (viduam), quae se continet; ita docens quod » non beatitudine sit omnino destituta, quae secundum etiam » matrimonium amplectitur (15). » Theodorus Studita Ecclesiae doctrinam hac super re exponens scribit : « Digamia ergo per- » missa haud dubie hic fuit a S. Apostolo, et per ipsum a Christo. » Verum haec lex non est... sed indulgentia (16) ; » et alibi idem inculcat.

Et haec de Patribus Graecis ; quod vero attinet ad Latinos Patres clarius adhuc ex iis Ecclesiae sensus patet. Etenim vel ipse Tertullianus adhuc catholicus sic ex communi sententia loquitur : « Apostolus de viduis quidem et innuptis, ut ita per- » maneant suadet, cum dicit : *Cupio autem omnes meo exemplo* » *perseverare :* de nubendo vero in Domino , cum dicit ; *tantum* » *in Domino* iam non suadet, sed exerte iubet (17). » Nempe

(12) Orat. XXXIX, in *Sancta lumina* ed. Paris. 1630. tom. I. pag. 686. Notandum porro est plerumque scriptores Graecos Novatum ac Novatianum inter se confundere, ut patet etiam ex Eusebio, Epiphanio aliisque passim.

(13) Hom. *De libello repudii* ed. Maur. opp. tom. III. p, 208.

(14) *Haeres.* LIX. n. 3. ed. Petav.

(15) *Haeret. fabul.* lib. V. c. 26. quod totum est de hoc argumento adversus Novatianos.

(16) Edit. Sirmundi Paris. 1696. tom. V. *Theod. Studitae epist.* lib. 7. ep. 50 p. 353.

(17) Lib. II. *ad uxor.* c. 7. ed. Rigalt.

liberum esse cuique supponit secundas inire nuptias, at simul docet ex Apostoli praecepto eas, si ineantur, debere *in Domino*, iniri, scilicet cum fideli se iungere debere, qui iterum nubunt.

S. Ambrosius aperte scribit : « Non prohibemus secun-» das nuptias, sed non probamus saepe repetitas (18). » Item S. Hieronymus, qui prae caeteris duriuscule de secundis et ulterioribus nuptiis interdum scripsisse visus est, tamen eas licite iniri aperte professus est, cum ait : « Quid igitur ? Damnamus » secunda matrimonia? Minime, sed prima laudamus. Abiici-» mus de Ecclesia digamos ? Absit, sed monogamos ad continen-» tiam provocamus (19). »

Demum S. Augustinus : « Ne arbitreris, inquit, secundas nup-» tias crimen esse, vel quascumque nuptias, cum sint nuptiae, » malum esse (20). »

Verum quod magis ad rem nostram facit est doctrina, quam in conciliis Ecclesia professa est, ex qua discimus uti legitimas secundas nuptias iugiter habitas fuisse, et damnatos fuisse, qui id negarent.

Sane concilium Oecumenicum Nicaenum ita constituit : « De » his, qui se nominant Catharos, id. est mundos, si aliquando » venerint ad Ecclesiam catholicam... Haec prae omnibus eos » scriptis convenit profiteri, quod catholicae et apostolicae Ec-» clesiae dogmata suscipiant et sequantur, id est, et bigamis se » communicare (21). »

Concilium vero Laodicenum, quamvis nonnullis poenitentialibus operibus bigamos subiiciat ob incontinentiae labem, quam prae se ferre videntur, qui nuptias iterant, tamen pro legitime coniunctis eos habet, dum in can. I. edicit : « De his, qui *secun-» dum ecclesiasticam regulam libere ac legitime* secundis nup-» tiis iuncti sunt... oportet, ut parvo tempore transacto, » vacent orationibus et ieiuniis ; quibus etiam, iuxta indulgen-

(18) Lib. *De viduis* cap. XI. opp. ed. Maur. tom. I. p. 205.

(19) Epist. CXXII. ad Ageruchiam. n. 9. ed. Vallars. tom I. col. 901.

(20) In lib. *De Bono viduitat.* cap. XI. n. 14. Opp. ed. Maur. tom. VI.

(21) Can. VIII. ex vers. Dionys. Exigui apud Harduin. *Acta* concil. tom. I. col. 326 seq.

» tiam, communionem reddi decrevimus (22), » ducere igitur libere ac legitime secundam uxorem, priore defuncta, est secundum ecclesiasticam regulam; tantum abest, ut secundas nuptias aliquando Ecclesia interdixerit.

Ex his documentis patet, quid de secundis nuptiis senserit Ecclesia : eas nempe nunquam in se reprobavit aut interdixit; sed si aliquando eas reprehendit, ita se gessit, potius ut ad perfectionem fideles provocaret, partim ex eo quod bigami praeter severiorem christiani instituti spiritum, intemperantiae indulgere viderentur, partim ob incommoda, quae provenire ex iteratis nuptiis in privatis familiis consueverunt, scilicet zelotypia et discordia praesertim filiorum, qui ex primis eorumque, qui ex secundis nuptiis sunt procreati. Caeterum, ut diximus, eas nunquam in se et absolute Ecclesia improbavit (23).

Et haec quidem de Ecclesiae utriusque orientalis et occidentalis sensu ac mente dixisse sufficiat : at quod attinet ad privatos quosdam scriptores aut etiam Patres, fatendum est nonnullos hac in re modum excessisse ac durius locutos esse.

Ne tamen eos sine examine ex communi praeiudicio damnemus, praestat eorum effata perpendere : fortasse enim ita emolliri possunt ac debent, ut licet prima fronte ab Ecclesiae sensu discordare videantur, penitius inspecta catholicum sensum fundunt.

Primo itaque Athenagoras exponens veterum christianorum mores « *Demonstratione* et *disciplina* actionum res nostrae, inquit, continentur, ut quisque vel qualis natus est, maneat, vel unicis in nuptiis. Secundae enim *decorum adulterium*... Qui se ipse prima uxore spoliat, etiamsi mortua sit, occulta quadam ratione est adulter; tum quod manum Dei transgrediatur, (nam initio Deus unum hominem finxit ac unam mulierem), tum quod carnis cum carne coniunctionem quodam veluti vinculo ad commiscendum genus colligatam dissolvat (24). » Nonnullæ tamen in hunc locum animadvertenda sunt, ac 1. quod Athenagoras

(21) Ibid. col. 781. ex vers. Dionysii. Exigui.

(23) Cf. Chardon. *Histoire des sacrem.* tom. VI. *Du mariage* ch. IV. art. 1.

(24) In Legat. pro Christ. n. 33. edit. Maran.

lo quatur iuxta communem ac receptam passim tunc temporis disciplinam, iuxta quam secundae nuptiae vix, aut raro frequentabantur ob magnum pretium, in quo monogamia habebatur, adeo ut secundae nuptiae quodam dedecore notatae viderentur; 2. quod non absolute secundas nuptias vocet *adulterium*, sed eas quodam temperamento ob quandam cum adulterio similitudinem, dicat *decorum* et *occultum* adulterium. Quod si existimasset secundas nuptias vere vetitas, eas presse adulterium dixisset, illudque *indecorum prorsus ac manifestum* vocasset, prout dicitur de polygamia simultanea, adeoque ex hoc ipso textu patet nuptias secundas permissas fuisse, nec posse per sese damnari : attamen eos, qui secundas nuptias ineunt, Athenagoras improbat, quod ipsi discedant ab ea matrimonii ratione, quam Deus ab initio instituerat, dum unicam Adae uxorem condidit, et quod prioris vinculi obliti videantur. Nulla igitur sufficienti ratione Tillemontius suspicatus est Athenagoram hac de causa Montanistica labe infectum (25). Quin potius innuit saltem indirecte veram Ecclesiae doctrinam (26).

S. Irenaeus pariter secundas et ulteriores nuptias reprobasse visus est, dum scribit : «Samaritanae illi praevaricatrici, quae in » uno viro non mansit, sed fornicata est in multis nuptiis (27). » Ast res est maxime incerta, cum iuxta nonnullos Patres et interpretes quinque priores viri fuerint legitimi (28), iuxta alios vero adulteri, seu fornicarii, ita ut illa in meretricio quaestu ac libidine vixerit, seu ab illis repudiata fuerit (29). Quapropter ideo S. Irenaeus scripsit fornicatam Samaritanam in multis nuptiis, non quod censuerit illegitimas generatim esse secundas et ulteriores nuptias, sed quod illegitimas ac fornicarias existimaverit nominatim fuisse, quas illa inierat (30).

(25) *Mémoires pour servir à l'hist. Eccles.* tom. II *Persecut. sous l'empereur Marc Aurel.* art. VIII. p. 323.

(26) Cf. Maran. in not. ad. h. loc.

(27) Lib. III. *Cont. haeres.* cap. XVII. ed. Massueti alias XIX. n. 2.

(28) Cf. Toletum in h. loc.

(29) Cf. Maldonat. et Calmet.

(30) Atque ita exponit haec S. Irenaei verba Fevardentius dicens annot. in

Sic etiam quasi improbantis uti illegitimas secundas nuptias Iustini effatum solet in medium afferri : « Quemadmodum etiam » qui ex lege humana digamiam ineunt, peccatores sunt apud nostrum Magistrum, ita et qui mulierem adspiciunt, ut eam » concupiscant (31). » Ast si orationis seriem expendamus, patebit S. Martyrem haud damnasse secundas nuptias, quas *successivas* dicimus, sed vel eas vituperasse, quae non soluto priore vinculo contrahuntur, ut vult Maranus (32); vel eas nuptias damnasse, quas uxore secundum leges dimissa, quis contraheret cum altera foemina, ut alii contendunt (33); seu denique dam-

hunc loc. « Non secundas vel tertias damnat nuptias; sed multorum adulterio- » rum ream Samaritidem intelligit. » Neque ab hoc sensu abludit Grabius. Et sane quomodo potuisset S. Irenaeus damnare in Samaritana polygamiam successivam ante promulgationem legis evangelicae, cum in veteri Test. concederetur viris etiam polygamia simultanea ?

(31) *Apolog.* I. n. 15.

(32) In hunc locum nota *d*.

(33) Uti ex protestantibus tenent Thirbius et Ritterus in notis ed. novae opp. S. Iustini ab Otto adornatae Ienae 1847. in 8 tomi I. pag. 38. ubi legitur : « *διγαμίας*. Hac voce Maranus opinatus est nuptias a Iustino vituperari, quae » non soluto priore vinculo contrahuntur, (theologi *polygamiam simultaneam* » vocant). Braunius secundum contendit matrimonium (*τους δεύτερους γάμους* » *scil. bigamiam successivam*) improbari; Thirbius et Ritterus melius intellixe- » runt secundas nuptias *post divortia* contractas, nec vetitas legibus humanis. » Hic enim (animadv. in primam S. Iustini m. apolog. p. 14. seq.) : « Non in- » quit, negamus S. Iustinum improbasse secunda matrimonia successiva, quae » mortua altera parte ineuntur, quemadmodum plerique veteres Ecclesiae » Patres fecere ; verum ex eo non sequitur scriptorem hoc loco prae oculis » habuisse et nomine *peccati* notasse : nam improbare aliquid et pro peccato » habere plurimum inter se differunt. Notum est Patres voce *διγαμία* triplici » significatione uti, et primum quidem, cum quis binas habeat uxores; deinde » cum quis matrimonio prioris coniugis morte sublato ad secundas nuptias » transierit, denique tertio loco, si quis uxore secundum leges dimissa aliam » duxerit. Tantum de tertii matrimonii genere hoc loco Iustinum agere ex eo » patet, quod in praecedenti oratione ex verbis Christi ad moechiam spectantia » duo notaverat atque edixerat, primum si quis adspexerit mulierem ad concu- » piscendam eam, iam eam moechatum esse in corde suo, et si quis dimissam » ab alio uxorem duxisset. Duo haecce genera repetit hoc addens : secundum » doctrinam christianam alterum quoque hoc adulterium esse, quamvis leges » humanae soluto inter vivos matrimonio ad aliud procedere permittant. »

nasse polygamiam *simultaneam*. Sane adduxerat Iustinus immediate ante Christi verba ex Matth. XIX, 12. *Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur*, ubi de secundis nuptiis nulla est mentio.

Quod vero attinet ad Minucium Felicem, quem pariter adversantem secundis nuptiis plures perhibent, nobis videntur non solido niti fundamento qui id affirmant. Duo sunt loca, quae ex eo in hanc sententiam proferuntur, quorum prior ita se habet : « Alia sacra coronat univira, alia multivira; et magna religione » conquiritur, quae plura possit adulteria numerare (34). » Posterior vero sic est : « Nos pudorem non facie, sed mente praesta- » mus. Unius matrimonii vinculo *libenter* inhaeremus. Cupiditate » procreandi, aut unam scimus aut nullam (35). » Verum ex primis verbis nullum potest argumentum colligi, quo reprobatas a christianis fuisse secundas nuptias evincatur; nec enim ea ad christianos referuntur, sed ad ethnicos, quorum interlocutor suggillat mores ac superstitiosos ritus. Illa praeterea *multivira* potest esse, quae iuxta leges Romanas pluribus nupserit maritis post divortium; nam polygamia simultanea legibus illis non permittebatur, ut vidimus. Hinc recte ea traducitur uti adultera ob illicitas eius coniunctiones, immo illegitimas et nullas iure divino. Ex altero autem textu patefit singularis christianorum amor erga continentiam, ac recepta consuetudo abstinendi a secundis nuptiis defuncto alterutro coniuge, ut paulo ante animadvertimus : at quod fornicariae haberentur secundae nuptiae, id a Minucio non dicitur.

Postrema haec animadversio iuvat, ut recte mentem assequamur plurium veterum, qui adduci solent veluti digamiae adversarii, qui tamen digamiam non improbant, sed solummodo institutum et consuetudinem primorum christianorum laudant, qui ut plurimum post interitum alterutrius coniugis in castitate seu viduitate manebant, quin aliis nuptiis se implicarent.

Ita exponenda sunt verba Theophili Antiocheni, qui ait :

(34) In *Octavio* n. 24. apud Galland. *Bibl.* pp. tom. II. p. 394.
(35) Ibid. n. 31. p. 399.

« Apud quos (christianos) adest temperantia, continentia coli-
» tur, unicum matrimonium (μονογαμία) servatur, castimonia,
» custoditur (36) ; » quibus commendatur quidem monogamia, usus communiter receptus servandae castimoniae adstruitur, sed non ideo secundae nuptiae uti vetitae proscribuntur.

De mente Clementis Alexandr. S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Io. Chrysostomi, S. Hieronymi, quin eorum testimonia singillatim persequamur, ex iis, quae paulo ante adduximus satis constat. Nam isti omnes in eo conveniunt, ut professionem continentiae post viduitatem extollant, quemadmodum virginitatis seu caelibatus statum statui coniugali anteponunt. Haec constans est sentiendi et scribendi ratio apud Patres : alterum alteri statum ceu perfectiorem minus perfecto praeferunt, at non ideo damnant velut peccatum alteram professionem. In secundis praeterea nuptiis, cum peculiaris ratio ad eas cohonestandas non intercedit, deprehendunt, ut alias adnotavimus, quoddam intemperantiae aut incontinentiae indicium, et hac de causa eas interdum carpunt, idque ex amore, quo iuxta Christi et apostolorum spiritum erga castitatem et continentiam ferebantur.

Neque ab istorum censu Origenem ipsum excludimus , cuius etiam verba dedimus. Nam licet is quandoque ita locutus esse videatur, ac si secundae nuptiae a regno Dei excluderent, tamen in eo ipso contextu ea continet, quae sinceram doctrinam prae se ferunt : Sic enim scribit : « Bonum est et primum (matrimo-
» nium), si qua potest virginitatis gratiam possidere. Si autem
» hoc non potuerit, sed evenerit ei ut perdat virum, vidua per-
» severet. Quod quidem non solum post mortem viri, sed etiam
» cum ille vivit, debet habere in animo, ut etiam si non venerit
» voluntas ipsius et propositum, a Domino coronetur et dicat :
» Hoc voveo atque promitto , si mihi humanum aliquid , quod
» non opto, contigerit, nihil aliud faciam, quam incontaminata

(36) Lib. III, ad. Autolyc: § 16.*Bibl.* pp. Gallandii tom. II. pag. 128.

» viduaque perseverem. Nunc vero et secundae et tertiae et » quartae nuptiae, ut de pluribus taceam, reperiuntur, et non » ignoramus, quod tale coniugium eiiciet nos de regno Dei. » Sicut enim ab ecclesiasticis dignitatibus non solum fornicatio, » sed et nuptiae repellunt. Neque enim episcopus, nec presby- » ter, nec diaconus, nec vidua (diaconissa), possunt esse di- » gami: sic forsitan et de coetu primitivorum immaculatorum- » que Ecclesiae... eiicietur digamus: *Non quo in aeternum* » *mittatur incendium*, sed quo partem non habeat in regno » Dei... Puto enim monogamum et virginem et eum, qui in » castimonia perseverat, esse de Ecclesia Dei: eum vero, qui sit » digamus, licet bonam habeat conversationem, et caeteris vir- » tutibus polleat, tamen non esse de Ecclesia, et de eo numero, » qui non habent rugam aut maculam, aut aliquid istiusmodi: » sed esse de secundo gradu... et *qui salvantur quidem* in no- » mine Iesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo (37).»

Igitur Origenes hoc in loco *regni Dei* nomine minime significat coelestem beatitudinem, neque *Ecclesiae* voce militantem Ecclesiam, sed peculiarem perfectorum coetum, qui in primo perfectionis gradu consistunt, ad quem spectant virgines et monogami peculiari gloria et corona donandi, a qua excludun- tur bigami, utpote imperfecti et ad secundum gradum deiecti; verumtamen ex Origene hi ipsi *salvantur*, adeoque ex eius mente non illicito utuntur concubitu.

Ex horum documentorum disquisitione et examine facile est colligere haud multos esse ex veteribus Patribus, qui bigamiam habuerint ut illegitimam, prout vulgo traditur (38), sed aut omnino paucos, et fortasse, ne unum quidem. Si enim hermeneutica diligentia veterum testimonia expendantur, patet non aliam fuisse eorum mentem, quam ut ad maiorem perfectionem fideles in custodienda castitate post viduitatem excitarent, atque

(37) Hom. XVII. in Luc. ed. De la Rue. opp. tom. III. pag. 953.

(38) Uti Maran adn. in lib. III. S. Irenaei, item in loc. cit. Athenagorae, Otto in nova edit. opp. S. Iustini, Cotelerius in not. cit. ad mandat. IV. Pastoris, Martene *De antiquis eccles. Ritibus* lib. I. cap. IX. art. I. n. 4. etc.

ab eo, quod minus decet, retraherent. Sane Cotelerius, qui pro eruditione sua quotquot potuit in hanc sententiam collegit, nonnisi undecim recensuit testimonia, nempe Athenagorae, Theophili Antiocheni, Irenaei, Tertulliani adhuc catholici, Minucii Felicis, Origenis, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Amphilochii, Ambrosii et Hieronymi (39). Porro hi Patres ad unum omnes, ut ostendimus, catholicum sensum praeseferunt. Hoc erat adnotandum ad vindicias Patrum agendas, quos protestantes vellicare gestiunt (40).

Sed si ita est, regeret aliquis, qui factum est ut digami ab Ecclesia variis poenis pro temporum varietate plecterentur? Responsio ex dictis in promptu est, quia ipsa quamdam deprehendit in his nuptiarum iteratoribus incontinentiae labem, eo ipso quod Apostolus has secundas nuptias solum indulserit atque permiserit habita ratione horum infirmitatis, dicens: « Quod si non se continent, nubant, melius est enim nubere » quam uri (41). »

Atque haec est ratio, quam praebent quotquot durius de secundis nuptiis loqui visi sunt. Iuverit uno alterove veterum testimonio id adstruere, ut melius illorum mens innotescat. Omissis autem Clemente Alex., Origene, Theophilo Antiocheno,

(39) Coteler. in nota 34. ad lib. II. *Pastoris*.

(40) Cf. Ceiller, *Apologie de la morale des Pères de l'église* ed. Paris. 1718. pag. 31. seqq. necnon Mamachium, *Origin. et antiquit. christ*. Romae 1751. tom. III. lib. III. cap. 6. §. 4. p. 374. seq. Praecipue vero Daniel Tobenz in op *Examen tractatus Io. Barbeyraci de doctrina morali Patrum Ecclesiae*. Vindob. 1785. Hic enim calamum strinxit adversus Barbeyracum post Buddaeum Lutheranum, qui et ipse insurrexit adversus eundem in *Isagoge historico-theologica*. Lips. 1727. duob. vol. in 4. lib. II. cap. 4. Nec non post doctum Liberatum Fassonium in op. *De morali Patrum doctrina adversus librum Io. Barbeyraci*. Liburni 1767.

(41) I. Cor. VII. 9. Quinimmo inveni in capitulis Theodori, Cantuariens. archiepiscopi, cap. XVI. his verbis expressum: « In *primo* coniugio debet pres» byter missam agere, et benedicere ambos: et postea *abstineant se ab Eccle*» *sia triginta diebus*; quibus peractis *poeniteant* XL. *diebus* et vacent orationi » et postea communicent cum oblatione.» Apud Dacherium *Spicileg*. tom. IX. pag. 54.

Basilio, Gregorio Nazianzeno aliisque, quorum verba iam protulimus, Auctor commentarii in epistolas S. Pauli sub S. Ambrosii nomine, ita loquitur: « Quamquam a Deo primae nuptiae sint, *secundae vero permissae sunt.* Denique primae nuptiae » sub benedictione Dei celebrantur sublimiter: secundae autem » etiam in praesenti carent gloria; *concessae sunt autem propter* » *incontinentiam:* et quia solent viduarum iuniores incurrere; » ac per hoc concedit secundas (42).» Sic etiam Auctor operis imperfecti in Matthaeum loquitur: « Apostoli praeceperunt se- » cundas adire nuptias, *propter incontinentiam hominum.* Nam » secundam quidem accipere, secundum praeceptum Apostoli » est: secundum autem veritatis rationem, vere fornicatio est; » sed dum permittente Deo publice et licenter committitur, fit » honesta fornicatio (43); » ut alios praeteream.

Hac ipsa de causa factum est, ut secundae nuptiae in Ecclesia parum honorificae haberentur. Siquidem Ecclesia digamos a sacris ordinibus tanquam irregulares adhuc arcet; antiquitus autem etiam poenitentiae subiecit. Cuius rei monumenta indubia extant in veteribus constitutionibus. De iis, qui ob bigamiam a sacris arcentur ordinibus, monumentum extat in ipsis canonibus apostolicis: «Si quis post baptismum secundis nuptiis copula- » tus... non potest esse episcopus, non presbyter, aut diaconus, » aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deser- » viunt (44).» Hic canon exactus est ad normam apostoli Pauli,

(42) Comm. in 1. Cor. VII. 40. In append. ad opp. S. Ambrosii ed. Maur. tom. II. col. 138.

(43) Homil. XXXII. in Matth. in append. opp. S. Io. Chrysost. ed. Maur. tom. VI. pag. CXXXIV. etsi hic auctor secundas nuptias absolute non improbet, nemo tamen negaverit ipsum temere de eis fuisse locutum dum secundas nuptias permissas ab Apostolo comparat cum permissione facta a Mose dandi libellum repudii. Nec mirum; hic enim auctor utpote arianus et anomaeus in plures errores lapsus est. Inter quos et hic recensetur de secundis nuptiis. Cf. *Diatribam ad opus imperfectum in Matthaeum, quod Chrysostomi nomine circumfert* a Maurin. editore, Monfauconio, praemissa loc. cit. pag. I. §. VI. et VII.

(44) Can. XVII. vers. Dyonisii Exigui apud Cotelerium *PP. Apost.* vol. I. p. 456. ed. Antwerp. 1698. In quem canon. Cf. Guillelmi Beveregii annotationes ib. pag. 463.

qui I. Tim. III. praecipit, episcopum unius uxoris virum esse debere, seu neminem eligendum in episcopum, nisi qui fuerit unius uxoris vir, idem statuit de eligendo in presbyterum Tit. I, 6. et in diaconum I. Tim. III, 12. unde Origenes: « Nec episcopus, nec presbyter, nec diaconus, nec vidua pos- » sunt esse digami (45). »

Poenitentiae praeterea publicae addictos quondam digamos fuisse exploratum pariter est, ut constat ex concilio Neocaesariensi quod can. III. statuit « De his, qui saepius nubunt *tempus qui-* » *dem poenitentiae* quod his constitutum est observandum; sed » conversatio et fides eorum tempus abbreviabit. » Et can. VII. « Presbyterum convivio secundarum nuptiarum interesse non » debere; maxime cum precipiatur *secundis nuptiis poenitentiam* » tribuere. Qui ergo erit presbyter, qui propter convivium illis » consentiat nuptiis (46)? »

Idem constat ex conc. Ancyrano, quod can. XIX. sanxit: » Quotquot virginitatem promittentes irritam faciunt sponsionem » suam, inter bigamos censeantur (47). » Nempe subiiciantur eidem poenitentiae, qua bigami obstricti sunt; nec non ex concilio Laodiceno, a quo can. I. statutum invenimus: « De his... qui » secundis nuptiis iuncti sunt... oportet, ut parvo tempore » transacto, vacent orationibus et ieiuniis; quibus etiam, iuxta » indulgentiam, communionem reddi decrevimus (48). » Idem colligitur ex S. Basilio, qui in epist. prima canonica ad Amphilochium can. IV. « De trigamis, inquit, et polygamis definire » (Patres) eumdem canonem, quem et *de digamis* servata pro- » portione: annum videlicet in digamis (49). »

Adhuc sec. VII. et VIII. in capitulis Theodoro, archiepiscopo Cantuariensi, adscriptis invenimus: « Digamus poeniteat primo

(45) Hom. cit. XVII. in Luc. Cf. etiam Tertull. *De exhort. castit.* c. 7. Epiphanium *Exposit. fidei*, Hieronymum lib. I. adv. Iovin. et in epist. ad Ageruch. de monogamia etc.

(46) Apud Hard. *Acta concil.* tom. 1. col. 284. celebratum est autem an. 314.

(47) Ibid. col. 279. ex vers. Isid.

(48) Ib. col. 781. ex vers. Dionysii.

(49) Ep. ed. Maur. CLXXVIII. opp. tom. III. p. 271.

» anno, quarta feria et sexta feria, et in quadragesimis tribus » abstineat se a carnibus, et separetur. » Huc pariter capitulum » refertur paulo ante adductum ex eodem Poenitentiali Theodori » Cantuariensis (50). » Idem constituit Ecgbertus Eboracensis, qui bigamos ad abstinentiam a carnibus damnavit integro anno feriis IV. et VI. et spatio trium quadragesimarum ; vetuitque quominus sacerdotes assisterent convivio bigamorum (51).

Insuper bigamis passim denegabatur in nuptiarum celebratione benedictio sacerdotalis, prout disertis verbis tradit S. Caesarius Arelatensis dicens : « Qui uxorem optat accipere, sicut » illam virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias » virgo sit : quia si non fuerit, benedictionem accipere cum » sponsa sua non merebitur (52). » Idipsum testatus antea iam fuerat Ambrosiaster ut ex allatis eius verbis constat, dum in suo commentario in 1. Cor. VII. « Primae nuptiae, scribit, sub » benedictione Dei celebrantur sublimiter : secundae autem » etiam in praesenti carent gloria (nempe benedictione) (53). » Idem eruitur ex lib. VII. Capitularium regum Francorum, quo decernitur : « Nemo usque affinitatis lineam ex propinquitate » sui sanguinis connubia ducat, neque *viginibus* sine benedic- » tione sacerdotis, quis nubere praesumat... tunc si *virgo* fuerit » cum benedictione sacerdotis... ducenda est uxor (54), » ex quibus patet eos, qui iterum nubebant, benedictione caruisse. Et Alexander III. « Capellanum, quem benedictione cum se- » cunda constiterit celebrasse, ab officio beneficioque suspen-

(50) In *Spicilegio Dacheriano* Paris. 1669. tom. IX. can. XIV. pag. 54. Huc pariter refertur capitulum paulo ante relatum ex eodem Poenitentiali Theodori Cantuariensis.

(51) Apud David. Wilkins *Concilia magnae* Britanniae. Lond. 1737. tom. I. pag. 101 seq. *Excerption. D. Ecgberti Eborac. arch.* can. XCI. pag. 106, Cf. etiam *Poenitent.* ibid.

(52) Serm. 289 in append. ed. Maur. opp. S. Augustini tom. V n. 5. col. 482. Si tamen hic sermo est de bigamis, et non potius de iis, qui ante nuptias adulterinum commercium habuissent.

(53) Loc. cit.

(54) In Capitulario reg. Franc. ex ed. Baluzii cap. CLXXIX. pag. 1065.

» sum (55) » esse declarat. Hinc Durandus : « Nuptiae, inquit, » benedicendae sunt a sacerdote cum precibus et oblationibus. » Verumtamen vir et mulier ad digamiam transiens, matrimo- » nium contrahendo non debet a presbyteris benedici (56). »

Apud Graecos pariter non coronabantur digami, cuius rei testis est Leo Allatius plura proferens documenta (57). Nos alias attulimus verba Theodori Studitae (58). Nicephorus etiam, patriarcha Constantinopolitanus, aperte statuit : « Digamus *non* » *coronatur*, sed poenis subiacet (59). » Usus tamen postea inolevit in Ecclesia Constantinopolitana ut contra caeterarum Graeciae ecclesiarum morem coronarentur ac benedicerentur etiam bigami, teste eodem Allatio qui scribit : « Ecclesiam » (ipsam Constant.) bigamis etiam sponsalitias coronas impo- » nere » , dum « Graeci omnes hoc tempore... digamos ubique » sine ulla benedictione coronant (60)» Goarius in Euchologio officium coronationis etiam pro bigamis exhibet (61). Verum, ut animadverterat iamdiu S. Theodorus Studita, eiusmodi coronatio aut benedictio, quae peracta poenitentia concedebatur bigamis, erat a benedictione et coronatione nuptiali plane diversa (62). Immo haec benedictio pro bigamis sero introducta est ex quadam disciplinae immutatione post Leonem imperatorem qui *Philosophus* est nuncupatus (63). Sic in concordiam revocantur, quae sibi invicem adversari videntur in ritibus Graecorum, dum ex una parte absolute dicitur in ipsorum eu-

(55) Tit. XXI. *De secundis nuptiis* in decreto lib. IV. cap. 1.

(56) In *Rationali* lib. I. cap. 9. Hic autem Durandus permisceri nequit cum altero Durando episcopo Sancti Porciani.

(57) *De perpetua consensione*, lib. III. cap. 15.

(58) Ex epist. 51. lib. 7. ad Naucratium, quae tota est de hoc argumento, apud Sirmundum tom. V.

(59) Apud Allatium l. c.

(60) Op. et l. cit. pag. 1134. et 1136.

(61) Pag. 403 seqq.

(62) Epist. cit.

(63) Renaudot. *Perpetuité de la foi* tom. V. pag. 457. nec non Chardon *Hist. des sacrem.* tom. VI. p. 208.

chologiis *digamus non coronatur* (64), ex altera vero invenimus officium peculiare pro coronatione digamorum.

Privabantur praeterea bigami Ecclesiae eleemosynis, uti testatur S. Hieronymus scribens: « Non solum ab officio sacerdo- » tali digamus excluditur; sed et ab eleemosyna Ecclesiae, dum » indigna putatur stipe, quae ad secunda coniugia devoluta » est (65). »

Denique nonnisi sub quibusdam conditionibus secundae nuptiae permittebantur, quarum prima fuit, ut integer ab obitu coniugis annus fluere deberet, antequam novae nuptiae inirentur: cuius conditionis mentio occurrit in actis S. Meygoldi martyris apud Bollandum, in quibus legitur: « Sicut igitur lex » canonica de viduis habet, transacto anno post obitum comitis » Willelmi, celebrantur nuptiae de Geita et Meygoldo (66). » Canon reperitur in capitulis ita dictis Theodori Cantuariensis » his verbis expressus: « Muliere mortua liceat viro post mor- » tem alteram accipere; mortuo vero viro, post annum liceat » mulieri alterum virum accipere (67).» Hic canon conformis fuit legi imperiali, quae extat in codice Theodosiano: « Si qua » ex foeminis perdito marito, intra anni spatium alteri festinavit » innubere: (parum enim temporis post X. menses servandum » adiicimus, tametsiexiguum putemus); probrosis iniusta notis, » honestioris nobilisque personae et decore et iure privetur; » atque omnia, quae de prioris mariti bonis vel iure sponsaliorum » vel iudicio defuncti coniugis consecuta fuerat, amittat. Et sciat » nec de nostro beneficio vel adhortatione sperandum sibi esse » subsidium (68).» Hunc autem canonem ac legem Innocen-

(44) Δίγαμος μὴ στεφανώται. Euchol. p. 601.

(65) Epist. cit. ad Ageruchiam. n. 6. ed. Vall. tom. I. col. 898.

(66) Ad diem 8. Feb. tom. II. pag. 193, col. 2. n. 7. floruit porro hic Meyngoldus seu Mengoldus ac martyrio functus est sec. X.

(67) In *Spicilegio* Dacherii tom. IX. pag. 58. cap. LXXII. Haec ipsa totidem verbis leguntur in *Excerptis* Ecgberti, Eboracensis archiepiscopi, c. 116.

(68) Lib. III. tit. 8. leg. I. *De secundis nuptiis*, lata autem lex est Eucherio et Syagrio consulibus an. 383. Lex porro haec fuit veterum Romanorum a Romulo ipso constituta, cum annus Romanus decem tantum mensibus constaret.

tius III. abrogavit definiens: « Cum secundum Apostolum mu-
» lier mortuo viro suo ab eius sit lege soluta, et nubendi, cui
» velit, *tantum in Domino*, liberam habeat facultatem, non
» debet legalis infamiae sustinere iacturam, quae licet post viri
» obitum intra tempus luctus, (scilicet unius anni spatium,) nu-
» bat, concessa sibi ab Apostolo utitur potestate: cum in his
praesertim saeculares leges non dedignentur sacros cano-
» nes imitari (69). »

Altera conditio, qua saltem alicubi tenebantur, quicumque iterum vellent nubere, haec erat, ut novum non celebrarent coniugium absque sacerdotum et populi consensu, prout constitutum reperitur in Capitularibus regum Francorum; ne christiani « viduas absque suorum sacerdotum consensu et conlibentia » plebis ducere praesumant (70).» Hanc tamen conditionem ab Ecclesia nunquam adoptatam censeo.

Ex quibus omnibus pronum est inferre, Ecclesiam semper aegre tulisse secundas nuptias, etsi eas nunquam prohibuerit. Nec mirum cuique esse debet, si Ecclesia minus se erga eiusmodi iterata coniugia propensam exhibuit ob indicium, quod ea praeferre videntur animi non admodum continentis pudicique; cum vel apud ipsos ethnicos haec opinio invaluerit (71), adeo ut di-

Licet autem postea a Numa annus protractus fuerit ad menses duodecim, tamen nihil immutatum est circa menses decem viduitatis, adeo ut quoties invenitur penes veteres viduam post mariti obitum lugere per annum, hoc de anno Romano decem mensium tantum intelligi debeat. Atque ita res perduravit, donec Theodosius duos adiecerit menses, confeceritque annum integrum. Cf. Bingham *Origin. ecclesiast.* tom. IX. lib. 22. cap. 2. §. 8.

(69) Lib. IV. *Decretal. tit. De secundis nuptiis* cap. ult. Idem cap. 4. *Super illam* ibid. statuit Urbanus III. atque hoc merito, nam ex allata Pauli sententia revocatae sunt omnes poenae et infamiae, quae secundum leges civiles mulieri secundo nubenti infligebantur; maxime si infra tempus luctus, id est infra annum, aut infra decem menses nuberet. Hinc Plutarchus in Antonio refert, Octaviam, sororem Augusti Caesaris, senatus consulto, et auctoritate dispensatam, ut iure posset M. Antonio nubere ante decem menses a viri obitu.

(70) Lib. VI. n. 408.

(71) Hinc Virgilius sic introducit Didonem dicentem:

gami passim despicerentur, ac magno in pretio et existimatione haberentur, quae fidem primo marito defuncto semper servassent.

ARTICULUS II. — Doctrina Ecclesiae ac disciplina circa trigamiam ulteriores-que nuptias successivas exponitur ac vindicatur.

Dubium non est de legitimitate trigamiae et subsequentium coniugiorum, idem esse ferendum iudicium ac de digamia. Hoc solum intercedit discrimen iuxta veterem disciplinam, quod severiori poenitentia multati fuerint, qui ad ulteriores nuptias transiissent, quam qui iterato semel connubio contenti fuissent, ob maiorem incontinentiam, quam praese ferebant. Idque tum in Ecclesia occidentali tum potissimum in orientali, quae iugiter se magis adversam his successivis nuptiis exhibuit.

Peculiarem nihilominus proposuimus de hisce ulterioribus coniugiis tractationem instituere, ut veteris Ecclesiae sensum circa illa patefaceremus contra nonnullos, qui contendere visi sunt, Ecclesiam modum excessisse spectando, ut ipsi autumant, eiusmodi matrimonia tanquam absolute illicita immo etiam illegitima ac nulla. At vero rigor ille non dogma sed solam disciplinam attingebat.

Sane nulla erat ratio, quare Ecclesia trigamiam aut tetragamiam ulterioresque nuptias damnaret, dum digamiam toleraret probaretque. Siquidem eidem fundamento omnes eiusmodi coniunctiones, quae priori succedebant, innitebantur, verbis scilicet Apostoli tum in Ep. ad Rom. « Si mortuus fuerit vir eius, libe-» rata est (mulier) a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum » alio viro; » tum in I. Ep. ad Corinth. « Dico autem non nuptis » *et viduis*, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. » Quod si non se continent, nubant; » et iterum : « Mulier alli-» gata est legi, quanto tempore vir eius vivit, quod si dormierit

Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Huic uni forsan potui succumbere culpae.

In lib. IV. V. 15-19. ubi repetere nuptias Dido *culpam* vocare non abnuit.

» vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. »

Quae sententiae generales sunt. neque coarctant nuptiarum repetitionem ad unam vel alteram tantum, sed indefinite sese extendunt ad tertias, quartas aut quintas nuptias, prout iamdiu adverterat S. Augustinus, licet viduitatem prae nuptiis et commendet et suadeat : « De tertiis, inquit, et de quartis nuptiis » solent homines movere quaestionem. Unde, ut breviter respon- » deam, nec ullas nuptias audeo damnare.... Quis enim sum, » qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definiisse? » Ait enim : *Mulier alligata est quamdiu vir eius vivit.* Non » dixit, primas, aut secundas, aut tertias, aut quartas : sed, » *mulier*, inquit, *alligata est, quamdiu vir eius vivit, si autem* » *mortuus fuerit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum* » *in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit.* Quid huic » sententiae, quantum ad hanc rem adtinet, addi vel detrahi » possit, ignoro.... Quapropter nec contra humanae verecundiae » sensum audeo dicere, ut quotiens voluerit, viris mortuis, nubat » foemina : nec ex meo corde praeter Scripturae sanctae aucto- » ritatem, quotaslibet nuptias audeo condemnare (72). »

Haec confirmantur ex iis, quae respondit Christus Dominus Sadducaeis ab eo sciscitantibus cuius futura esset uxor, quae septem fratribus nupserat. Nam eam non damnat, quod septem viris nupsisset, ut iterum observat S. Augustinus scribens : « Ipsum quoque apostolorum magistrum et Dominum » audio Sadducaeis respondentem, cum proposuissent mulierem » non univiram, vel biviram, sed, si dici potest, septiviram, in » resurrectione cuius futura esset uxor. Increpans enim eos » ait, *Erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei. In* » *resurrectione enim nec nubent, nec uxores ducent : non enim* » *incipient mori, sed erunt aequales angelis Dei.* Eorum itaque » resurrectionem commemoravit, qui resurgent ad vitam, non » qui resurgent ad poenam. Potuit ergo dicere, erratis nescien- » tes Scripturas neque virtutem Dei, in illa enim resurrectione » multinubae istae esse non poterunt : deinde addere, quia nec

(72) Lib. *De Bono viduitat.* Cap. XII. ed. Maur. opp. tom. VI. col. 576 seq.

» aliqua ibi nubit. Sed nec ipsam, ut videmus, tot maritorum » mulierem ulla suae sententiae significatione damnavit (73). »

Nec ab Augustini sensu reliqui Patres abscedunt, etsi interdum eiusmodi connubia acerbe perstringant atque damnare videantur. Ita Clemens Alexandr. qui ita disserit : « Quemadmodum avaritia, et plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut » quae adversatur sufficientiae ; et ut idololatria est ex uno in » multos Dei attributio, ita fornicatio est ab uno matrimonio ad » plura prolapsio (74), » nec non S. Gregorius Nazianzenus, qui Apostoli verba *sacramentum hoc magnum est, etc.*, expendens : haec scribit : « Hac oratione secundas nuptias mihi deprecari videtur. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint, » et duae uxores : si autem unus Christus, unum Ecclesiae » caput ; una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod » si secundum prohibeat, de tertio quid dicendum est ? Primum » lex est, secundum venia et indulgentia, *tertium iniquitas :* qui » autem hunc numerum excedit, porcinus plane est, utpote ne » multa quidem vitii exempla habens (75). »

Sed prae caeteris S. Basilius in tertias et quartas nuptias invehitur. Siquidem canone L. Epistolae canonicae II. ad Amphilochium ita constituit : « Trigamiae lex non est. Quare lege matri- » monium tertium non contrahitur. Ac talia quidem, ut Ecclesiae » inquinamenta habemus, sed condemnationibus publicis » non subiicimus, ut soluta fornicatione magis eligenda (76). » Et iterum in altera epist. canonica scilicet III. ad eumdem, can. LXXX. « Polygamiam, inquit, Patres silentio praetermiserunt, » ut belluinam, prorsusque ab hominum genere alienam. Ea » autem nobis videtur peccatum esse fornicatione maius. Quapropter consentaneum est eos subiici canonibus, ut scilicet » postquam anno fleverint, et tribus substrati fuerint, sic suscipiantur (77). »

(73) Ibid.
(74) *Strom.* lib. III. pag. 464. ed. cit.
(75) *Orat.* XXXI. Opp. ed. Paris. 1630. Tom. I. pag. 501.
(76) Epist. ed. Maur. CXCIX. p. 297.
(77) Epist. CCXVII. pag. 329.

Iam vero hos Patres ex amore, quo ferebantur in castitatem ac caelibatum, reprehendere potius ita nubentes quam *nuptias* ipsas inde patet, quod perpetuo insistant in incontinentia huiusmodi sive virorum sive mulierum, quod animum gerant in libidinem effusum. Sane argumenta quae proferunt eiusmodi sunt, ut si presse urgerentur, non minus afficerent tertias et quartas ulterioresque nuptias quam secundas, quas tamen ex venia et indulgentia permitti ultro affirmant. Oculos praeterea intendunt in Ecclesiae disciplinam severiorem erga trigamos et tetragamos quam in digamos. Porro si Ecclesia poenitentiae etiam digamos subdebat, quanto magis tertio aut quarto nubentes? Accedit quod ecclesia Graeca et cum ea ecclesia orientalis universa velut illegitimam tetragamiam respuerit lege canonica, quae sin minus universim, saltem in plerisque ecclesiis obtinebat; multo vero magis ulteriores nuptias, quas decrevit esse nullas, apposito impedimento dirimente, quod lege ipsa civili adoptatum est, adeoque non *per se* eiusmodi nuptias reprobarunt antiqui Patres, sed ob ecclesiasticam legem, qua nullae declaratae sunt, nec universe quidem.

Theodorus Balsamon, celebris orientalis ecclesiae iuris canonici peritus, refert, antiquam legem uti legitimas agnovisse etiam tertias nuptias, (liberosque exinde ortos uti haeredes, qui erant sub parentum potestate). Ast canones sanctorum Patrum, ait ipse, non modo haud agnoscunt tertium coniugium, verum etiam adiudicant secundum mediocri poenitentiae. Tempore imperatoris Leonis *philosophi* magna turbatio excitata est in omnibus mundi ecclesiis (78), quia se iunxit non modo in tertiis, sed in quartis nuptiis. Hac super re congregatio omnium ferme episcoporum cunctarum provinciarum orientalis imperii coadunata est indictione VIII. anno ab orbe condito 6428. et ab incarnatione 921. In ea discussio facta est, quaenam coniugia possent uti legitima admitti, quaenam vero reiici deberent (79). Qui

(78) Nempe in ecclesia orientali, siquidem in ecclesia occidentali res aliter se habuit, ut postea expendemus.

(79) *Iur. Orient.* I. 5. p. 389. apud. Renaudot. op. et loc. cit.

deinde refert, postea sub imperio Constantini porphyrogenitae, ac Romani, ipsius generi, constitutum fuisse, post varias consultationes ac severum examen, *tomum synodicum* ab imperatore firmatum, ac declaratum esse quartas nuptias abolendas (80); demum refert constitutum fuisse in eodem tomo synodico eos, qui non excessissent quadragesimum aetatis annum, si post secundas nuptias liberos non habuissent, posse tertium contrahere coniugium, ut defectui posteritatis supplerent; ita tamen ut quinquennio subiicerentur poenitentiae et absque communione permanerent. Insuper eamdem veniam datam fuisse tertio iterandi nuptias iis, qui vidui extitissent an. aetatis trigesimo ob aetatis infirmitatem, etiamsi liberos suscepissent; privati tamen essent quadriennio communione, quo tempore elapso, ad eam admittebantur saltem ter in anno. Balsamon nihilominus addit tomum unionis veluti legem civilem habitum fuisse, et Ecclesiam usque ad suam aetatem tertias nuptias non permisisse (81). Postea tamen alia consuetudo in ecclesia Graeca inolevit (82).

Itaque ex his manifeste colligitur non ad dogma, sed ad disciplinam pertinere severam polygamiae successivae prohibitionem, quae in ecclesia Graeca et orientali viguit, et adhuc, saltem ex parte viget, in qua velut impedimentum dirimens in tetragamia ac polygamia generatim constitutum fuit, atque ab immemorabili servatum (83).

(80) Ibid.

(81) Ibid. Cf. etiam Photii *Nomocanon*. Tit. XIII. *in Biblioth. iuris canonici veteris* Voëlli, Paris. 1611. Tom. II. pag. 1080.

(82) Cf. Renaud. loc. cit. pag. 407. cf. etiam Arcadium op. cit., c. 25 ubi fusius, quae Balsamon obiter ac strictim refert, enarrat, ostenditque postea licitas vel apud Graecos et orientales reliquos tertias nuptias evasisse. Non tamen mihi omnia probantur, quae idem auctor illic habet.

(83) Cf. Arcadium l. c. pag. 550. col. 1. ubi scribit: « Cum *canonico iure* » quartae nuptiae apud Graecos omnino sublatae sint. » Verum de his quartis nuptiis apposite nonnulla addemus paulo post, ob gravia iurgia propter eas excitata. Id ipsum censuit cl. card. Maius, qui in praef. ad vol. X. *Spicilegii Romani*, pag. XVI. scribit: « Quod denique quartas nuptias Nicolaus, (cognomento *Mysticus*, patriarcha Constantinopolitanus) πορνείαν, *fornicationem*, vel » potius quiddam, audet cum priscis aliquot appellare pag. 295. id non aliter

Quapropter, ut supra generatim innuimus, antiqui illi Patres quorum testimonia descripsimus cohaerenter ad illam disciplinam ac legem canonicam locuti sunt, dum tertio et quarto repetitas nuptias damnarunt (84).

Sane argumentum, quod profert S. Gregorius Nazianzenus, impeteret etiam secundas nuptias, si quid valeret. Quando autem *iniquitatem* vocat tertias nuptias, ac porcinum ulterius nuncupat matrimonium, referri id debet ad legem ecclesiasticam ecclesiae Graecae, quae ulteriores has nuptias tanquam illegitimas respuebat, et ad animum incontinentem eorum, qui se his nuptiis implicabant.

Eadem ratione exponi debet S. Basilius immo vero longe potiori iure, nisi velimus eum secum committere. Ut enim apposite scribit Arcudius : « Non video, quomodo haec sibi invicem » cohaereant, ut trigamia sit fornicatio tantum non relaxata » et ad unius foeminae complexus contracta, et tamen non » dissolvatur : sed peracta aliquot annorum poenitentia trigami » admittantur ad participanda Ecclesiae sacramenta, cum inter» rim simul habitent et procreent liberos. Si enim trigamia est » fornicatio, non potest Ecclesia Dei, ornatissima sponsa » Christi, quae sine ruga est, non habens maculam, eiusmodi » peccatum permittere. Quod si permittit, igitur non est forni» catio : quippe fornicatio non est aliquid indifferens, ut possit » subire rationem boni et mali ; sed si fornicatio est, semper » mala est (85). » Et reipsa vidimus in art. praecedenti S. Basilium statuisse « de trigamis et polygamis definire (Patres)

» intelligo, quam *de impedimento*, ut aiunt, *dirimente, quod auctoritate eccle*» *siastica interpositum, nullas reapse reddit nuptias, quamdiu tenet ;* ideoque » ipsorum usus a πορνείας labe non differt. »

(84) Censet idem auctor, S. Basilium et Gregorium Nazianzenum in suis ecclesiis ex iusta causa quaedam matrimonia irritasse. Ibid. p. 551.

(85) *De concordia* etc. lib. 7. cap. 78. Nonnulli, ut Zonaras, Balsamon, aliique censent, S. Basilium in can. 89. non loqui de trigamia sed de tetragamia, quae per leges prohibita erat. Verum hae sunt merae coniecturae. Maurini sane editores ab hac sententia recedunt gravibus argumentis innixi, quae in nota, quam ad hunc can. 80. apponunt, videri possunt.

» eumdem canonem, quem et de digamis, servata proportione :
» annum videlicet in digamis, alii vero duos annos : *Trigamos*
» *autem tribus et saepe quatuor annis segregant.* Id autem
» non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel po-
» tius *moderatam fornicationem*.... jam vero consuetudine ac-
» cepimus in trigamis quinquennii segregationem, non a cano-
» nibus, sed eos, qui praecesserunt, sequendo. Oportet autem
» eos *non omnino arcere ab Ecclesia*, sed auditione digamos
» duobus vel tribus annis, ac postea ipsis permittere, ut con-
» sistant quidem, abstineant vero a boni communione, et sic
» exhibito poenitentiae aliquo fructu, communionis loco resti-
» tuere (86). » Adeoque constat iuxta S. Basilium, non divino iure, sed iure tantum canonico trigamiam, multo vero magis tetragamiam vetitas fuisse, et quodam temperamento identidem circa trigamos opus fuisse ; prout reipsa postea factum est.

De tetragamia autem seu quartis nuptiis speciatim nonnulla addenda sunt. Hanc canonica auctoritate in ecclesia Graeca explosam fuisse uti fornicationem, aut fornicatione peiorem nullum dubium esse potest iuxta antiqua, quae suppetunt, documenta (87). Verum hic non steterunt nonnulli ex iis, qui tetragamium impugnarunt. Siquidem ob eximiam potissimum SS. Basilii ac Gregorii Nazianzeni auctoritatem factum est, ut aliquot tum antistites tum imperatores tetragamiam *divina lege* vetari censuerint. Haec potissima, immo unica ratio est, qua permotum se dicit Basilius Macedo ad quartas nuptias proscribendas peculiari Novella, quam his verbis conclusit : « Manifestum om-
» nibus esto, quod si quis ausus fuerit ad quartas nuptias, *non*

(86) Ep. CLXXXVIII. can. 14. p. 271. ed. cit.

(87) Etenim in *Constitutionibus*, *quae vulgo apostolicae* aut *Clementinae* nuncupantur, lib. 5. c. 2. legitur : « Id quoque scire debetis, primas quidem et unicas nuptias... iustas esse. Secundas vero post professionem nuptias, esse illicitas, non propter coniugium, sed propter mendacium ; tertias nuptias in-
» temperantiam demonstrare ; *at quodlibet post tertias nuptias matrimonium*
» *manifestam esse fornicationem et indubitabilem petulantiam.* » Apud Cotelier. *PP. Apost.* tom. I. p. 275. ed. Antwerp.

» *nuptias* accedere, non solum pro nullis habebuntur hae nuptiae, nec liberi ex iis procreati pro legitimis agnoscentur, » verum etiam ipse potius pollutorum scortationis sordidus » subiicietur, eiusmodi videlicet personis a se invicem separatis (88). » Idipsum confirmavit Leo philosophus seu Sapiens, Basilii filius, nuptias etiam tertias poenis ecclesiasticis subiiciens (89).

Attamen hic idem Leo Sapiens non contentus ipse tertiis nuptiis, verum et quartas celebravit cum Zoe iam antea pellice sua, ex qua filium procreaverat, quem sibi in imperio successorem designavit. Quae res conturbationem non minimam excitavit; nam, Nicolaus cognomento Mysticus, patriarcha Constantinopolitanus, imperatorem communione privavit: quum vero imperator ad apostolicam Sedem appellasset, Sergius pontifex nuptias Leonis probavit cohaerenter ad traditionem ac disciplinam ecclesiae Romanae. Hinc imperator exilio multavit Nicolaum pontificis iudicio obnitentem, contendentemque divino iure illas nuptias vetitas esse, nec a Rom. pontifice dispensari in illis potuisse. Suffectus fuit Nicolao in Constantinopolitana sede Eutymius, qui imperatori favebat. Hinc schisma inter Graecos ortum, aliis Nicolao, aliis Eutymio adhaerentibus: donec alternantibus prosperis et adversis casibus, pax inita est. Nam Nicolaus tandem eo se recepit, ut fateretur nonnisi ecclesiastico iure prohibitas quartas nuptias fuisse, constitutum tamen voluit ut disciplina pro ecclesia Graeca contra tetragamiam sanciretur et nunquam deinceps relaxaretur, neque apostolica Sedes huic sanctioni obstitit (90).

(88) Lib 2. *Iuris orient.* apud Arcudium.

(89) In Novella 90.

(90) Epistolas omnes Nicolai Mystici, quae hactenus in bibliotheca Vaticana sermone Graeco delituerant, primus vulgavit card. Maius in cit. *Spicilegio Romano* tom. X. Sunt autem hae epistolae numero CLXIII. quas laudatus editor in septem classes distribuit. Quae ad rem nostram referuntur, continentur in tertia classe ac datae sunt ad Rom. pontificem eiusque ecclesiae homines, nempe ad Ioannem X. vel Anastasium III. Hic Nicolaus, qui a Leone Sapienti evectus fuit ad patriarchalem sedem an. 895. quadriennio post Photii obitum,

Nunc vero quod sciam, nemo est qui contendat, quartas et ulteriores nuptias divino iure esse prohibitas, licet mordicus severiori disciplinae de reiiciendis eiusmodi nuptiis Graeci insistant. Nec mota amplius est hac de re querela in concilio Lugdunensi II. Eugenius vero IV. in concilio Florentino in decreto pro Iacobitis seu Armenis edixit : « Quoniam nonnullos asseritur » quartas nuptias tanquam condemnatas respuere, ut peccatum, » ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum, mortuo viro, mulier sit ab eius lege soluta, et nubendi, cui vult, in » Domino habeat facultatem, nec distinguat, mortuo primo, » vel secundo, vel tertio, declaramus non solum secundas, » sed tertias et quartas, atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores » tamen dicimus, si ulterius a coniugio abstinentes in castitate permanserint : quia sicut viduitatis virginitatem, ita » nuptiis castam viduitatem laude et merito praeferendam esse » censemus (91). »

Et haec de Graecis et orientalibus ; quod vero ad Latinos et occidentales spectat benignior semper fuit, quod ad trigamiam et tetragamiam ulterioresque nuptias spectat, loquendi ratio ac disciplina. Non defuerunt quidem ex antiquioribus etiam Latinis Patribus, qui has nuptias carpere plus aequo visi sunt, non quod eas absolute damnaverint, ac si divinae legi adversarentur, sed eam potissimum ob causam quam plus semel attulimus, nempe ob effusam et inverecundam in venerem propensionem, quam ii patefaciunt, qui tertio et quarto nubunt.

Notum est S. Hieronymum inter Patres Latinos se maxime tertiis ac ulterioribus nuptiis infensum praebuisse. Siquidem interdum terna, ut ipse loquitur, et quaterna coniugia, *non tam coniugia* dicit, quam « miseriarum solatia, et extremam tabu-

Sancti nomine a Baronio et a Bollandianis, Cupero scilicet, in patriarchis Constantinopol. et Henschenio, in *Actis sanct.* die 15. maii donatus est. cf. Maium praef. cit. pag. VI seqq. nec non Arcudium loc. pariter cit.

(91) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. IX. col. 1028.

» lam naufragorum (92); » interdum vero hoc uno nomine tolerandas affirmat tertias nuptias, quod praeferendae sint cum pluribus scortationi dicens : « Tolerabilius est uni homini prostitutam esse, quam multis ; siquidem et illa in evangelio » Ioannis Samaritana sextum se habere maritum dicens, arguitur a Domino quod non sit vir eius. Ubi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui proprie unus est, esse desiit (93), » et alibi passim eadem repetit (94).

Nec ab hac sententia discrepare videtur S. Fulgentius, qui digamiam tantum aut trigamiam ex indulgentia permissam docet, nec ulterius progreditur (95); nec non Herardus, Turonensis episcopus, qui inter capitula a se collecta, hoc etiam inseruit : « Nullus laicus plus quam duas uxores habeat : quod » extra est, ad adulterium pertinet, similiter et mulier (96). » In Poenitentiali Romano apud Hugonem Menardum ad librum sacramentorum S. Gregorii M. constitutum est : « Si cuiuslibet » hominis mortua fuerit uxor, habet potestatem accipere alteram : similiter et mulier. Si tertium acceperit, ieiunet hebdomadas tres : si quartum acceperit, ieiunet hebdomadas viginti » et unam (97). »

Haec quidem verissima sunt, ostenduntque Ecclesiae spiritum respectu viduitatis et castitatis, caeterum nemo ex his, qui recensiti sunt, proprie polygamiam successivam damnavit.

Etenim vel ipse S. Hieronymus, qui durius prae caeteris locutus est, mentem suam data occasione exposuit; cum enim ipse hac

(92) *In Ierem.* lib. III. cap. 16. vol. 1. opp. ed. Vallars. tom. IV. col. 951.

(93) Lib. I. adv. Iovinian. ed. cit. tom. II. col. 263.

(94) Ut in ep. ad Ageruchiam de monogamia ed. cit. n. 123. quae tota est de hoc argumento, ubi ad persuadendam monogamiam pleraque desumpsit ex Tertulliano, etsi diversa omnino mente. Nam Tertullianus ut illegitimam polygamiam successivam traducit, contra vero S. Hieronymus ab ea abducit viduos aut viduas maioris perfectionis causa.

(95) *De Fide ad Petr.* cap. 3. n. 43. Item c. 41. n. 83. ed. Paris. 1684.

(96) N. CXI. apud Labb. tom. VIII. concil. p. 653. floruit autem Herardus an. 858.

(97) Opp. S. Greg. ed. Maur. tom. III. col. 469.

de causa in suspicionem apud nonnullos aemulos potissimum ac detractores venisset, apologiam scripsit eorum, quae in lib. contra Iovinianum hoc de argumento exaraverat. Ait autem inter caetera in hac apologia S. Doctor. « Erubescat calumniator » meus, dicens me prima damnare matrimonia, quando legit: » *Non damno digamos et trigamos, et si dici potest octogamos.* » Aliud est non damnare, aliud praedicare. Aliud est veniam » concedere, aliud praedicare virtutem. Si autem durus in eo » videor, quia dixi: quidquid aequaliter licet, aequali lance pen- » sandum est; puto non me crudelem iudicabit et rigidum, quia » alia loca virginitati et nuptiis, alia trigamis et octogamis, et » poenitentibus legerit praeparata. Christum in carne virginem, » in spiritu monogamum, quod unam haberet Ecclesiam, noster » in reliquis sermo testatus est, et crediti sumus nuptias dam- » nare (98)! »

Post adeo diserta verba facile est emollire duriusculas eius phrases, quibus identidem trigamiam aliasque ulteriores nuptias vellicavit. Sic sensus patet eorum, quae scripsit contra Iovinianum: « Considera, quod quae duos habuit viros, etiamsi anus sit et » decrepita, et egens, Ecclesiae stipes non meretur accipere. Si » autem panis illi tollitur eleemosynae, quanto magis ille panis, » qui de caelo descendit, quem qui indigne comederit, reus erit » violati corporis et sanguinis Domini (99)? » Reus nempe efficitur ob animum lascivientem, quem prae se fert, non ob nuptias in se spectatas. Idem dic de eo quod in epist. ad Ageruchiam affirmat: « Ab officio sacerdotii digamus excluditur... Quamquam lege » sacerdotali teneatur et laicus, qui talem praebere se debet, ut » possit eligi in sacerdotium. Non autem eligitur, si digamus » fuerit. Porro eliguntur ex laicis sacerdotes. Ergo et laicus te- » netur mandato, per quod ad sacerdotium pervenitur (100). »

(98) Epist. XLVIII. ad Pammach, ed. cit. n. 9. tom. I. col. 217.

(99) Lib. I. n. 14. ed. Vallars. tom. II. col. 264.

(100) N. 6. ed. cit. col. 898. atque hic obiter noto, quod antea indicavi, ipsum argumentum prolatum fuisse a Tertulliano, atque inde a S. Hieronymo desumptum licet fine spirituque diverso. Sic enim ratiocinabatur Tertullianus in lib. *De exhortatione castit.* ut adstrueret universim monogamiae necessita-

Nempe loquitur hic S. Doctor de quadam convenientia et congruentia, non autem de obligatione presse sumpta, alioquin in absurda dilapsus fuisset.

Eorum autem, quae scripsit S. Doctor in comment. in Ieremiam sensus planus est, si eius contextus inspiciatur, qui ita se habet: « Unde superflua novi haeretici (Iovviniani) reprehensio, » qua docuimus digamiam et trigamiam non ex lege descendere, » sed *ex indulgentia*. Aliud est enim facere, quod *per se bonum* » *sit, aliud ideo concedi, ne peiora faciamus*. Dicit enim et ipse » (Apostolus) causas, cur velit adolescentulas viduas nubere, infe- » rens: *Iam enim quaedam earum abierunt retro post satanam*. Si- » mulque praeceptor continentiae et perpetuae castitatis, et » *aequalem se* blasphemans Deo, laudat terna quaternaque con- » iugia, quae ego non tam coniugia dicam quam miseriarum » solatia, et extremam tabulam naufragorum : nisi forte tribuit » indulgentiam amazzonibus suis, ut usque ad decrepitam senec- » tutem bella libidinum experiantur (101). » Itaque non absolute iterata eiusmodi coniugia S. Doctor damnavit et in se, sed unice respectu nubentium.

Ex his pariter vis illarum phrasium colligitur, quas S. Hieronymus identidem usurpavit ad iteratas nuptias deprimendas, uti cum eas vocat mitiores *prostitutiones*, aut *scortationes;* aut cum viros priori superinductos cum viris comparat mulieris Samaritanae, qui post primum proprie viri non fuerunt, cum talis ex eius sententia nonnisi unus fuerit (102). Quo sensu

tem : « Omnes nos Deus vult dispositos esse, ut ubique sacramentis eius obeun- » dis apti simus. Unus Deus, una fides, una et disciplina. Usque adeo nisi et » laici ea observent, per quae presbyteri adleguntur, quomodo erunt presby- » teri, qui de laicis adleguntur? »

(101) Loc. cit. in Ierem.

(102) Notandum est non modo S. Irenaeum pro certo habuisse quatuor viros, quos habuit Samaritana post primum, non fuisse legitimos eius viros, saltem ex nonnullorum interpretatione, ut vidimus, sed id ipsum tenuisse S. Basilium epist. ed. Maur. 188. ubi can. 4. scribit : « Quapropter et Dominus » Samaritanae, quae maritos quinque per vices habuerat, *quem nunc*, inquit, » *habes maritus non est* : Quippe quod ii, qui digamiae mensura exciderunt,

idem S. Pater intelligi debet, cum refert se Romae vidisse « duo » inter se paria vilissimorum e plebe hominum comparata, » unum, qui viginti sepelisset uxores, alteram, quae vigesimum » secundum habuisset maritum, extremo sibi, *ut ipsi putabant*, » matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio virorum » pariter ac foeminarum, post tantas rudes quis quem prius » efferret. Vicit maritus, et, totius Urbis populo confluente, » coronatus, et palmam tenens adoreamque, per singulos sibi » acclamantes, uxoris multinubae feretrum praecedebat. Quid » dicemus, subdit, tali mulieri? Nempe illud, quod Dominus » Samaritanae : viginti duos habuisti maritos, et iste a quo nunc » sepeliris, non est tuus (103). » Nam in hac ipsa epistola, in qua hoc factum refert, aperte protestatur se non damnare digamiam dicens : « Quid igitur? damnamus secunda matrimonia? » absit : sed monogamos ad continentiam provocamus. » Quod autem hic scribit S. Hieronymus intelligi aequum est non de stricta tantum digamia, sed de polygamia generatim, ut constat ex aliis eiusdem testimoniis, quae superius descripsimus, eo vel magis quod non diffiteatur viginti duos priores, quibus haec mulier nupserat, fuisse maritos.

Et haec de Hieronymo. Quod vero spectat ad S. Fulgentium, nullam facessit difficultatem quod in secundis et tertiis nuptiis constiterit neque ulterius fuerit progressus. Nam non in sensu, quem vocant, exclusivo ea scripsit, perinde ac si ulteriores nup-

» digni non sunt, qui vel mariti vel uxoris nomine appellentur. » Idemque censuisse S. Hieronymum. At dubitari nequit viros illos, de quibus loquitur Christus, vere fuisse legitimos, uti S. Augustinus, Beda, Eutymius, aliique passim docent, atque ut etiam patet ex antithesi, quam instituit Salvator inter quinque priores viros, quos habuit mulier illa, et sextum, quem dicit non fuisse eius virum. Praeterea constat in veteri lege nunquam polygamiam successivam fuisse prohibitam, ac determinatam ad secundum tantum coniugium. Immo patet saltem septem potuisse mulierem viris successive nubere, ex casu a Sadducaeis Christo proposito de septem fratribus, qui successive eamdem mulierem in uxorem susceperant. Cf. Salmeron. in I. ad Cor. c. VII. Cornel. a Lap. in cap. IV. S. Ioan.

(103) Epist. CXXIII. ad Ageruch. n. 10.

tias abiecerit, sed ideo stetit in tertiis nuptiis, quod ut plurimum in eis homines sistere soleant. Nihil est quod nos cogat alio in sensu verba eius accipere, quae ita se habent : « Firmissime » tene, et nullatenus dubites . . . . Nuptias quoque divinitus » institutas et benedictas . . . . Nec solas primas nuptias a Deo » institutas , sed etiam secundas et tertias, pro eorum , qui se » continere non possunt, infirmitate concessas. » Sane S. Fulgentius ubique fidissimum S. Augustini discipulum se profitetur; cum autem S. Augustinus et tertias et ulteriores probaverit nuptias tanquam licitas, non alio sensu enarrari debet S. Fulgentius.

Herardus, archiepiscopus Turonensis, varios canones disciplinares collegit, quos Ecclesiae suae servandos proposuit sancivitque in concilio a se celebrato. Non indicat vero fontes, unde eos adsciverit; forte hunc, de quo est sermo, ex aliquo auctore Graeco decerpsit trigamiae adverso. Aut etiam *adulterii* vocem latiori significatione usurpavit, ut viduos magis a consectandis tertiis et ulterioribus nuptiis deterreret eadem ratione, qua se gessit S. Hieronymus. Quod etiam coniicio ex iis, quae constituit idem Herardus can. XLI. « Quicumque viduam infra XXX. » dies viduitatis invitam vel volentem acceperit, ultra eam non » attingat : et *adulterii* poenas luet (104), » nam si de vero coniugio, ut videtur, hoc in canone agitur, non potest nisi in lata significatione vox adulterii accipi, ob indecentiam scilicet eiusmodi citissimae coniunctionis. Quidquid porro sit, exploratum est hunc canonem adversari doctrinae et praxi ecclesiae Romanae, imo et universae ecclesiae occidentalis.

Demum Poenitentiale Romanum aperte ostendit, ceu legitima spectata ab ecclesia Latina fuisse coniugia trigamorum ac tetragamorum; nam qui sic nuptias contraxerunt invicem non separantur, prout separari iubentur, qui altero coniuge vivente alium duxerit. Sic enim in eodem Poenitentiali statuitur : « Si » quis legitimam uxorem habens dimiserit illam , et aliam » duxit, *illa quam duxit non est illius*. Non manducet neque bibat,

(104) Apud Labb. loc. cit. col. 630.

» neque omnino in sermone sit cum illa, *quam male accepit*(105).» Apposite in hunc obiectum locum Hugo Menardus. « Haec » constitutio, scribit, *si tertiam acceperit* etc. notanda : quamvis » enim bigamos, trigamos etc. permittat Ecclesia, quia tamen » haec polygamia, seu nuptiarum repetitio aliquid incontinen- » tiae in homine notat, eiusmodi homines praeter irregu- » laritatis notam quibusdam aliis poenis olim subiacere » voluit (106). »

Illud autem pro certo exploratoque in universa Ecclesia tum orientali tum occidentali habitum semper fuit, excludendos esse digamos a sacris ordinibus ob Apostoli auctoritatem scribentis « Oportet episcopum esse unius uxoris virum (107). » Quae quidem ad caeteros sacerdotii gradus extensa sunt ab Ecclesia iuxta Apostoli mentem. Ex innumeris prope documentis, quae hanc in rem afferri possent, contentus ero testimonio S. Epiphanii, qui expresse affirmat, quod « secundis nuptiis implicatus » in Ecclesia ad sacerdotium non admittitur; tametsi aut sese » ab uxore contineat, aut sit viduus. Eiusmodi, inquam, ab » *episcopi*, *presbyteri*, *diaconi*, *et subdiaconi* gradu reiici- » tur (108). » Haec eadem alibi inculcat scribens : « Ita enim » profecto sese res habet, ut post Christi in orbem terrarum » adventum eos omnes, qui secundum priores nuptias mortua » uxore alteris sese nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina » reiiciat : propterea quod incredibilis est sacerdotii honor et » dignitas. Atque istud ipsum sacrosancta Dei Ecclesia cum » omni provisione diligentiaque servat (109). » Quod adeo verum est, ut ne Ariani quidem contra communem illam receptamque consuetudinem agere ausi fuerint. Nam idem S. Pater refert, Iosephum comitem, cum Ariani, ut ad partes suas

(105) Opp. S. Greg. M. tom. III. col. 469.

(106) Loc. cit. col. 476. Cf. etiam de hoc argumento Cotelerium in nota 66. ad caput II. libri tertii *Constit. apostolic.*

(107) I. Tim. III. 2. et ad Tit. I, 7.

(108) In *Expositione fidei* n XXI. ed. Petav. tom. I. pag. 1104.

(109) Heres. LIX. n. 4. eiusd. ed. tom. I. pag. 496. loquitur autem de episcopis, presbyteris et diaconis.

illum traherent, episcopatum ei pollicerentur, ne invitus ab illis ordinaretur, priore coniuge defuncta, secundas nuptias iniisse (110). Testimonium Origenis hac pariter de re disertum superius attulimus. Quare concilium Valentinum sub Damaso celebratum statuit « Uti digami ne ordinentur clerici, etiamsi gen-» tiles adhuc se infelicis sortis necessitate maculaverint (111). » Quod dictum est de bigamia multo magis de trigamia intelligi debet; nam conc. Toletanum I. can. IV. decrevit : « Sub-» diaconus, defuncta uxore, si aliam duxerit, ab officio, in » quo constitutus fuerat, amoveatur, et habeatur inter ostia-» rios vel inter lectores . . . Qui vero tertiam, quod nec di-» cendum aut audiendum est, acceperit ; abstentus biennio, » postea inter laicos reconciliatus per poenitentiam, commu-» nicet (112). »

Atque haec de Ecclesiae spiritu et doctrina circa polygamiam sive simultaneam sive successivam dixisse sufficiat. Quibus ea, quae nobis proposuimus, in hac prima sectione absolvimus, quae ad matrimonii unitatem spectant in quovis ordine; tum nempe in ordine naturali, tum in ordine politico; tum in ordine religioso, sub quo expendimus quaenam in lege Mosaica unitas viguerit, et quaenam vigeat in lege evangelica sive respectu polygamiae simultaneae sive respectu polygamiae successivae.

(110) Haeres. XXX. n. V.

(111) Apud Hard. *Acta conc.* tom. I. col. 795. qui canon constitutus est ad excludendam interpretationem praeposteram nonnullorum, qui verba Apostoli *unius uxoris virum* de unica uxore ducta post baptismum intelligebant. En integra canonis, qui est n. I. verba : « Sedit igitur, neminem post hanc syno-» dum, qua eiusmodi illicitis vel sero succurritur, de digamis, aut internuptarum » maritis, ordinari clericum posse. Nec requirendum, utrumne initiati sacra-» mentis divinis, anne gentiles hac se infelicis sortis necessitate macularint, » cum divini praecepti casta sit forma. »

(112) Ibid. col. 990. Cf. Petavium in not. ad haeres. LXXX. Messalianorum tom. II. opp. S. Epiphan. p. 346. seqq. ubi explodit haereticorum exceptiones.

SECTIO ALTERA

DE INDISSOLUBILITATE

MATRIMONII CHRISTIANI.

Ad eum modum, quo monogamia in perfectam et imperfectam distinguitur, sic indissolubilitas alia plena est et perfecta, alia vero imperfecta. Indissolubilitas perfecta respicit vinculum, adeo ut coniugium (consummatum saltem) nunquam dissolvatur quoad *vinculum*, ac nunquam propterea liceat vivente coniuge coniugium aliud iniri; imperfecta vero respicit domesticam societatem, quae dissolvi potest, quin tamen liceat coniugibus ita divulsis ad alias nuptias transire, adeoque, manente vinculo, solvi coniugium tantum possit quoad torum et cohabitationem.

Rursum indissolubilitas spectari potest in matrimonio fidelium vel iam consummato, vel rato tantum necdum consummato; illud indissolubile prorsus est, hoc quandoque dissolvi potest.

Praetermissa vero disceptatione, utrum matrimonia infidelium, quae *vera* sunt, sed *non rata*, per professionem christianae religionis dissolvi possint nec ne, cum de ea, quantum opus erat, alias disseruerimus (1), plures sunt agitandae quaestiones circa coniugia fidelium sive quoad dissolutionem perfectam, sive quoad imperfectam. Ex his aliae sunt theoreticae, aliae practicae.

Ad quaestiones theoreticas revocamus indissolubilitatem

(1) In *Praelect. theolog.* trat. *De matrim.* cap. II. prop. II. nec non in superiore libro quoad dispensationes.

perfectam spectato iure naturae et lege Mosaica. Inter practicas recensemus ius evangelicum et ecclesiasticum tam relate ad indissolubilitatem perfectam, quam ad imperfectam; quae quidem quaestiones non levis sunt momenti tum ob novatorum potissimum, quos *sacrorum emendatores* vocant, placita, tum ob Graecorum doctrinam et praxin; tum etiam ob leges quasdam civiles pluribus in regionibus diversisque temporibus hac de re constitutas; tum denique ob incredulorum impiorumque hominum conamina, qui una cum non paucis sive communistis, sive etiam theologis, saltem nomine tenus, catholicis adversus Ecclesiae doctrinam indentidem insurrexerunt.

Primum itaque de indissolubilitate agemus christiani matrimonii iam consummati; deinde de imperfecta dissolutione coniugii, seu potius de coniugum divisione quoad torum et habitationem disseremus; denique matrimonium ratum et nondum consummatum solvi quandoque posse ostendemus.

Porro indissolubilitas coniugii spectari potest, ut innuimus, ratione habita sive legis naturae, sive legis scriptae, sive legis evangelicae.

Num divortium quoad vinculum, seu dissolubilitas perfecta iure naturae vetita sit an indulta, disceptatio viget inter iuris naturalis interpretes. Idem dic quoad dissolubilitatem coniugii in lege Mosaica, circa quam non minima agitatur controversia inter theologos. De dissolubilitate in lege evangelica nulla quidem inter christianos doctores movetur quaestio, cum ratum exploratumque sit penes cordatos catholicos doctores omnes, a Christo sublatam esse omnem divortii causam; ast gravis magnoque animorum aestu agitata est, et adhuc agitatur quaestio inter catholicos et novatores, item inter catholicos et Graecos, ac tandem inter catholicos et pseudo-politicos circa coniugii dissolutionem ob adulterium.

Cum nobis proposuerimus in altera huius tractationis parte pro viribus controversiam hanc sub omni respectu expendere atque complecti, hinc singulis capitibus examini subiiciemus, quae in controversiam veniunt sub multiplici respectu, ita

tamen, ut brevius absolvamus ea, quae mere theoretica sunt circa ius naturae, et circa ius antiquum legis Mosaicae, quo diligentius quaestiones sub lege evangelica tum adversus novatores, tum adversus Graecos, tum adversus pseudo-politicos versemus, ut sartam tectamque catholicae Ecclesiae doctrinam et praxim habeamus.

CAPUT I.

De indissolubilitate matrimonii iuxta legem naturalem, Mosaicam et evangelicam.

Articulus I. — De Matrimonii indissolubilitate spectato iure naturae.

Consummato etiam matrimonio, coniugale vinculum dissolubile esse, seu admittere posse divortium cum potestate aliud coniugium ineundi, non pauci scriptores ratione habita solius legis naturalis edixerunt vel *absolute;* vel saltem in *peculiaribus rerum adiunctis.*

Prae caeteris *absolute* dissolvi posse coniugium, contendunt Hennet in Galliis (2), nec non Ben. Leon. Werkmeister (3), ac Adamus Braun (4) in Germania; pseudo-politici passim ac pseudo-philosophi, inter quos eminet Bentham anglus (5), Ferrari Italus, iam pridem professor in Parisiensi academia, communismi et socialismi fervens promotor (6) ac generatim omnes

(2) In op. cui tit. *Du divorce* I. vol. in-8. 1785. Adversus quem scripserunt D. Chapt. de Restignac morte mulctatus die 2 vel. 3 Septembr. an. 1792. ab impiis reipublicae gallicanae primoribus. Is igitur publici iuris fecit op. *Accord de la révélation et de la raison* duob. volum. in-8. 1770. Nec non Barruel : *Lettres sur le divorce à un député de l'assemblée nationale* vol. un. in-8. 1788.

(3) Apud Roskovàny, qui plures auctores divortii patrocinatores in Germania recenset in op. cit. *De matrimon. in Ecclesia catholica* tom. II. *De indissolubil. matrimon.* Augustae Vindelicor. 1840, pag. 28 seqq.

(4) In peculiari dissertat de hoc argumento, quem impugnavit Iacobi in op. *Indissolubilitas vinculi matrimonialis*, Moguntiae 1788. vol. un. in-8.

(5) *Oeuvres de I. Bentham jurisconsulte anglais. Traités de législation civile et pénale*, Bruxelles 1829. Troisième partie ch. V. *Du Mariage* sect. II. *Pour quel temps?* Examen *du divorce.* pag. 116 suiv.

(6) *Filosofia della rivoluz.* ed. di Londra 1851, p. 188. Cynicus hic auctor undique verrere non erubuit sordes scriptorum Germaniae et Galliae, qui notionem matrimonii penitus everterunt. Cf. de hoc auctore cl. Emil. Avogadro

adstipulatores communismi et socialismi pro hac doctrina pugnarunt ac pugnant (7).

Dissolvi autem posse saltem in peculiaribus rerum adiunctis iure naturae coniugium, illi omnes tuentur, qui propugnant infidelitatem in coniugio seu adulterium causam esse perfectae dissolutionis etiam in religione christiana, prout passim docent protestantes plerique omnes, de quibus suo loco agemus. Sane Pufendorfius hanc quaestionem expendens, quamvis indefinite minime admittat dissolutionem coniugii, tamen cum agitur de adulterio illo interveniente, coniugium *iure naturae* dissolvi posse profitetur scribens : « Divortii iusta causa erit, si » uxor alteri corporis sui copiam faciat, et quidem ultro ; » imo etiam praeter adulterium, alias quoque causas divortii ex eodem iure subnectit : « Inde saltem, inquit ex mero iure naturali alter » coniugum *vinculo* liberabitur propter malitiosam alterius » desertionem, et pertinacem atque ultroneam debiti coniugalis » denegationem (8). »

Iurisconsulti, dum ex solo rationis lumine quaestionem hanc agitant, in diversas pariter abiere sententias, aliis contendentibus ita indissolubile esse coniugii vinculum, ut nullo unquam in casu disrumpi posse censeant ; aliis vero affirmantibus non modo posse, sed debere etiam pluribus in casibus connubium dissolvi, quod secus iniustum ac importabile iugum foret (9).

Philosophi inter ethnicos sapientissimi matrimonii contrac-

Teorica dell' Istitutione del matrim. Torino 1853. tom. I. cap. 7. et alibi passim.

(7) Cf. J. I. Thonissen *Le socialisme depuis l'antiquité jusqu'à la constit. française du 14* Ian. 1852. duob. vol. in 8. Louvain 1852. Nec non Auct. op. *Le communisme et ses causes* duob. vol. in 8. Avignon. 1848 et 1849.

(8) Sam. L. B. A Pufendorf. *De iure naturae et gentium.* Francof. 1759. tom. II. lib. VI. c. 1. *De matrim.* § 21. qui ex principiis suae sectae iudicavit de iure naturae. Eadem ratione se gesserunt Heineccius ac Seldenus, qui praeterea valde se propensiores praebuerunt ad solvenda coniugia iuxta naturae ius. Cf. *La scienza del diritto publico del signor D. Damiano Romano, ovvero la scienza del diritto della natura e delle genti.* Napoli 1763. tom. II. part. II. *Della Morale.* Dissert. II. pag. 55 seqq.

(9) Horum prolixum elenchum exhibet Roskovàny, op. cit. in *Hist. litteraria* § 2 seqq. et iterum in *Doctrina rationis* § 34 seqq.

tum indissolubilem esse non censuerunt, sed licita existimarunt repudia, ut constat de Platone (10), Catone (11), Tullio (12); deque iurisconsultis Paullo, Caio, Ulpiano (13), aliisque teste Plutarcho (14).

Inter protestantes alii affirmant, ex solo etiam iure naturae matrimonium esse perpetuum; inter quos Puffendorfius, licet, ut nuper vidimus, exceptiones aliquot admittat, tamen generatim ait: « Nec minus natura tam arctae coniunctionis ostendit » matrimonium debere esse perpetuum (15); » eidemque sententiae adstipulantur Heineccius (16), Kemmerichius (17), aliique. Sed alii indissolubilitatem ex iure potius positivo deducunt, uti Thomasius, Weherus, Wernherus, Fredericus Ludovici, aliique bene multi (18).

Sed haec heterodoxorum doctrina confundenda non est cum sententia gravissimorum quorumdam theologorum Ecclesiae catholicae. Ii enim etsi matrimonium, spectata sola naturali lege, solvi aliquando posse defendant; id tamen non faciunt, ut eius indissolubilitatis legem impugnent vel laxent, sed quod eam iure divino positivo, atque potissimum propter sacramenti rationem datam esse arbitrantur. Neque ut illi, de quibus supra, multis et obviis de causis, humana maxime auctoritate connubium dirimi posse statuunt; sed eius nexum solo naturae iure non ita

(10) Lib. I. *De legibus*. Dial. II.

(11) Apud S. Augustin. *De bono coniugali* cap. XVIII. et in lib. *De fide et operib.* cap. VII.

(12) Apud S. Hieronym. lib. I. advers. Iovinian. n. 48. Notum est eius repudium Terentiae, quae postea nupsit secundo Sallustio, Ciceronis inimico, ac tertio Messallae Corvino.

(13) Lib. I. 2. De fin. ff. *De devortiis*.

(14) *Quaestiones Romanae*. opp. ed. Gulielmi Xylandri interpr. tom. II. pag. 276 seq. Francof. 1599.

(15) *De officiis hom. et civis*. lib. II. c. 2. §. 5 item *De iure nat. et gent.* lib. VI. c. 1.

(16) *Elem.* lib. II. c. 2. §. 449.

(17) *Elem.* lib. II. c. 2. §. 4.

(18) Apud Schwarz *Institut. iur. natur et gent.* part. II. tit. I. Instat. § 1.

firmum esse, ut nulla de causa, etiam divina dispensatione, solvi queat.

Hoc igitur sensu Sanchez (19), Bellarminus (20), Swartz (21), aliique negant indissolubilitatem coniugii ex iure naturae provenire. At longe plures (22) contendunt, eam ex solo etiam iure naturali satis probari : tales sunt Lyra, Abulensis, Sotus, Covarruvias, Corduba, Guttierez, Ledesma, Lopez (23), aliique.

Hae sententiae sin minus ad concordiam revocari, saltem conciliari aliquo modo possunt, si accurate primarii iuris naturae praecepta a secundariis distinguantur, quemadmodum nos etiam praestitimus in priore huius libri sectione, dum de unitate matrimonii dissereremus. Hac distinctione posita, haec statui posse videntur : 1. legem indissolubilitatis non pertinere ad primaria atque essentialia praecepta naturae, qua concessione aliquid damus iis, qui sententiam negantem tuentur : et 2. addimus eam indissolubilitatem iure naturae esse omnino consentaneam; atque adeo 3. ex iure secundario profluere.

Et sane ad primum quod attinet, indissolubilitatem omnimodam esse necessario atque essentialiter a iure naturae praeceptam probari non potest : imo spectata natura matrimonii non semper dissolutio illi videtur adversari. Etenim ad duo potissimum institutum est matrimonium in officium naturae, ad speciei conservationem ac proinde prolis procreationem atque educationem. Iam vero neuter interdum finis obtineri potest, quum uxor est sterilis, vel quum morbus diuturnus matrimonii usum intercipit. Quomodo vero solo rationis lumine evinci po-

(19) Lib. II. disp. 15 qui novemdecim pro hac sententia auctores adducit.

(20) *De matrim.* cap. IV. n. 2.

(21) *Instit. iuris publ. univers. nat. et gent.* part. II. tit. I. n. 3 seqq. ubi plures etiam protestantes pro eadem sententia allegat.

(22) Prout testatur S. Alphonsus *De matrim.* n. 156., qui magno numero adducit auctores pro hac sententia contra Sanchez. Ast. non videtur satis secernere ius naturale stricte sumptum, primarium atque essentiale a secundario : qua distinctione facta, forte discrepantes sententiae conciliari possunt, ut videbimus.

(23) Apud Sanchez lib. II. disp. 13. n. 4 seqq.

terit in utroque aut in alterutro casu ius naturae ad perpetuam continentiam aut ad prolis privationem obligare, dissolutionemque coniugii esse essentialiter malam? Hinc Bellarminus : « Si consideres, inquit, matrimonium ut officium naturae ad » propagandam sobolem, aegre reddi potest ratio, cur ob sterili- » tatem coniugis non liceat eam dimittere aut aliam ducere. Si » consideres matrimonium ut est in remedium contra fornica- » tionem institutum, cur non poterit uxor perpetuo morbo labo- » rans dimitti, cur non poterit alia duci (24) ? » Quod si secundarii matrimonii fines spectantur, cuiusmodi sunt remedium concupiscientiae, mutuum subsidium, et si quae sunt alia, ea non semper nec necessario perpetuitatem coniugii flagitant, neque ostendunt eam esse a iure naturae stricte praeceptam.

Praeterea certum est, Deum interdum, imo saepius, ut videbimus, hac in re dispensasse, dissolutionemque vinculi coniugalis permisisse. Ergo evidens est non esse coniugium ita firmum, spectato iure naturae, ut nunquam possit dissolvi : si enim dissolutio stricto et primario naturae iuri opponeretur, ea utpote essentialiter ac semper mala, nunquam a Deo permitti posset. Iam vero constat ex Bibliis, eam fuisse permissam in lege Mosaica; imo certum est etiam nunc consummata ipsa infidelium coniugia ex Dei voluntate quandoque dissolvi. Si qua igitur est naturalis lex indissolubilitatis, ea non pertinet ad ius naturae primarium atque essentiale.

Pronum vero est ostendere, eam esse naturali iuri prorsus consentaneam, adeoque ad ius naturale secundarium pertinere. Id satis suadet ipsa societatis coniugalis natura, quae iuxta rationalis naturae dictamina debet iniri. Siquidem ratio suadet, societatem coniugalem perpetuitatem indissolubilitatemque exposcere. Nam, cum sese sponsi huic societati mancipant, natura duce et auctore ex affectus vehementia in perpetuum se obstringere intendunt, ac firma voluntate individuam vitae consuetudinem ducere eligunt. Prolis non modo procreatio, sed physica

(24) *De matr.* cap. IV. n. 2.

quoque ac moralis institutio eamdem indissolubilitatem permanentem postulat; amor ipse instinctivus, ut ita dicam, parentum erga liberos, quos communiter procreant, ad eam inducit; amor liberorum pariter erga parentes; ac demum parentum ipsorum indigentia cum ad aetatem perveniunt, in qua sibi providere amplius nequeunt, quum soboles vices rependere debeat parentibus pro bonis, quae per illos adepta est, nuptiarum perpetuitatem exposcunt (25). Quae quidem omnia rationis dictamina haud parum labefactantur, si inita coniugia possent ex contrahentium voluntate et electione dissolvi.

Verum hanc ipsam naturae intentionem ad coniugii perpetuitatem publicae societatis bonum mirifice confirmat. Siquidem ex mutua coniugum separatione suapte natura oriuntur familiarum dissidia, simultates, odia ob utriusque coniugis relationes, amicitias, affinitates, quae temporis progressu non modicum detrimentum afferrent publico societatis bono, eique dissolutionem pararent; contra vero indissolubile coniugii vinculum familiarum amorem erga patriam fovet (26). Publica item honestas non parum laederetur, immo vero etiam pessumdaretur, ubi semel obtineret inter cives progressiva eiusmodi coniugiorum dissolutio, quæ necessario induceret in foedam morum corruptionem. Quapropter, cum homo natura sua vocatus sit ad publicam societatem, haec autem floreat animorum unione inter cives et morum probitate, pronum est inferre divortium vitae sociali atque idcirco iuri naturali haud esse consentaneum (27).

(25) Quae paucis verbis complexus est Romagnosi scribens : « In questa » politica fisiologia la famiglia si comincia col matrimonio, si prosegue colla » educazione, e si finisce coll'assistere alla vecchiezza. » *Inst. di civ. fil.* tom. I. pag. 431. et tom. VI. c. 3. §. 3.

(26) Hinc ipse Heeren in op. *De la polit. et du comm. des anciens.* Didot 30. pag. 78. tom. I. affirmavit, quod « Chez les peuples civilisés d'Europe l'attache- » ment à la famille enfantait l'amour de la patrie. »

(27) Cf. Taparelli *Saggio teoretico di diritto naturale.* Diss. VII. c. 3. n. 1307 seqq.

Barruel Epist. s. cit. his verbis damna divortii exponit: « Le bonheur de l'état

Atque exinde factum est, ut quo nationes ad divortia magis proclives sese ostenderunt, eo etiam magis penes eas increscerent morum corruptio, et e converso, quo magis nationes corruptae essent, eo faciliores ac propensas se ad divortia perhibuerunt. Duo enim haec inter se iuncta pari gressu progrediuntur.

Haec sane praecipua assignatur ratio corruptelae Romanorum, quod ita levibus, aut nullis de causis divortia apud eos frequentarentur contra instituta maiorum, de quibus Tertullianus scripsit : « Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus » utique prosperata, qua per annos ferme sexcentos ab Urbe » condita nulla repudium domus scripsit? Nunc in foeminis » prae auro nullum leve est membrum; prae vino nullum libe- » rum est osculum : repudium vero, iam et votum est, quasi » matrimonii fructus (28). » Imo vero res eo devenerat ut Seneca scribere non dubitaverit : « Numquid iam ulla repudio » erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles foeminae, » non consulum numero sed maritorum, annos suos computant? » Et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? Tamdiu istud » timebatur, quamdiu rarum erat: quia vero nulla sine divortio

» est dans la paix et la concorde des citoyens, dans la bonne intelligence des » diverses familles. Le mariage unissant deux époux, rapproche les parents, les » alliés : en faisant deux heureux, il fera vingt amis. Le divorce viendra, il fera » vingt ennemis mortels; il suscitera les parents, les amis de l'épouse contre » l'époux, contre sa famille et contre ses amis. Le mariage avait confondu les » intérêts, raffermi les fortunes; le divorce viendra diviser les intérêts, renver- » ser les fortunes, élever des discussions, susciter des procès, anéantir des » testaments, et les tribunaux ne retentiront plus que de plaintes contre » l'époux, qui laisse là l'épouse après avoir consumé sa fortune; contre l'é- » pouse, qui laisse là l'époux en redemandant ce qu'elle aura dissipé. » pag. 12.

(28) *Apologet.* cap. VI. ed. Rigalt.

Sane Valerius Max. lib. II. cap. I. n. 4. ita scribit : « Repudium inter uxorem » et virum a condita Urbe usque ad vicesimum et quingentesimum annum » nullum intercessit. Primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causa di- » misit. Qui quamquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen » non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugalis fidei praeponi » debuisse arbitrabantur. » Eadem confirmat A. Gellius lib. IV. c. 3. Si excipias paucos annos; item Servius Sulpit. aliique. Cf. valer. Maxim. cum notis variorum, Lugdun. Batav. 1660.

» acta sunt , quod saepe audiebant, facere didicerunt (29), » ut alia praeteream documenta, quae facile congeri possent, ad ostendendum in quantam morum corruptionem Romana respublica cecidisset (30). Praecipua haec causa extitit ruinae et casus tantae reipublicae. Id ipsum contigit in Galliis, quum sub finem seculi elapsi sub Ludovico praesertim XV. et XVI. morum foeditas longe lateque diffusa est; exinde enim coepere divortia passim obtinere, lege etiam sancita et cohonestata in cuius schemate duodecim vinculi coniugalis dissolvendi motiva, seu causae propositae sunt (31).

Tum igitur ius individuale, tum ius domesticum, tum denique ius publicum conspirant in damnando divortio, adeoque in sancienda perpetua indissolubilitate coniugii. Nemo proinde negaverit, eam iuri naturae maxime consentaneam esse (32).

(29) *De beneficiis*, lib. III. c. 16. ed. Morelli. Paris. 1613.

(30) Nota est censura Iuvenalis, Satyr. VI. v. 142 seqq.

« Cur desiderio Bibulae Sertorius ardet?
» Si verum excutias; facies, non uxor amatur.
» Tres rugae subeant, et se cutis arida laxet,
» Fiant obscuri dentes oculique minores;
» Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi :
» Iam gravis es nobis et saepe emungeris, exi
» Ocius et propera : sicco venit altera naso. »

ed. Taur. Alia eiusmodi cf. apud Puffendorf. loc. cit. Caeterum ut pateat quousque devenerit Romae corruptio, ex quo divortia obtinuerunt, cf. *Annales de Philosoph. chrétien.*, tom. VIII. pag. 30 seqq. ed. 2.

(31) Cf. Barruel lit. cit. *Sur le divorce*, pag. 31. ubi eas singillatim recenset. Fuerunt autem 1. *La mort civile;* 2. *la condamnation à une peine infamante;* 3. *la prison de longue durée;* 4. *la captivité;* 5. *l'expatriation forcée ou volontaire, ou la disparition d'un des conjoints;* 6. *l'infécondité;* 7. *une maladie incurable;* 8. *la démence;* 9. *un crime quelconque;* 10. *l'adultère;* 11. *le désordre extrême;* 12. *l'incompatibilité des caractères.*

(32) Quod quidem non diffitetur vel ipse Bentham, etsi maxime dissolutioni coniugii patrocinetur ; sic enim scribit op. et loc. cit. « Le mariage à vie est » donc le mariage *le plus naturel,* le plus assorti aux besoins, aux circonstances » des familles, le plus favorable aux individus pour la généralité de l'espèce. » N'y eût-il point de lois pour l'ordonner, c'est-à-dire, point d'autres lois que » celles qui sanctionnent les contrats , cet arrangement serait toujours le plus » commun, parce qu'il est le plus convenable aux intérêts réciproques des

Ast hic non subsistimus, sed alterius progrediendo affirmamus tertio loco, indissolubilitatem societatis coniugalis a naturae lege constitui, atque illius dissolutionem damnari.

Etenim quod natura suadet, eique maxime conveniens est, cuiusmodi esse vidimus firmitatem coniugalis vinculi, quod impellente veluti natura nativo quodam rationalique instinctu homines appetunt ; quod ad singulorum non minus quam ad familiae ac societatis felicitatem ac bonum est unice conducens, id a naturae lege proficisci censendum est. Iam vero ex hactenus allatis rationum momentis, huiusmodi est coniugii indissolubilitas ; ergo a naturae lege repeti debet indissolubilis coniugii firmitas. Siquidem hoc est aptum criterium ad dignoscendum, quid naturae lex praecipiat, quid vero vetet : praecipit nimirum perpetuitatem, vetat autem dissolutionem coniugii.

Revera ex communi hominum sensu, qui usu non sit corruptus, coniugii dissolutio aliquid exhibet foedum et iuri ipsi naturae contrarium. Hinc etiam SS. Patres rationibus ab ipsa rei natura petitis ostendere consueverunt foeditatem divortii, quod lege evangelica prorsus sublatum est. Sufficiat hic afferre praeclarissima Ambrosii verba : « Noli ergo uxorem dimittere, ne » Deum tuae copulae diffitearis auctorem. Etenim si alienos, » multo magis uxoris debes tolerare et emendare mores.... » Quo cum parvulis foeta dimittitur ? Quo titubanti vestigio » grandaeva detruditur ? Durus, si excludas parentem, pignora » teneas, ut ad contumeliam charitatis, addas etiam pietatis » iniuriam ; durus, si propter matrem etiam filios pellas ; cum » magis redimere a patre liberi debeant culpam parentis. Quam » periculosum si fragilem adolescentulae aetatem errori offeras ? » Quam impium, si eius destituas senectutem, cuius defloravеris iuventutem ? Ergo inhonoratis stipendiis et veteranum » imperator dimittat inglorium, atque imperii sui possessione » detrudat : et rusticum laboris sui effaetum agro suo propulset

» époux. L'amour de la part de l'homme, l'amour et la prévoyance de la part » de la femme, la prudence éclairée des parents et leur affection, tout con- » court à faire imprimer le caractère de perpétuité au contract de cette alliance.»

» agricola ? An quod in subditos nefas est, in comparem fas » est ?... Audi legem Domini, cui obsequuntur, etiam qui leges » ferunt, *quae Deus coniunxit homo non separet*. Sed non so- » lum hic coeleste praeceptum, sed quoddam etiam opus Dei » solvitur. Poterisne, oro, liberos tuos, vivente te, esse sub » vitrico ; aut incolumi matre, degere sub noverca ? Pone, si » repudiata non nubat. Et haec viro tibi debuit displicere, cui » adultero fidem servat ? Pone, si nubat. Necessitatis illius » tuum crimen est, et coniugium quod putas, adulterium » est (33). » Itaque ipsa duce ratione satis ostenditur legem naturae indissolubilitatem coniugii praecipere, ac dissolutionem vetare, adeoque non debet coniugii perpetuitas ex solo positivo iure deduci.

Urgent nonnulli omnem coniugii firmitatem ex eo praecepto positivo pendere : *Quod Deus coniunxit homo non separet,* et ex Christi voluntate, qui ad sacramenti dignitatem matrimonium evexit ; simulque indissolubilitatis omnimodae legem tulit ; hinc est, inquiunt, quod vel ipsi Christi discipuli, cum eum dicentem audissent : *Qui aliam duxerit, moechatur*, seu quum legem indissolubilitatis primum ferri intellexissent, scandalizati sunt, uti expendit Sanchez (34), ac dixerunt : « Si ita est causa ho- » minis cum uxore, non expedit nubere, » quod non dixissent, si indissolubilitatem scivissent ex ipso iure naturae, non autem ex novo difficilique divino praecepto repetendam esse.

Ast ut hinc exordiamur, mirum non est Christi discipulos in ea verba prorupisse : cum enim essent assueti legi Mosaicae, quae repudium permittebat, percelli utique ex Christi sententia debuerunt : legem itaque Mosaicam mente volvebant, at de lege naturae verisimilius est ne cogitasse quidem. Christus vero non novam tulit legem, sed solum abstulit repudii permissionem, matrimoniumque ad pristinum statum revocavit, prout ipsa rei natura postulabat, atque idcirco ea verba : *Quod Deus coniunxit*,

(33) Lib VII. in Luc. n. 4-6. Opp. ed. Maur. tom. I. col. 1471.

(34) Sanchez fuse hac de re agit, et haec aliaque urget lib. II. *De matr. disp.* 15.

homo non separet, vel intelligi debent de praecepto non positivo sed naturali, prout Deus est auctor naturae, vel de praecepto utique positivo, sed quo obligatio non inducitur primum, at confirmatur et roboratur. Ita etiam institutione sacramenti Christus matrimonii indissolubilitatem sanxit, confirmavitque, ut infra videbimus ; quam etiam coniugalis societatis natura, prout a Deo naturae auctore pendet, postulabat.

Quod si ex naturae lege indissolubilitas vinculi coniugalis dimanat, non igitur, quemadmodum quidam pseudophilosophi affirmant, ex mera contrahentium electione privataque voluntate, aut ex institutione magistratuum civilium, seu humani cuiusvis legislatoris ea repeti potest, aut debet. Quapropter, ut hoc etiam hic obiter innuamus, contra legem naturae agunt, qui coniugia dissolvunt, nulliusque roboris civilia aut politica statuta sunt, quae matrimonii consummati dissolutionem quibuscumque tandem in casibus audent decernere (35).

Ex his quae diximus praeoccupata sunt argumenta praecipua, quibus quidam patrocinatores dissolutionis coniugalis persuadere nisi sunt, spectato solo naturae iure, omnimodam perpetuamque coniugii firmitatem statui non posse.

Ipsi enim eam impetunt in primis ex contractus natura, qui, cum voluntarius sit et ex electione, admittere potest conditiones, quas contrahentes apponant, prout fit in contractibus caeteris, adeo ut ex gr. se iungant tantummodo ad praefinitum tempus, nempe usque ad prolis procreationem, eiusque physicam ac moralem institutionem, et non ulterius ; aut dummodo uxor sit foecunda ; aut etiam non intercedat ex alterutra parte infidelitas sive adulterium ; aut denique nisi oboriantur rixae, odiaque mutua, ex quibus fiat, ut coniuges consistere simul nequeant, aliaque eiusmodi (36).

Enimvero eiusmodi difficultates ex falsa hypothesi oriuntur.

(35) Cf. Taparelli *Saggio etc.* loc. cit. n. 1550.

(36) Haec sunt rationum momenta, quae urget Bentham loc. cit. quaeque nos in compendium atque ad praecipua capita redegimus. Ibi quatuor sibi proposuit difficultates, quas perperam solvere committitur. Alii deinde ex hoc auctore haec ipsa argumenta desumpserunt seu exscripserunt.

Supponunt quippe adversarii, contractum coniugalem eiusdem esse naturae ac contractus caeteri, qui versantur circa res homini obnoxias, cum tamen sit prorsus singularis, suique generis ; et quamvis voluntarie ineatur, conditiones tamen habet, quae non ex arbitrio, sed ex ipsa rei natura necessario dimanant, adeo ut liberum sit matrimonium inire aut non inire, at dissolvendi matrimonii semel initi nulla supersit libertas. Contrahentes praeterea moralem illam unionem coniugalem non sibi solum, sed et toti humanitati, ipsique proinde naturae auctori Deo, pro omni vitae tempore spondent, hinc datum consensum revocare amplius nequeunt (37).

Ex hoc generali principio pronum est inferre, haud esse in potestate contrahentium tempus praefinire circa durationem coniugii. Non enim id pendet a privata ipsorum voluntate, sed a naturae lege, quae ad commune bonum exigit, illud debere esse perpetuum. Privata voluntas, ut in aliis pluribus, sic et in hoc subordinata et obnoxia est voluntati generali naturae, seu potius eiusdem naturae auctori.

Ex eodem principio reicitur altera conditio ex sterilitate deprompta. Nam mali accidentalis nulla ratio habenda est, quum praevalet universale bonum. Qui matrimonio se cum altero copulat, illis omnibus legibus se subiicit, quibus eiusmodi status obnoxius est, sive istae faveant sive obsint particulari contrahentium bono.

Idem dic de infidelitate, si qua contigerit; haec enim, ut suo loco videbimus, praebet quidem ius se ab infideli coniuge separandi, sed non ita ut dirumpatur maritalis societatis vinculum; alioquin via ampla pateret innumeris prope abusibus, atque immoraliti omnimodae, ut idoneo pariter loco expendemus. Infidelitas in pactis servandis tunc solum ius dat resiliendi, quum tertii ius non laeditur, secus vero cum tertius damnum pateretur, aequitas ac iustitia hoc in casu non sinit contractum discindi ab eoque resilire. Iam vero eiusmodi

37) Cf. Roskovàny *De indissolub matr.* Augustae Vindelic. 1840. § 36. pag. 38.

damnum in coniugii dissolutione multiplici ex capite proveniret. Coniuges enim vinculum contraxere coniugale ad procreandos instituendosque filios Deo ac societati; at vero filiis, religioni societatique damnum ex solutione coniugii immineret (38).

Neque ius tribuunt solvendi coniugii aut rixae, aut odia mutua; alioquin non iam rationis ductu, sed cupiditatis utilitatisque personalis contractus iniri convinceretur. Ecquis porro diceret posse militiam deseri ob incommoda, quae in illa professione inveniuntur? Idem dic de quolibet statu, cui quis praesertim libere sese addixit et mancipavit. Ob individuale incommodum aut personalem molestiam resiliri nequit a contracta obligatione, ubi ex eiusmodi egressu damnum tertio immineret, prout diximus soboli, societatique publicae ex coniugii solutione obvenire. Ratio, qua duce initur hic contractus, debet cupiditatibus imperare, eisque fraenum iniicere, atque eas cohibere, ne in malum prosiliant, prout in caeteris omnibus fieri debet (39).

Nec defuit qui opponeret: si res ita se habet, ut cogantur coniuges in eiusmodi statu violento perseverare, gravi homicidii etiam patrandi tentationi exponi possent. Utique fieri id potest in iis, qui solo instinctu cupiditatibusque reguntur, non autem in illis, qui rationis obsequuntur dictamini, prout homines decet, qui lege morali tenentur. Quot tentationes superare homines

(38) Ergo perperam Puffendorf. op. et loc. cit. § 21. concludit: « Ergo divortii » iusta causa erit, si uxor alteri corporis sui copiam fecerit; » et paulo post: « Communis pactorum natura est, ut quando una pars conventis non stetit, ne- » que altera amplius teneatur. Et hactenus quidem, ut non solum laesa pars « cum perfida coniuge non amplius teneatur cohabitare, sed et laesae parti » transire ad secunda vota liceat. »

(39) Ex his diluitur quod Bentham loc. cit. obtrudit veluti absurdum, quod in contractu coniugali ineundo clausula includatur de perpetuitate; postquam enim constituit iuxta naturae votum esse coniugii perpetuitatem, subdit: « Mais que penserait-on si la femme y ajoutait cette clause: Il ne me sera pas » libre d'être quitte de toi, dussions-nous arriver à nous haïr autant que nous » nous aimons à présent? — Une telle condition paraît un acte d'ineptie: elle » a quelque chose de contradictoire et d'absurde, qui choque au premier coup- » d'œil: tout le monde s'accorderait à regarder un pareil vœu comme téméraire et à penser que l'humanité doit le faire abolir. »

debent in tot, quibus premuntur, difficultatibus? Alioquin viam latissimam omnibus facinoribus aperire deberemus, ne homines tentationibus obiicerentur : quod nemo sanus dixerit unquam.

Omnibus igitur rite perpensis patet, matrimonii indissolubilitatem non esse quidem naturae praeceptum primarium, sed naturali iuri congruere, eique plane esse conformem : immo et ab eodem iure secundario omnino profluere. Si res ita temperetur, diversae theologorum, ut diximus, sententiae conciliari possunt : nam etiam ii, qui ex lege positiva indissolubilitatem coniugii arcessunt, concedunt tandem aliquo modo eam etiam a lege naturae dimanare. Sane Sanchez (40) non modo non inficiatur, sed aperte etiam fatetur. « aliqualem inseparabilitatem » esse *de natura matrimonii*, et ita competere etiam matrimonio » rato de iure divino et naturali.... et ita tenet etiam S. Thomas » 4. d. 33. q. 2. art. 1. Bellarminus lib. 1. De matr. c. 4. » Ita quidem ipse n. 7. et rursum n. 10. subdit : « Matrimonium » ex se est vinculum perpetuum, nisi a superiore causa deri- » matur. » Dici itaque potest discrepantiam sententiae inter theologos hac de re tantam non esse, quanta prima fronte apparet. Quod vero attinet ad pseudo-philosophos, qui indissolubilitatem ipsam impugnant, satis vidimus difficultates quas illi contra, coniugii firmitatem opponunt, non a recta ratione depromi, sed ex cupiditatibus, aut ex systemate potissimum, quod vocant utilitario, quae proinde nullo in pretio haberi debent. Sane videmus illos omnes et solos dissolubilitatem maxime promovere, qui moribus perditi sunt, increduli, rationalistae, pseudo-politici, quorum aliqui eo pervenerunt, ut nedum indissolubilitatem, sed vel ipsam coniugii notionem e medio tollere vellent, ut vago possent frui concubinatu, quemadmodum ex historia tum antiqua tum recentiori probari facile posset (41).

Caeterum mirum non est, quod hominum cupiditates effraenisque libido, quae iura omnia perfringunt, vinculum etiam per-

(40) Lib. II. disp. 13.

(41) Cf. Avogadro op. cit. *Teorica dell' istituzione del matrim.* qui innumera prope huius nostrae affirmationis in utraque operis parte documenta profert.

fringere ausae sint connubii, quod tamen ipso rationis lumine indissolubile ostenditur. Matrimonii indissolubilitas sancte servata est ad longum tempus a mundi primordiis, donec pedetentim invalescente morum corruptione apud antiquas gentes divortium introduci coeperit, ac in dies magis augeri ac propagari magis. Sane apud Aegyptios divortium obtinuisse nonnulli contendunt (42). De Graecis vero nullum est dubium. Diversae hac de relatae fuerunt leges, ex quibus aliae habenas magis divortiis laxabant, ut apud Cretenses atque Athenienses, qui levissimis de causis divortia indulserunt; quamvis apud hos non sine libello divortii id fieret, in quo eius ratio contineretur, ut si repudiata ad ius provocaret, a summis magistratibus comprobaretur (43). Sic etiam viguerunt hae leges apud Spartianos, etsi raro fierent penes ipsos divortia. Hinc legimus Lysandro multam ob id solum a magistratibus Ephoris nuncupatis irrogatam fuisse, quod divortium fecisset (44). Aristoni tamen indultum fuit ob sterilitatem, qua uxor eius laborabat (45). Arctius vero a divortiis faciendis coaretabantur uxores, summo enim dedecori habebatur, si qua uxor maritum desereret. Hinc Medea conqueritur de dura mulierum conditione, quibus nullum remedium erat adversus virorum inclementiam, sed primo maritos maximis opibus comparare cogebantur, deinde vero malam ab ipsis tractationem subire, nulla spe reliqua de illis emendandis, quemadmodum canit Euripides (46). Athenienses tamen

(42) Apud Martorelli *Errori corretti sul divorzio*. Roma 1792. opusc. II. lib. I. c. 2.

(43) Cf. Alex. ab. Alexandro in op. *Genial. dier.* lib. IV. c. 8.

(44) Ibid.

(45) Ut refert Herodotus in *Erato* seu lib. V. c. 63. ed. Scheweihaeuser. Argentorati 1816. qui scribit : « Ita igitur tertiam uxorem, *repudiata secunda*, » Ariston duxit. »

(46) *Medea* v. 230.

Omnium autem quaecumque sunt animata, et mentem habent,
Nos mulieres sumus, miserrima propago,
Quas primum quidem oportet maximis opibus
Comparare maritum, dominumque corporis
Accipere : illo enim malo hoc longe gravius,
Et in hoc maximum periculum, aut malum accipere,

uxoribus potestatem dabant maritos iustis de causis relinquendi; tenebantur vero prius appellare ad Archontem, eique offerre libellum iniuriarum, quas erant perpessae, ut patet exemplo Hipparetes Alcibiadis uxoris apud Plutarchum (47). Matrimonii vinculum saepius solvebatur consensu partium, quibus novas nuptias inire licebat, cuius rei pariter exemplum nobis Plutarchus suppeditat in *Pericle* (48).

Notum est apud Romanos Romulum non modo ius viris dedisse divortium faciendi ab uxoribus, verum etiam eas interficiendi in nonnullis casibus, fac adulterii, ebrietatis etc. (49); dempta facultate uxori dimittendi maritum utcumque vitiis irretitum. Sexto ab Urbe condita seculo ea lex adhuc perseverabat, teste Plauto, qui floruit an. 553; qui etiam inducit Syram conquerentem de iniusta eiusmodi inaequalitate ac *dura lege* (50). Attamen, ut plus semel adnotavimus, omnium primus, qui inter Romanos divortii libertate usus fuerit, severioribus moribus vigentibus, dicitur fuisse Spurius Carvillus sterilitatis uxoris suae obtentu, et tamen non sine infamiae alicuius nota id peregit; postea vero frequentior usus invaluit. Immo adeo progressa est licentia, ut et uxores viros suos passim repudiarent, et mariti exemplo Graecorum (51) proprias uxores ad tempus aliis cede-

Aut bonum : *non enim honesta* (sunt) *divortia*
Mulieribus, neque licet abdicare maritum.

(47) In Alcibiade.

(48) Cf. plura hac de re apud Io. Potterum *Archeolog. graec.* tom. II. lib. IV. cap. 12. Venet. 1734. nec non Meursii *Themidem Atticam* lib. II. cap. 19.

(49) C. apud A. Gellium *Noct. Attic.* lib. X. c. 23.

(50) Plautus in *Mercatore*. Act. IV. v. 794 ita anum Syram loquentem inducit ex recens. I. H. Bothe ed. Taurin. 1822.

Ecastor *lege dura* vivunt mulieres
Multoque iniquiore miserae quam viri.
Nam vix si scortum ducit clam uxorem suam
Id si rescivit uxor, impune est viro,
Uxor vero si clam domo egressa est foris
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem, quae uxori est, viro! »

(51) Socrates, ut refert Tertullianus *Apolog.* cap. 39. uxorem suam Xantippam Alcibiadi cessit. In nonnullis Graeciae locis uxores a viris mutuo aliis tradebantur Cf. Io. Potterum op. et loc. cit.

rent, ut de Catone notum est, qui Martiam Hortensio concessit. Quae consuetudo, inquit Strabo, *vulgaris fuit* (52) tum apud veteres Romanos tum apud alios plures.

Haec vix indicare placuit, ut pateat, quomodo a tenuibus exorta principiis morum corruptela magis iugiter ac magis dilatetur et crescat, donec ad instar incendii omnia pervadat atque devoret, legisque ipsius naturalis perspicua principia quodam veluti fumo densisque tenebris obvolvat.

ARTICULUS II.— De Matrimonii indissolubilitate, spectato iure divino positivo, ac nominatim in lege Mosaica.

Quae hactenus constituta sunt circa coniugi omnimodam indissolubilitatem e lege naturae mirifice confirmantur ex iis, quae de primaeva matrimonii institutione in libro Geneseos leguntur. Siquidem ibidem legitur, quod, cum Deus ex Adae costa mulierem condidisset, seu costam aedificasset in mulierem, eamque ante Adae conspectum constituisset, dixerit Adam : « Hoc nunc » os ex ossibus meis et caro de carne mea... Quamobrem relin- » quet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, » et erunt duo in carne una (53). » Quae quidem verba ex Dei inspiratione Adam protulisse, non obscure significavit Christus, qui ea Deo ipsi adscripsit, ut postea videbimus.

Interim hic iuverit animadvertere, 1. allata verba non quidem expressam legem positivam, quam dicunt, prae se ferre, sed tamen satis aperte divinam voluntatem circa rationem naturamque coniugii tunc divinitus instituti significare (54); 2. ad utramque quidem matrimonii proprietatem, unitatis videlicet atque indissolubilitatis verba illa referri, sed ita ut magis directe ad indissolubilitatem quam ad unitatem referantur. Sane Christus ad perpetuum matrimonii vinculum firmandum ea in medium adduxit, ut falsam pharisaeorum sententiam de coniugii dissolubilitate refelleret.

(52) *Geograph.* lib. VII. Cf etiam Plutarchum in *Demetrio*; et Valerium Max. lib. V. cap. VII.— (53) Genes. II. 23. 24.

54) Prima lex positiva a Deo data ea fuit, qua esus ex fructu arboris scientiae boni et mali fuit vetitus.

Iam vero ex allatis Geneseos verbis indissolubilitatem matrimonii patefieri liquet, si eorum vis penitius expendatur. Revera iis verbis primi coniuges tanquam unum quid inseparabile exhibentur. Nam habita ratione originis mulieris, haec veluti pars integralis exhibetur viri, utpote quae aedificata est ex eius costa seu ex membro ipsius, quod natura sua tendit ad unionem seu compaginem cum reliquo corpore. Si ratio praeterea habeatur verborum, quae ab Adam ex Dei instinctu prolata sunt, magis adhuc id claresci t; dixit enim protoparens ad Evae conspectum : *Hoc nunc os ex ossibus meis*, quasi nempe significaverit, esse mulierem quasi alterum seipsum; adeoque adiecit: *Vocabitur virago* (55). Pergit deinde dicens : *Quamobrem.... adhaerebit uxori suae*, seu prout in versione Alexandrina vertitur : *conglutinabitur* (56). Demum concludit : *Et erunt duo in carne una* ad magis declarandum indissolubilem nexum illius coniunctionis, qui ex maritali consortio efficitur, atque ita perstringitur, ut alter coniux ab altero dissociari nequeat.

In ipso protoparentum coniugio praesignatam fuisse coniugalis vinculi indissolubilitatem confirmatur ex eo, quod symbolum esset ac signum futurae coniunctionis Verbi cum humanitate, et Christi seu Verbi incarnati cum Ecclesia sua, ex interpretatione Apostoli dicentis potissime de protoparentum coniugio : « *Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (57). » Porro nemo negaverit indissolubilem fuisse

(55) Hebraice אִשָּׁה, quae vox prae caeteris exprimit aptissime quod intendit Adam ad significandam quamdam veluti uxoris suae cum semetipso identitatem. Cf. *La sainte Bible avec un commentaire littéral.* A la Haye 1743. tom. I. ad hunc loc.

(56) In versione cit. est προσκολληθήσεται.

(57) Seu prout clarius dicitur in Graeco textu : τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Seu « Mysterium hoc » magnum est ; ego autem dico in Christum et in Ecclesiam. » Quod autem Apostolus ad hoc primum coniugium mysterium hoc referat, non quidem exclusive, sed ut diximus, *praecipue*, ex serie orationis patet. Hinc Estius sic hunc Apostoli locum enarrat : « Sacramentum seu mysterium praecedentibus » verbis significatum magnum est. Arctissima illa coniunctio viri et mulieris de » qua dictum est, *relinquet homo patrem et matrem etc.* magnae alicuius sa- » crae et arcanae rei signum est. *Ego autem dico*, id est mysterium hoc expli- » co, et intelligendum doceo de Christo et Ecclesia. »

et esse tum coniunctionem Verbi divini cum humanitate assumpta per unionem hypostaticam, seu coniunctionem *physicam*, tum coniunctionem Verbi caro facti cum Ecclesia, seu coniunctionem *moralem* per gratiam.

Accedit quod Patres omnes et catholici interpretes in hanc sententiam conveniant, indissolubile vinculum coniugale probari ex verbis ab Adamo prolatis in institutione matrimonii, et, quod caput est, concilium etiam Tridentinum hoc ipsum declaravit in expositione doctrinae de sacramento matrimonii dicens : « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea ; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (58). »

Matrimonii itaque indissolubilitas, quae ut supra ostendimus a secundario naturae iure dimanat, positiva Dei institutione confirmata est, atque idcirco a Deo repeti debet tum prout est naturae auctor, tum prout auctor est ordinis supernaturalis.

At si coniugium tum naturali tum positivo iure est indissolubile, quid dicendum de patriarcharum agendi ratione, ac nominatim de Abraham, qui Agar uxorem dimisit ? Quid potissimum dicendum de libello repudii, qui a lege Mosaica permittitur ? Ad primum quod attinet, facilis est responsio. In dubium revocari nequit, quin Agar fuerit vera uxor Abrahae, secus ac nonnulli existimaverint ; nam expresse uxor vocatur Genes. XVI. 3. ; at relate ad repudium, quod primum est exemplum in Scripturis relatum, duo sunt animadvertenda, primo, non probari illud verum fuisse divortium quoad vinculum, quum Agar nunquam alteri nupserit ; deinde, quod caput est, ex peculiari Dei mandato factum fuisse, ut constat ex Genes. XXI. 10-12.

Quod vero spectat ad libellum repudii plura dicenda sunt. Praemittimus verba prout in nostra editione vulgata leguntur Deut. XXIV. 1-4. Sunt autem : « Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius prop-

(58) Sess. XXIV. *Doctrina etc.*

» ter aliquam *foeditatem :* scribet libellum repudii, et dabit in
» manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa
» alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederit-
» que ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe
» mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in
» uxorem : quia polluta est, et abominabilis facta est coram
» Domino. »

Quae verba de permissione seu indulgentia a Deo facta ob duritiam cordis Israeliticae gentis, non autem de praecepto intelligenda esse, ut autumavit Lutherus (59), ex Christo discimus : neque de hoc ulla est controversia.

Sed magna olim contentione inter ipsos Iudaeorum doctores ac magistros disceptatum est de vi huius permissionis, deque eius amplitudine. Aetate praesertim Christi Domini quaestio fervebat inter scholam Hillelianam et Sammaeanam, de quarum scholarum placitis suo loco, prout opus fuit, aliquid scripsimus (60). Exinde nonnulli existimant factum esse, ut pharisaei a Salvatore, quid de ea quaestione ipse sentiret, interrogatione exquisierint : « Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex cau-
» sa (61) ? » inter recentiores etiam adhuc viget sententiarum dissensio.

Ratio huius dissensionis orta est potissimum ex interpretatione hebraicae vocis עֶרְוַת דָּבָר (*hervath dabar.*) quam vulgata reddidit *aliquam foeditatem*, et ex aliis verbis : *quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino.*

Itaque sunt qui censent nihil Mosem circa libellum repudii constituisse, cum iam hic usu et consuetudine tum apud reliquos populos, tum apud Hebraeos ipsos, praesertim ex longa huius populi apud Aegyptios commoratione obtinuisset (62). Iuxta istorum placitum sensus verborum Mosis hic esset. « Si

(59) In sua versione germanica Bibliorum.

(60) *In praelect. theolog. Tract de matrim.* cap. II. prop. V. in not. 2. *ad resp. diff.* 2.

(61) Matth. XIX. 3.

(62) Ita Io. David Michaëlis in op. germ. *Ius Mosaicum.* part. II. ed. 2. Francofurt. 1776. pag. 321.

» mulier, ope libelli repudii a marito dimissa, alteri viro nupserit, » et ab hoc etiam dimissa fuerit, aut si alter eius maritus mortuus » sit, non poterit prior vir eamdem denuo ad se recipere (63), » nempe in istorum mente, supposito iamdiu libelli repudii usu, Moses solum vetuisset, quominus viri repudiatam uxorem denuo reciperent, quum ea sive reiecta fuisset ab altero marito, sive eo mortuo vidua mansisset ; adeoque Moses potius fraenum aliquod repudio iniecisset, sublata omni spe repudiatam uxorem unquam recipiendi.

Verum praeterquam quod gratis assumitur in hac expositione sive apud gentes caeteras, sive apud patriarchas et Hebraeos obtinuisse matrimonii divortium, cum huius affirmationis nullum afferri possit documentum, ac in mera coniectura consistat, eidem adversantur Christi verba dicentis apud Matthaeum. « Moses ob » duritiam cordis vestri *permisit vobis* dimittere uxores vestras ; ab » initio autem non fuit sic, » ex quibus deprehendimus et quod Moses *permiserit* dare libellum repudii, et quod ab initio ita non fuerit, non solum in institutione primaeva coniugii, sed etiam post, ita ut usque ad Moysen nullum forte divortii pleni exemplum inveniatur ; idque ex traditione de instituta a Deo matrimonii indissolubilitate, quae iugiter servata est, ut plures censent.

Quod vero spectat ad vim vocis *hervath dabar*, quae *rem turpem* significat, aut *rem pudendam* (64), quaeque utpote vaga

(63) Boehmerus, *Ius ecclesiastic. protestantium* tom. IV. lib. IV. tit. 19. §. 4, dicens : « Mosen dumtaxat disposuisse, ne repudiatam vir denuo duceret. » Popp. pariter in op. German. *De divortio* Amburgi et Sulzbach 1800. pag. 41 seqq. Liebetrut *De matrimonio in sua idea et in sua historica explicatione* Berolini 1834. pag. 55. et hi quidem protestantes. Ex catholicis vero eamdem sectati sunt sententiam Bened. Leonhart in op. Germ. *Observationes de disputatione Domini Iesu ; utrum divortium e doctrina Scripturae liceat nec ne.* Wurzburgi 1805, pag. 11 seqq. Kistemaker in op. germ. *Disputatio exegetica de primatu Petri et de matrimonii vinculo.* Gottingae 1806. §. 5. pag. 86. nec non in op. *Sacrae Scripturae novi Testamenti translatae et explicatae.* Monasterii 1825. tom. III. pag. 84 seqq. et Io. Ant. Binterim. *De matrimonio ac divortio* Düsseldorfii 1819. pag. 103. apud Roskovàny op. cit. pag. 114 seqq.

(64) Cf. Sanctes Pagnini in *Thesauro linguae sanctae* ad vocem עֶרְוָה nec non ex recentioribus Winer, praesertim vero Gesenium in *Thesauro philologico-critico* ad eamdem radicem

plures admittere potest interpretationes, expositores in diversas abiere sententias, dum definire connisi sunt, quid praecise Moses significare per eam voluerit. Tertullianus (65), et post ipsum Paulus Burgensis (66), Franciscus Ribera (67), ex recentioribus vero Ant Franc. Iäger (68), aliique existimarunt *adulterium* ea voce significatum fuisse. Ulterius progressus Ben. Leon. Werkmeister contendit voce seu phrasi illa plura tum corporis tum animi vitia significata fuisse (69). Quam expositionem plerique omnes divortiorum patroni amplexi sunt. Ast iamdiu Origenes (70) animadverterat, haud posse Mosis verba de adulterio accipi, quum ob illud mulier ex lege vetere lapidanda fuerit ; adeoque censuit significatum fuisse quodvis peccatum, propter quod mulier viro suo gravis ac intolerabilis redditur. Ob eamdem causam ab Origene allatam expositio de adulterio merito respuitur tum a Carolo de Lessaux (71), tum ab Herinco Klee (72). Eam vero expositionem ex praepostero principio reiiciunt protestantes Ant. Tholuk et Acoluthus, qui autumant verbis Mosis *hervath-dabar* adulterium ideo significari non posse, quod secus Christus Matth. XIX. dicere haud potuisset, Mosen ob *duritiam* Iudaeorum libellum repudii permisisse, quum ea permissio ob cordis duritiam latius patere dicenda sit, adeo ut etiam aliis ex causis praeter adulterium admittatur (73). Hug autem etsi catho-

(65) Lib. IV. contr. Marcion. c. 34.

(66) *In Deuteron.* XXIV. add. I.

(67) *In Malachiam*, c. II. n. 36.

(68) In op. Germ. *Exam. quaest. utrum divortium secundum doctr. etc. sit nec ne permissum ?*

(69) In op. pariter Germ. *Observat. in exam. D. Iager.*

(70) In Matth. XIX. n. 21.

(71) In. op. Germ. *Concordia legum Gallic. de divortiis cum Verbo Dei.* Confluentiae 1816. p. 66.

(72) In op. Germ. *Matrimonium.* Tractatio dogmatico-theologica, Moguntiae 1833. pag. 26 not. (*c*)

(73) Tholuk in op. Germ. *Philologico-theologica enarrat. sermonis Christi in monte secund. Matth.* Hamburgi 1833. pag. 245 seqq. Acoluthus *De aquis amoris.* Lips. 1682. pag. 220. Quamquam innocua videri possit eiusmodi interpretatio, ut paulo post dicemus, si coarctaretur ad solam legem Mosaicam, nisi eam vellent extendere etiam ad legem evangelicam, prout protestantes extendendam esse contendunt. Hoc enim sensu eam sententiam improbamus.

licus formulam *hervath dabar* censuit latius patuisse, pluresque interpretationes admisisse ex ipsa Mosis voluntate atque intentione, ne illis, ad quos spectabat legis interpretatio, facultas praeriperetur, mutatis temporibus, eam strictius vel latius exponendi, prout necessitas aut publicae utilitatis ratio flagitasset (74).

Cl. Roskovàny totus in eo est, ut evincat phrasi *Ervath dabar* Mosem significasse unice *fornicationem* seu *moechiam*, cuius rea facta fuerit uxor, ob quod crimen, imo etiam ob adulterii suspicionem libellus repudii ad eam dimittendam dari poterat. Deinde ostendere adnititur ideo *abominabilem* et *pollutam* dici foeminam illam factam esse, quae post repudium viro alteri nuberet, quia illegitime eiusmodi nuptiae factae fuissent, antequam mulier fuisset dimissa (75). Primum assertum adstruit tum ex eo quod Moses voces has e viginti et novem vicibus, quibus illae in eiusdem libris occurrunt, certe vigesies et septies pro *impuro negotio*, seu *fornicatione* sumpserit, tum ex eo quod Iudaeorum magistri eodem ac Moses sensu voces has usurpaverint (76). Alterum deducit ex eo quod illa sive abominatio sive pollutio praedicetur *coram Domino*, adeoque in sensu morali accipi necesse sit. Iam vero nonnisi tres hypotheses fieri possunt, quod nimirum eiusmodi abominatio sita sit, aut in separatione a primo marito, aut in separatione a secundo, aut demum in eo quod post separationem a primo viro, mulier dimissa ad secundas nuptias transierit. Porro ex his tribus hypothesibus priores duae vix possunt statui, siquidem et primo et secundo marito Moses potestatem fecerit dimittendae uxoris ; restat igitur hypothesis tertia (77).

At quominus huic expositioni animum adiiciam, nonnulla sunt quae me impediunt. Nam 1. Si ipso fatente, Moses praecepit

(74) *De coniugii christiani vinculo indissolubili*. Friburgi 1816. Hanc sententiam merito impugnavit Frid. Liebetrut in op. germ. *Matrimonium prae sua idea et historica explicatione*. Berolin. 1834. pag. 70.

(75) Op. cit. pag. 127 seqq.

(76) Cf. Drusium in *Crit. sacris* tom. I. item Huberti *Dissert. De libello repudii* 1804.

(77) Ibid.

adulteros morte plecti (78), non intelligo quomodo per *foeditatem* seu *rem turpem* significari possit adulterium, quo delicto permittebatur marito dare libellum repudii. 2. Non video quare si voluisset Moses exprimere fornicationem aut adulterium, non definita certaque locutione usus fuerit, sed potius locutione vaga, incerta et ambigua, quae non minimis haesitationibus et controversiis locum praeberet (79). 3. Si dimitti uxor poterat tantum ob adulterium, quisnam dimissam adulteram in coniugium sibi copulare ausus esset ? Et tamen Moses supponit eam ad secundas nuptias transiisse, aut saltem transire potuisse. 4. Supponitur etiam a Mose uxorem a secundo quoque marito dimitti ; iam vero si unica dimissionis causa fuisset adulterium, vix credibile est, idem crimen secundo pariter divortio causam praebuisse, quin fuerit punitum.

Reliquum igitur est, ut per *hervath dabar nuditatem* rei seu *rem pudendam*, aut *foeditatem* generatim significari dicamus, quidquid tale sit propter quod merito displiceat uxor marito, sive id de novo advenerit, sive adesse deprehendatur, cum antea lateret ; huiusmodi sunt vel in rebus moralibus odiosi mores, pertinacia, inobedientia, dicacitas, furta, veneficii aut gravis alicuius criminis prudens suspicio etc. vel in physicis deformitas superveniens, defectus corporis latens, epilepsia, lepra, mania continua aut interrupta, sterilitas, aliaque id genus, quae incomperta prius penitus fuerint, aut saltem non adeo gravia, prout postea se patefecerunt, alioquin iustam non dedissent marito causam uxorem dimittendi (80). Eusmodi exegesis conformis

(78) Levit XX. 10. « Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius et adulterium perpetraverit cum coniuge proximi sui, *morte moriatur*, et moechus et adultera ; » et Deut. XXII. 22. « Si dormierit vir cum uxore alterius, *uterque morietur*, id est adulter, et adultera, et auferes malum de Israel. »

(79) Exploratum autem non est viginti novem vicibus, quibus occurrit in Mosis libris formula *hervath dabar*, viginti septies adhiberi ad fornicationem significandam ; nam, ut ex dicendis patebit, gratis id auctor egregius assumit.

(80) Ita Bonfrerius *Comment.* in hunc loc. Neque abludit Gesenius, qui ad vocem ערוה inter cactera scribit : « E recentioribus Michaelis (*Iure Mos. II.* §. 250.) rectius contra Schammai cum suis, severioris utique disciplinae vindex, nonnisi de *re turpi et indecora*, velut de adulterio (neque tamen de hoc

videtur ipsi textui : « Si acceperit homo uxorem et habuerit » eam, et *non invenerit gratiam ante oculos eius* propter *ali-* » *quam* foeditatem etc. »

Remanent nunc expendenda ea verba : *quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino*. Hic etiam probare non possum sententiam, quam cl. Roskovàny, ut innui, proposuit. Licet enim dem, hic non agi de abominatione et pollutione physica, non inde sequitur illico agi de abominatione morali : potuit enim esse pollutio et abominatio mere legalis. Certe moralis pollutio non potuit esse in eo, quod secundae nuptiae a dimissa inirentur. Etenim quomodo moralis pollutionis et abominationis rea esse potuit mulier, quae id fecisset, quod a lege permittebatur, quodque erat plane legitimum ? Iam vero constat ex lege Mosaica, mulierem per libellum repudii dimissam potuisse alteri viro sese legitime copulare : hoc aperte ostendit divinus legislator dum ait : « Cumque egressa (repudiata) alterum *ma-* » *ritum* duxerit. » Vir ergo alter vere maritus, adeoque mulier vere uxor censeri debet. Accedit quod secundus etiam maritus non posset sine libello repudii hanc uxorem dimittere ; ergo et is verus legitimusque maritus et illa vera ac legitima uxor censebantur. Insuper Levitici XXI. Moses prohibuit, ne sive summus sacerdos sive caeteri sacerdotes matrimonio se coniungerent cum dimissa muliere : ergo reliqui de populo poterant eam legitime ducere (81).

Ad triplicem vero hypothesim a cl. auctore propositam, respondeo, pollutionem et abominationem haud fuisse sitam aut in separatione a primo marito, aut in separatione a secundo, aut,

» solo), vel habitu indecoro, scissis ad nuditatem usque vestibus, caet. (v. *Misna* » et *Gen. Gittin.* 9.10. Seldini *Uxor. Hebraic. III.* c. 16.-20. Buxtorf *Sponsal.* » et *divort.* p. 85 seq. 122 seq) ; *quamquam ipse legislator adulterium*, ut morte » (*non divortio*) *puniendum dicere non potuit*, et locus unicus Deut. XXIII. 15. » vitium in corpore situm intelligere iubeat. LXX satis bene ἄσχημον πρᾶγμα, » Vulg. *aliqua foeditas*, Saadias *foedum, turpe quid* veterunt ; sed ab Onkelos, » *transgressio quaedam*, Arab. *agressus est, et patravit turpe quid* redditum est. » Inde *dedecus*, *ignominia*. » Ex quibus patet, excluso adulterio, causas sive physicas sive morales iustificasse libellum repudii.

(81) Cf. Drach. *Du divorce dans la Synagogue*. Rome 1840. Première époque §. IV ar. p. 17.

ut auctor contendit, in eo, quod dimissa ad secundas nuptias transierit, sed in eo, (quod auctor omisit), quod mulier a secundo viro dimissa, vel eo mortuo iterum ad priorem virum rediret. Haec est quarta hypothesis addenda; in hoc autem reditu, in hac instauratione coniugii prioris post alterum coniugium pollutio et abominatio legalis, et si placet, etiam moralis tota consistit (82), prout paulo fusius mox ostendemus respondendo difficultatibus, quae ab aliis fuerunt propositae.

Sunt enim qui autumant per libellum repudii ablatam quidem fuisse *poenam* ab iis, qui illum uxoribus tradidissent, non autem *culpam*, adeo ut peccarent coram Deo, qui ita se gererent, licet nullam poenam legalem incurrerent. Idque colligunt ex Christi verbis « Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimit- » tere uxores vestras ; ab initio non fuit sic (83) ; » tum etiam ex eo quod uxor dimissa iuxta ipsos non posset sine culpa ad novas transire nuptias ; quandoquidem *polluta* et *contaminata* non tantum coram hominibus, verum etiam coram Domino fieret, quae semel repudiata alteri coniungeretur viro iuxta illud Ieremiae : « Vulgo dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, et » recedens ab eo, duxerit alterum, numquid revertetur ad eum » ultra ? Numquid non *polluta* et *contaminata* erit mulier » illa (84) ? » Quae quidem eam confirmant interpretationem verborum Deuteronomii, quam ex cl. Roskovàny attulimus. Praeterea a Malachia ex Dei nomine graviter reprehenduntur Iudaei, eo quod libellum repudii uxoribus darent : « Cum odio » habueris (uxorem tuam), dimitte, dicit Dominus Deus Israel ; » operiet autem iniquitas vestimentum eius (85), » scilicet dimittentis, ut ex hebraica veritate habetur (86), ob ini-

(82) Cf. Bonfrerium in h. l. Pentateuchi, et Sanctium in cap. II. Malach.

(83) Matth. XIX. 8.

(84) Ierem. III. 1.

(85) Malach. II. 16.

(86) Hebraice enim legitur עַל־לְבוּשׁוֹ *super vestimentum eius*. In paraphrasi Chald. Jonathanis : « Ne operias *peccatum vestimento tuo*. » In vers. Alexandr. *Et operiat impietas tua cogitationes tuas*. In Syriaca : *Et iniquitatem pallio suo ne tegat*. Demum in vers. Arabica : *Et operiet impietas tua vestimenta tua*.

quitatem nempe perpetratam in uxoris dimissione fiet, ut iniquitas nullo vestimento contegi queat. Quo referunt sententiam S. Augustini scribentis : « Libellus repudii magis fuit *exprobratio* divortii, quam approbatio (87); » et rursum : « Sicut duobus pluribusque servire, sic a viro vivo in alterius transire concubitum, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit (88). » Demum concludunt, quod si citra culpam potuisset fieri divortium, omne tolleretur discrimen inter coniugium liberamque fornicationem, cum perpetuus transitus fieri posset ab uxore ad uxorem (89).

At qui contrariam tuentur sententiam his minime permoventur. Quamvis enim ob cordis duritiem permiserit Moses, seu potius Deus per Mosem dare libellum repudii, etiam contra primaevam coniugii institutionem, non exinde sequitur peccasse eos, qui hac facultate utebantur. Siquidem plura sunt, quae interdum ob cordis duritiam conceduntur, ita ut culpa vacent, qui concessione utuntur (90) Praeterea si poena tantum per legem fuisset ablata, sequeretur Deum magis sollicitum fuisse de poena quam de culpa, quod absurdum foret vel cogitare. Adde quod si non sine culpa potuissent uxores dimitti, id in lege sanctissima, cuiusmodi fuit Mosaica a Deo data conceptis verbis, ut legem decet, significatum aliquando fuisset (91), quod tamen

(87) *De bono coniug.* cap. VIII.

(88) Ibid. cap. XVIII.

(89) Ita quidem inter caeteros pugnant Estius in 4. sent. dist. 33. Sylvius *Supell.* 9. 67. et alii cum ipsis, qui adducunt pro se S. Hieronymum in cap. V. Matth. et S. Bonaventuram.

(90) Nonnulli ad hoc declarandum afferunt exemplum sive refectiunculae vespertinae ab Ecclesia concessae ieiunii tempore, ut sese ipsorum infirmitati accommodaret, secus ac ab initio obtinuerit ; sive esus carnium, qui poscentibus duris rerum adiunctis ac temporum, passim ab Ecclesia permittitur diebus esurialibus, nemo tamen dicet peccare eos, qui dato indulto utuntur.

(91) Quod iamdiu animadverterat S. Thomas 3. part. q. 67. art. 5. dicens : « Quia lex vetus, quamvis gratiam non conferret, tamen data erat, ut peccatum ostenderet, ut communiter sancti dicunt... Si (Iudaei) repudiando uxorem peccassent, hoc saltem eis per legem aut prophetas indicari debuisset, secundum id Isaiae 58. *Annuntia populo meo scelera eorum*, alias viderentur nimis esse neglecti, si ea, quae necessaria sunt ad salutem, quae non cognos-

nuspiam nec aperte dictum, neque obscure insinuatum reperitur. Deus praeterea in adversariorum hypothesi tot indulsisset adulteria, quot nuptiae a repudiata uxore initae fuissent, quod a Dei sanctitate abhorret ; eo vel magis quod Deus severissimas poenas decreverit in adulteros; in sententia vero, qua de agitur, adulteria *palliata* prope innumera patrata impune fuissent.

Quod si *polluta* et *abominabilis* declaratur uxor repudiata, quae ad nova transisset vota, praeter quam quod eiusmodi sive pollutio sive abominatio non ethica, sed legalis dici potest, ea respicit, ut diximus, non quidem dimissae uxoris cum alio marito coniunctionem, sed regressum ad pristinum maritum. Revera si iste permissus fuisset regressus, repudium non fuisset nisi fucatum, et additus apertus fuisset ad quamdam veluti commutationem uxorum, quae sane *abominatio coram Domino* (92) foret. Et hac ratione evanescit difficultas ex Deuteromonio atque ex Ieremia petita (93).

Malachiae qui opponitur locus, diversa ratione exponi consuevit; sunt enim qui ipsum faventem potius divortio seu repudio exhibeant quam adversantem. Iuxta hos arguit Deus per prophetam suum Iudaeos, quod *superinducerent* ex alienigenis pellices, et despicerent uxores suas, quas tyrannice ac dure tractabant, eo quod senuerint, venustatemque pristinam amiserint. Hac lacrymis ac fletibus suis ob passam iniuriam templum re-

» cebant, nunquam eis nuntiata fuissent ; quod non potest dici, cum iustitia » legis tempore suo observata vitam mereretur aeternam. »

(92) Sic enim allegata verba efferuntur in Hebraica veritate, et in paraphrasi Chaldaica, et in vers. Alex. nec non in vers. Syriaca et Arabica. Ita enim legitur in Hebraico textu כי-תועבה חוא לפני יהוה *Quia abominatio ipsa ad faciem Domini.* In paraph. Cald. *Quoniam abominatio est coram Domino.* In vers. LXX. *Quoniam abominatio est ante Dominum Deum tuum.* In vers. Syriaca: *Quia abominanda res est coram Domino.* In Arab. *Hoc enim execrabile est in conspectu Dei.* Itaque non ad mulierem, quae alterum maritum duxit, eiusmodi *abominatio* refertur, sed ad eam, quae ad priorem virum regrederetur.

(93) Cf. Drach Op. cit. pag. 30 seqq. ubi plures hanc in rem rabbinorum auctoritates profert.

plebant; quocirca Deus non iam ironice, ut aliqui autumant, sed serio eis indicit, ut si odiosae ipsis redditae uxores esse coeperint, potius per libellum repudii liberas dimittant, quam dure ac tyrannice sub servitute retineant; sicque possint liberae esse, ac, si eis libuerit, ad novas se transferre nuptias. Interim viris comminatur gravissimas poenas ob hanc iniustam cum uxoribus suis agendi rationem (94). Alii vero supposita libelli repudii permissione, contendunt Deum per prophetam Iudaeos arguere ob abusum abnormem huius indulgentiae seu permissionis, uti rabbinorum plerique, ut mox videbimus. In utraque hypothesi seu expositione patet, ex Malachiae textu argui haud posse, libellum repudii *ex se* culpam involvere coram Deo.

Quod vero attinet ad duo loca, quae ex Augustino obiiciuntur, animadvertendum est, S. Doctorem, dum ait, libellum repudii exprobrationem potius fuisse quam approbationem divortii, hoc significare voluisse, per libellum repudii non fuisse infinite *approbatum* divortium, sed solum *permissum* ob duritiam cordis Israelitarum. Quandoquidem causa, ob quam ipse inurit quamdam notam ipsi repudii libello (95), est quodammodo divortii ipsius exprobatio. Et hoc quoad priorem textum; ad alterum vero quod spectat, facilior adhuc responsio suppetit, cum hoc in loco S. Augustinus directe loquatur de polygamia simultanea potius quam de dissolutione coniugii, et tamen ipsam simultaneam polygamiam, quam hic damnat, in eodem capite agnoscit licite a patriarchis frequentatam fuisse.

Neque tandem concedi debet, quod si citra culpam novae iniri poterant nuptiae per libellum repudii, discrimen inter coniugium et fornicationem sublatum esse; siquidem qui fornicatur vagam venerem consectatur, quin sollicitus sit aut de prole aut de eius institutione, et quidem id operatur ex arbitrio. Contra vero

(94) Ita Sanctius in hunc loc. ubi diffuse, solide et eleganter rem hanc exponit.

(95) Nam comparat morem hunc cum gentilium consuetudine in dimittendis uxoribus, et refellit eos, qui in lege christiana voluissent hunc eumdem morem inducere sub praetextu concessi a Mose libelli repudii.

ex lege Mosaica licet permitteretur uxoris dimissio, id fieri tamen non poterat quacumque ratione, sed gravi ex causa probantibusque iudicibus, et non pro voluntate, sed ex legis praescripto, adeoque perpetuus ille transitus de uxore ad uxorem, quem adversarii dicunt fornicationi simillimum, ex legis abusu ad summum, non autem ex ipsa lege dimanasset.

Itaque divortium in lege Mosaica Dei auctoritate ita erat permissum, ut vere licitum esset. Absit vero quod quis cum Luthero affirmet, Mosis institutum de divortio fuisse *praeceptivum*, absit; nec enim *mandavit* Moyses, sed *permisit* tantummodo dari libellum repudii. Quae quidem permissio ex quadam tolerantia, indulgentia atque accommodatione huius divini legislatoris repeti debet, ratione habita durae indolis Hebraici populi, qui si retinere odiosas uxores coactus fuisset, facile in homicidia aliaque crimina lapsus fuisset. Quidam existimant populum Israeliticum inter Aegyptios commorantem a primaeva morum simplicitate descivisse, uxoresque suas dure ac tyrannice tractare consuevisse, immo et per nefas repudiare ad instar Aegyptiorum. Quapropter Moses indulsit, ut quod prius penes ipsos contra ius et fas obtinuerat, deinceps legali ratione, ut ita dicam, fieret, gravi tamen interveniente causa, non autem ut antea pro arbitrio. Ita quidem, si admittatur, quod alii negant, uti paulo ante diximus, ante Moysem tum apud Hebraeos tum apud alias gentes repudium obtinuisse.

Verum quidquid de hoc sit, quod certo definiri nequit, talem huius legalis permissionis indolem ac spiritum fuisse, vel ipsis Hebraeis persuasum fuit, ut patet ex facto. Nam usque ad captivitatem Babylonicam nullum penitus suppetit exemplum de dato libello repudii, quamvis polygamia passim apud hunc populum obtineret (96). Quinimmo nec ipso captivitatis Babylonicae

(96) Cf. Drach. op. cit. *Du divorce dans la synagogue*, pag. 49. seq. Non propterea inficias ibo fieri fortasse potuisse, ut interdum divortium in tanta saeculorum intercapedine locum obtinuerit, prout innuitur Is. 50. et Ierem 3. Unum illud exploratum est eiusmodi exempla aut nunquam aut rarissime per id temporis occurere. Cf. Seldenum *Uxor Hebraea* lib. III. cap. 19.

tempore certo constat repudia facta fuisse. Nam quae leguntur Esdrae lib. I. cap. IX. et X. evincunt quidem alienigenas a Iudaeis ductas fuisse, non autem repudiatas fuisse seu expulsas uxores Israeliticas.

Adeoque nonnisi serioribus Iudaicae reipublicae temporibus, quum Iudaei moribus corruptissimis se foedassent, coeptum est frequentari divortium, et agitata est quaestio de intelligentia legis Mosaicae circa hunc articulum Deuteronomii. Progressus vero adeo est Hillel cum schola sua, ut effutiret quavis vel levissima ac futilissima causa intercedente licitum fuisse dimittere propriam uxorem aliamque ducere (97). Caeterum divortium non modo non fuisse praeceptum, sed solum aegre permissum constat etiam ex sensu traditionali ipsius Synagogae, quae declaravit *virum odibilem coram Deo*, qui permissione divortii fultus propriam uxorem dimitteret (98); constat insuper ex eo quod illustriores rabbini Yarchi, Aben Ezra, Samuel Yaphè, aliique bene multi qui verba Malachiae II. ut nuper innuimus, de divortio intellexerunt, ad unum omnes tanquam Deo invisum traducant, qui facit divortium (99). Idipsum quoque non obscure colligitur ex omnibus conditionibus iuridicis, quae ad libellum hunc repudii conscribendum et tradendum coram testibus in manu uxoris repudiandae requirebantur. Eo nimirum consilio tot conditiones

(97) In Thalmude tract. *Ghittin* seu *De divortiis* cap. IX. §. 10. et *Sota* seu *De adultera* fol. 4. Item *Bammidbar Rabbà* IX. ad Num. V, 30. de Hillelis schola haec referuntur : « Schola Hillel dicit : etiamsi combusserit decoctum » eius, sicut scriptum est : si invenerit in ea harvat dabar nuditatem rei. R. » Akibibà dicit : etiamsi illa pulchriorem invenerit aliam, ut scriptum est, si » non invenerit gratiam in oculis eius. » Huic laxae interpretationi cui libenter populus ille degener animum adiiciebat sese opposuit Schammai cum schola sua coarctans divortii facultatem ad graves causas, utpote severioris disciplinae cultor. Nonnulli censent hunc quem Iosephus Flavius *Archaeolog.* lib. XIV. c. 9. n. 3-5. et lib. XV. c. 1. §. 1. *Sammeam* vocat, ac veluti severum disciplinae censorem ab Herode in pretio habitum, et tanquam prophetam describit, eumdem fuisse ac Simeonem de quo Luc. II. 75.

(98) Thalm. tract. *Ghittin* fol. ult. *b*.

(99) Apud Drach. op. cit. pag. 29 seqq. qui plurimorum rabbinorum testimonia allegat.

appositae erant, ut maritus non ex primo impetu ageret, sed ad saniora consilia se recipere posset, dum temporis mora satis longa insumeretur, ut iuridicae conditiones omnes explerentur (100). Demum ex eo pariter constat, quod soli viro tribueretur facultas dandi libellum repudii, mulieri, autem haec denegaretur, adeo ut nonnisi sub extremis reipublicae temporibus

(100) Formulam penes Iudæos receptam, et qua, ubi ipsis divortium permittitur, adhuc utuntur, inter caeteros exhibet Bonfrerius his expressam verbis : « In quarto sabbati, in duodecima mensis Tisri, anno a creatione » mundi quatermillesimo centesimo tertio, in urbe Babylonis, ego Rabbi » Simeon, filius Rabbi Sadoc, filii Rabbi Aman, filii Rabbi Daniel, » sponte mea, et ex animo, citra ullam coactionem, a me dimitto ac » repudio Rachel, filiam Rabbi Abraham, filii Rabbi Ioseph, filii Rabbi Salomo- » nis, et concedo ei licentiam et potestatem, ut pro libito suo abeat quo vo- » luerit, ducique possit ab omni viro, ne eam quisquam prohibere praesumat. » In cuius rei testimonium dedi ei hunc librum repudii, et schedam dimissio- » nis atque signaculum divortii iuxta constitutionem Moysi et Israel, praesen- » tibus testibus infra scriptis. »

Decem porro erant caerimoniae in hoc negotio servandae. 1. Ut uxor nusquam discederet nisi volente marito et accepta ab eo potestate; quam potestatem maritus se facere etiam in libello exprimebat; 2. ut libellus in manu uxoris traderetur; 3. ut adscriberentur ut minimum duorum testium nomina; 4. ut exprimerentur tres generationes viri totidemque mulieris, ut in libelli formula expressum est, licet alii velint sufficere si una hinc inde generatio exprimeretur; 5, ut scriberetur libellus rotundis litteris, distinctis, atque perspicuis, ita ut una aliam non attingeret, ne quod scripturae vitium irreperet; 6. ut si inter scribendum aliquo actu atramenti in membranam decidisset gutula, libellus auctoritatem non haberet, aliusque denuo scriberetur, 7. ut in libello nullum rasurae vestigium appareret, ne suspectus esset vitii, 8. ut membrana longior esset quam latior 9. ut omnes testes qui aderant suum quisque sigillum imprimeret; 10 ut maritus diceret : *accipe libellum repudii et esto a me abiecta et cuicumque marito permissa.*.

Cf. etiam hoc de argumento Brouwer *De iure connub.* lib. II. c. 30. qui recensitis conditionibus addit : « Haec et alia plura divertenti Iudaeo observanda » fuere, quae omnia si recensenda forent, integrum occuparent librum, ut » scribit Buxtorffus. Scilicet cum minimas ab causas divortia admiserint, mo- » dus tamen divertendi adeo difficilem voluerunt Rabbini, ut ab iis ob moras, » molestias, sumptus et difficultates detererentur mariti; simulque dum haec » omnia rite parantur, ut interea ex amicorum intercessione, subsideret et » mitigaretur mariti iracundia, et divortii loco sequeretur potius redintegra- » tio coniugalis amoris. »

effrontes mulieres Iudaeae inventae sint, quae Romanas imitantes ausae fuerint maritis libellum dare repudii (101).

Ex his omnibus patet eiusmodi constitutionem Mosaicam non fuisse praeceptivam, sed tantum permissivam, ac per eam divinitus dispensationem datam fuisse primaevae legi indissolubilitatis a Deo ipso constitutae in nuptiarum institutione inter protoparentes.

Articulus III. — Quaestio expenditur an et quomodo perfecta indissolubilitas, quae ex lege evangelica propria est Matrimonii christiani, deducenda sit e ratione sacramenti.

Apud theologos omnes catholicos ratum fixumque est in lege evangelica ita indissolubile esse coniugium, ut, semel ac consummatum fuerit, nunquam possit dissolvi. At si tantae firmitatis ratio quaeratur, non una est theologorum sententia. Qui ex solo etiam iure naturae matrimonii indissolubilitatem probari omnino contendunt, ut supra diximus, ii putant sacramenti rationem vix aliquid addere posse nativae indissolubilitati; alii eam potius deducunt ex praecepto positivo tum Dei, qui matrimonium ab initio ea lege instituit, tum Christi, qui illud ad pristinam severitatem restituit; alii denique ex eo quod matrimonium christianum ad dignitatem sacramenti evectum sit, et peculiari quodam modo unionem Verbi cum humanitate, et Christi cum Ecclesia significet.

Nobis nunc disserendum tantum est de hac tertia sententia, circa quam vix dici potest quanta in ea proponenda sit opinionum varietas. Quidam enim maxime insistunt rationi veri et proprii sacramenti novae legis, quae propria est matrimonii christiani; alii sacramenti nomen etiam laxius usurpant atque insistunt illi significationi, quam diximus, de Christi unione; quae quidem significatio aliquo modo inest matrimonio, etiam cum non est sacramentum, prout fuerunt coniugia inita ante Christi adventum, et etiamnum coniugia infidelium; praeterea

(101) Salome et Herodias a Iosepho Flavio Archaeolog. lib. XV. c. 7 n. 10 et ib XVIII. c. 5. n. 4. primae inter Iudaeos foeminae perhibentur, quae contra maiorum consuetudinem, immo et legem ipsam libellum repudii maritis tradiderint.

alii rationem sacramenti proprie dicti, vel saltem rationem signi exhibent ut causam unicam indissolubilitis omnimodae, alii ut causam saltem praecipuam; alii vix causae rationem in ea agnoscunt, sed potius eam habent ut signum aliquod positivae voluntatis Christi, ex qua tandem repetunt christiani matrimonii firmitatem.

Argumenta, quibus utuntur, partim indirecta sunt, partim directa. Contendunt primo matrimonium non probari indissolubile ex lege naturae, neque ex primitiva institutione; restat ergo ut ea indissolubilitas a ratione sacramenti petatur. Deinde insistunt verbis Pauli Ephes. V. « Sacramentum hoc magnum » est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. » Hoc vero *sacramentum*, uti adversus Erasmum ac novatores sec. XVI. ostendit Vasquezius non ad Christum et Ecclesiam, sed ad matrimonium refertur quatenus signum praefert unionis Christi et Ecclesiae (102). Cum igitur christianorum coniugium exhibeat signum indissolubilis coniunctionis Verbi cum humanitate et Christi cum Ecclesia, ex ipsa natura rei, quam significat, omnimoda indissolubilitate praeditum sit oportet. Quapropter cum inter caeteras attulisset auctoritatem S. Thomae, qui scribit: « Matrimonium fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium » naturae, non autem prout est sacramentum coniunctionis » Christi et Ecclesiae, quae nondum erat facta, unde et in veteri » lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti ra- » tionem (103) » concludit: « Hinc infertur omnimodam indis- » solubilitatem non competere matrimonio consummato ex na- » turae iure, sed ex Christi divino praecepto positivo *quod Deus* » *coniunxit homo non separet*, ubi elevavit matrimonium ad esse » sacramenti, et ut repraesentaret indissolubilem Christi cum » Ecclesia per carnem unionem (104). »

Huic etiam sententiae vehementer Bellarminus insistit, dum scribere non dubitat: « Illa omnimoda indissolubilitas in unis nup- » tiis non potest referri in causam primariam et certissimam, nisi

(102) Vasquez. *De matrim.* Disp. II. c. 6. n. 4 seqq.
(103) 1, 2, q. 102. art. 5. ad. 3.
(104) Ibid. 8.

» in signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, in quam causam » perpetuo Augustinus eam insolubilitatem refert (105). »

Et sane S. Augustinus passim hanc doctrinam inculcat; sic in lib. I. *De nuptiis* : « Quoniam non tantum foecunditas, » cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius » vinculum est fides, verum etiam quoddam sacramentum » nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, unde dicit Apos- » tolus : *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ec-* » *clesiam* (106). » Deinde subdit : « Huius procul dubio sacra- » menti res est, (hoc est effectus), ut mas et foemina connubio » copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec » liceat, excepta causa fornicationis, a coniuge coniugem di- » rimi. Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens » cum vivente in aeternum nullo divortio separetur. Cuius sacra- » menti tanta observatio est in civitate Dei nostri, in monte » sancto eius, hoc est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus » coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut, cum filio- » rum procreandorum causa vel nubant foeminae, vel ducantur » uxores, nec sterilem coniugem facile sit relinquere, ut alia » foecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius » seculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum » aliis alia copulare connubia; quod etiam sanctum Moysem » Dominus, propter duritiam cordis Illorum, Israelitis permi- » sisse testatur; sed lege evangelii reus est adulterii, sicut etiam » illa si alteri nupserit (107). » Qui praeterea paulo post ita prosequitur : « Ita inter viventes manet quiddam vinculum con- » iugale, quod nec saparatio, nec cum altera copulatio possit au- » ferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foe- » deris : sicut apostatae anima velut de coniugio Christi recedens » etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lava- » cro regenerationis accepit. Redderetur enim procul dubio re- » deunti, si amisisset abscedens (108), » ut alia eiusmodi

(105) *De matr.* c. IL. n. 2.
(106) Cap. X. n. 10 Opp. ed. Maur. tom X.
(107) Ibid. col. 285, 286.
(108) Ibib.

S. Doctoris testimonia silentio praeteream, quae praesertim occurrunt in libro *De bono coniugali*.

Huc quoque referuntur, quae Eugenius IV. in decreto pro Armenis, qui indissolubilitatem affirmat esse bonum matrimonii, ex eo quod indivisibilem coniunctionem Christi cum Ecclesia significet (109). Hinc in Catechismo Romano legitur : « Quamvis matrimonio, quatenus naturae est officium, *conveniat*, ut » dissolvi non possit : tamen id *maxime fit*, quantenus est » sacramentum (110).»

His tamen haud pauci non acquiescunt, eiusmodi rationibus ducti ; 1. quia hoc signum coniunctionis Christi cum Ecclesia iam habebatur tum in Adae et Evae coniugio, caeterisque veteris legis connubiis, tum etiam suo modo in ipsis gentilium coniunctionibus : sane Apostolus Ephes. V. locutus est de matrimonio in genere praemissis verbis Genes. II. *Propter hoc relinquet homo* etc. cum dixit : *Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et in Ecclesia*. Attamen, omnibus fatentibus, vetera illa connubia dissolvi poterant, saltem ex Dei dispensatione ; ergo indissolubilitas non bene deducitur ex ratione signi seu sacramenti.

2. Quia ratio sacramenti *presse sumpti* convenit tam matrimonio fidelium tantum rato, quam matrimonio consummato ; ecquis enim inficias ibit, matrimonium fidelium, dum consensu perficitur, esse vere et proprie Sacramentum? Nihilominus in aliquibus casibus ratum matrimonium dirimitur. Igitur sacramenti etiam proprie dicti ratio illa non est, quae indissolubilitatem omnimodam tribuat matrimonio.

3. Quia verum sacramentum habetur etiamsi fideles, qui coniugium contrahunt, statuant, seu paciscantur inter se mutuo consensu servare in matrimonio continentiam, ut constat de matrimonio inter S. Pulcheriam et Marcianum, ut alia omitam exempla, adeoque consummatio ad essentiam non pertinet sive sacramenti, sive matrimonii, prout mente concipitur a sacramento distinctum. Iam vero istud matrimonium solum ratum iugiter perseverans, etsi sacramentum vere sit semper, non nullis in casibus solubile

(109) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. IX. col 440.
(110) *De matrim.* sect. I. §. 11.

dici debet. Hinc redit eadem conclusio, quod sacramenti ratio per se omnimodam indissolubilitatem coniugio non tribuat.

4. Quia Christus ipse significavit indissolubilitatem a Deo repetendam esse dum ait : *Quod Deus coniunxit homo non separet,* scilicet vel ex naturali Dei praecepto, vel ex praecepto positivo, non autem ex ratione sacramenti fluit indissolubilitas.

5. Quia si ratio sacramenti causa esset indissolubilitatis, matrimonium, in quo ratio sacramenti deficeret, dici deberet minus indissolubile, quam matrimonium, in quo ratio sacramenti perfecta est. Iam vero matrimonia bigamorum deficiunt a mensura sacramenti, ut loquitur Augustinus, et tamen indissolubilia prorsus sunt, non secus ac matrimonia, in quibus ratio sacramenti est perfecta (111).

6. Quia quod attinet ad Augustinum, etsi praetermittatur Vasquezii singularis sententia, iuxta quam S. Doctor nunquam, cum agit de matrimonio, usurpaverit sacramenti vocem presso sensu de vero et proprio novae legis sacramento, etsi haec, inquam, sententia praetermittatur, quae allata sunt testimonia, explicari posse videntur aut de sacramento naturalis vinculi, quod ex ipsa lege naturae sanctum est atque insolubile, aut de sacramento *baptismi* ex quo fit, ut coniugium fidelium, qui sunt Christi membra, unionem Christi cum Ecclesia significet ; non autem de ipsa ratione veri et proprii sacramenti, quae matrimonio fidelium inest. Atque in hanc rem proferunt alia eiusdem sancti doctoris testimonia, uti ex libro *De nuptiis*, ubi ipse scribit : « Iam nunc si quodam modo interrogemus bona illa nup-
» tialia, unde ab eis potuerit peccatum in parvulos propagari.
» respondebit nobis operatio propagandae prolis : ego in para-
» diso magis felix essem, si peccatum non fuisset admissum...
» Respondebit etiam *connubii sacramentum :* de me ante pec-
» catum dictum est in paradiso : *relinquet homo patrem et ma-*
» *trem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*
» Quod magnum sacramentum dicit Apostolus in Christo et in
» Ecclesia. Quod ergo est in Christo et in Ecclesia magnum,

(111) Apud Pontium *De matr.* lib. I. c. XI.

» hoc in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed » tamen coniunctionis inseparabilis *sacramentum* (112). » Ex quibus verbis patet, iuxta mentem Augustini matrimonium in paradiso lege indissolubilitatis devinctum fuisse, iamque ex institutione sua *magnum* fuisse *sacramentum* in Christo et in Ecclesia. Fieri itaque non potest ut Augustinus ex sacramenti proprie dicti ratione coniugalis vinculi indissolubilitatem deduxerit.

Nec obstat interdum S. Augustinum ad illustrandam matrimonii firmitatem uti exemplis sacramentorum, nimirum baptismi, qui nunquam deletur in haereticis fidem deserentibus, quod attinet ad characterem ; nec non ordinationis ecclesiasticae ; ad hoc enim tantum S. Doctor usus est praedictis exemplis, ut ostenderet, quod, quamvis matrimonium exterius civili lege solvatur, re tamen ipsa vinculum manere, sicut character baptizati semper manet, quamvis ille, qui baptismo fidem nostram professus est, ab ea desciscat ; et sicut manet reipsa ordine insignitus is etiam, qui ab officio removetur ; non autem ut adstrueret ex hoc, quod matrimonium non secus ac baptismus et ordo sit proprie sacramentum, eius indissolubilitatem nasci, cum id non ferret scopus sibi propositus. Constat praeterea illis in locis Augustinum non solum agere de vinculo matrimonii christianorum, quod est sacramentum proprie ; sed de vinculo praeterea cuiuscumque matrimonii in *populo Dei ;* per populum autem Dei intelligit etiam antiquum populum patriarcharum, ut ex orationis contextu exploratum est. Ergo non potuit matrimonii indissolubilitatem ex propria sacramenti stricte sumpti ratione deducere.

Eugenius vero IV. dum in suo decreto asserit indissolubilitatem esse bonum matrimonii, eo quod significet indissolubilem coniunctionem Christi cum Ecclesia, non debet intelligi in sensu exclusivo, ac si inde solum, non autem ex rei natura indissolubilitas penderet (113). Insuper, ut dictum est, ea ratio signi habebatur etiam in matrimoniis veteris foederis : ratio autem sacramenti proprie dicti habetur pariter in matrimoniis ratis fidelium, et tamen solvi possunt.

(112) Cap. XXI. n. 23. Opp. ed. Maur. tom. X. col. 292.
(113) Cf. Vasquez. I. cit. c.VI. n. 62.

Hinc concludunt argumentis omnibus, quae supra attulimus, ita confici matrimonium natura sua esse indissolubile, ut necesse non sit vel ad praeceptum positivum, vel ad sacramenti rationem recurrere.

Ita quidem non pauci neque ignobiles theologi, qui proinde acriter invehuntur in illos, qui tam abiecte sentiunt de vinculo coniugali ex iure naturae, quasi non exposceret omnimodam vi sua firmitatem ac indissolubilitatem, nisi sacramenti ratio accessisset.

Quidquid porro de hac contentione sit, nobis videtur ex una parte coniugii indissolubilitatem ex ipso naturae exposci iure, adeo ut nihil sit in rerum natura, quod illud dissolvere ac dirimere valeat, nullaque humana potestas, quae vinculum possit attingere. Verum et illud fatemur eiusmodi firmitatem omnimodam haud spectare ad iura primaria seu essentialia legis naturalis, alioquin nec Deus ipse posset illud disiungere, quod tamen nemo dicet.

Ex altera vero parte negari haud posse videtur, maius adhuc robur firmioremque indissolubilitatem nactum esse matrimonium christianorum tum ex iure positivo divino, discente Christo: « Quod Deus coniunxit, homo non separet; » tum ex veritate sacramenti, quo fit, ut nullo unquam in casu matrimonium fidelium semel consummatum possit dissolvi. Quidquid porro Vasquezius ac nonnulli alii cum ipso sentiant, dubitari nequit, S. Augustinum maiorem firmitatem agnovisse ac saepius inculcasse in coniugiis fidelium, quam in caeterorum connubiis, idque ob sacramenti dignitatem, quam exclusive obtinet christianorum matrimonium.

Ad haec componenda aliqui theologi, inter quos eminet Basilius Pontius (114) in matrimonio generatim sumpto 1. intrinsecam et extrinsecam firmitatem distinguunt. Priorem, quae oritur ex natura rei, unice ac totam repetunt ex naturae iure licet non essentiali et primario, posteriorem vero arcessunt sive

(114) Lib. I. a cap XI. ad. XV.

ex iure divino positivo, sive ex ratione sacramenti proprie dicti.

Qua distinctione praemissa, 2. illud etiam animadvertunt, obligationem aliquam natura sua esse posse perpetuam, neque tamen illico exinde sequi, eam neque a supremo rerum Domino dissolvi posse, vel ipsam rei naturam immutari atque attingi, si quod de se perpetuum et stabile esse deberet, Deo ita disponente nec stabile sit neque perpetuum. Quod deinceps nonnullis exemplis declarant, confirmantque. *Status* quivis ex. gr. ex natura sua ita perpetuam firmitatem exigit, ut si ea desit, status ratio corruat, uti theologi, praeeunte angelico Doctore (115), uno ore fatentur. Hinc status religiosus ex se, seu natura sua est omnino perpetuus; et tamen Rom. pontifex potest, accepta a Deo auctoritate, illum dissolvere; sic votum absolutum ex se perpetuum est, et tamen potest eadem auctoritate a pontifice dissolvi, seu ab eo dispensari. Iam vero eiusmodi dissolutio aut dispensatio haud immutat sive naturam sive firmitatem, quam ex sese habent tum status religiosus, tum votum, quae non desinunt ex se esse perpetua, etsi per accidens ex perpetuis fiant temporalia. Igitur quamvis matrimonium vel in favorem baptismi vel in favorem religionis auctoritate divina dissolvatur, non obstat quominus ipsum matrimonii vinculum, quantum ex natura eius est, sit omnino indissolubile.

Quamobrem non bene arguunt ii, qui ex eo quod divinitus data est dispensatio inferunt matrimonium non esse indissolubile naturaliter, sed solum quatenus est sacramentum. Nam si ea ratio quidpiam valeret, matrimonium neque naturaliter, neque prout est sacramentum indissolubile dici deberet; quum etiam matrimonium ratum fidelium dissolvi possit. Ut matrimonium naturaliter indissolubile dicatur, sufficit ut in rerum natura nulla vis sit, quae possit illud derimere, quamvis naturae Auctor id possit; quemadmodum et alia plura iuxta naturae legem fieri nequeunt, quae tamen Deo ipso permittente et volente fieri pos-

(115) 2. 2. q. 68. ar. 4

sunt. Atque ut alio etiam exemplo utamur, anima hominis naturaliter incorruptibilis et immortalis dicitur et est, quia nulla est intrinseca corruptionis causa, nullaque vis naturae, quae eam possit destruere, licet per se Auctor naturae id facere posset; ex eo autem quod Deus, indito naturali immortalitatis et felicitatis appetitu, ostenderit se id nunquam facturum, quod absolute loquendo facere potuisset, non sequitur animam non esse intrinsecus et naturaliter incorruptibilem, adeoque eius immortalitatem a sola Dei voluntate positiva pendere; sed solum sequitur, animam, quae natura sua immortalis est et incorruptibilis, nunquam destructum iri neque ab eo, qui est extra ac supra naturam omnem. Simili ratione matrimonium est naturaliter indissolubile, quia nulla est intrinseca dissolutionis causa, imo nulla vis naturae, quae illud solvere possit, licet id fieri possit ab extrinseco, scilicet ab Auctore naturae. Ex eo autem quod Deus statuerit illud non solvere, nullatenus dici debet omnem indissolubilitatem ex ea positiva voluntate pendere, sed solum intrinsecae ac naturali extrinsecam etiam rationem firmitatis accessisse.

Hinc 3 iure optimo dici potest matrimonium christianum, quatenus est sacramentum, ac perfectius exhibet unionem Christi cum Ecclesia, maiorem firmitatem habere, ac pressius esse insolubile, quam sit suapte natura; ex ratione enim sacramenti et signi extrinseca firmitas repetenda est. Cumque ea significatio indita sit matrimonio fidelium, eo ipso quod baptismum susceperunt, et membra sunt Christi, inde fit, ut matrimonium etiam in infidelitate contractum post coniugum conversionem sine novo consensu extrinsecam pariter hanc firmitatem acquirat.

Quod si 4. penitius etiam maioris huiusce firmitatis ratio quaeratur, res ita exponi potest, ut ratio sacramenti et significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia non sit proprie indissolubilitatis causa, sed potius signum a posteriori, quo intelligimus, suscepto baptismo, iam locum non habere eum casum, inquo supremus rerum Dominus disposuit matrimonium infidelium dissolvi in

favorem baptismi, quando alter convertitur et alter pacifice cohabitare renuit. Sic etiam, quum matrimonium fidelium consummatum est, cessat etiam alter casus ex his, in quibus Christus disposuit, ut coniugium dissolveretur; nempe in favorem status religiosi. Haec porro maior indissolubilitas extrinseca est, neque aliunde tandem pendet quam a Christi voluntate. Licet enim matrimonium consummatum perfectius exhibeat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam matrimonium tantum ratum, tamen si Christus voluisset, potuisset certe statuere, ut matrimonium etiam consummatum fidelium dissolveretur in favorem religionis, non obstante ratione sacramenti et signi perfecti, prout ea non obstante matrimonium fidelium non consummatum dissolvitur. Ea igitur sacramentalis significatio et ratio ipsa sacramenti non efficit per se indissolubilitatem, sed potius signum est a posteriori, quo colligimus, extrinsecam dissolubilitatem omnino cessasse.

Hac ratione 5. exponi possunt de extrinseca firmitate tum Sancti Augustini, tum Eugenii IV. testimonia, tum alia Patrum et conciliorum effata, quibus et matrimonium per se indissolubile dicitur, et simul maxime indissolubile asseritur, quia est sacramentum.

Tandem si haec probentur, prout probari posse videntur, diversae theologorum sententiae haud aegre conciliantur. In hac enim doctrina, quam exposuimus, tum lex naturae, tum lex positiva, tum ratio sacramenti ad indissolubilitatem christiani matrimonii comprobandam mire conspirant; scilicet non *exclusive* ex uno aut alio capite, sed simul ab omnibus perfecta indissolubilitas deducitur, atque ex quavis sententia illud, quod verum est, seligitur, simulque componitur; atque adeo conciliari possunt, qui indissolubilitatem repetunt ex iure naturae, cuiusmodi sunt Lyra, Abulensis, Sotus, Lopez aliique apud Sanchez (116) cum iis, qui eam deducunt ex iure positivo, uti Guillelmus Rubiva, Richardus, Iac. Almainus, Deca Hispalensis, Iac. Latomus aliique apud Pontium (117); et cum his

(116) *De matrim.* lib. II. disp. 13. n. 4 seq.
(117) *De matrim.* lib. 7 c. 12 n. 4.

utrisque ii, qui insistunt rationi sacramenti, cuiusmodi sunt Bellarminus, Burgensis, Durandus, S. Antoninus, Caietanus, Medina aliique, quos Sanchez allegat et sequitur (118). Sed insuper hac ratione inter se componi et perfici possunt non modo ea, quae de origine indissolubilitatis diversi auctores disserunt, sed etiam, quae iidem diversis in locis docuerunt, atque ea, quae nos ipsi de hac quaestione sive in praelectionibus, sive in hoc ipso tractatu exposuimus.

CAPUT II.

De Bibliorum doctrina circa christiani matrimonii indissolubilitatem etiam in causa adulterii.

Doctrina est catholica christianum matrimonium in ipsa causa adulterii esse quoad vinculum indissolubile. Prima fronte huic doctrinae obstare videntur verba Matth. V. « Qui dimiserit uxo- » rem suum, *excepta fornicationis causa*, facit eam moechari; » et XIX. « Quicumque dimiserit uxorem suam, *nisi ob fornica-* » *tionem*, et aliam duxerit, moechatur. » At dogmatica horum textuum interpretatio haec est, per fornicationem seu per adulterium, divortium quidem fieri posse quoad torum et habitationem, sed vinculum ipsum nullatenus dissolvi; seu dimitti posse uxorem ita ut fas non sit aliam ducere, adultera vivente.

Si liberiores quosdam criticos etiam catholicos audiamus, difficultas, quam Ecclesiae doctrinae facessere videntur ea verba *excepta fornicationis causa*, et *nisi ob fornicationem*, obtruncari posset, negata vel in dubium revocata eorum verborum authentia. Ea etiam ut par est admissa, quidam catholici interpretes, dum Ecclesiae doctrinam defendunt, quasdam proponunt eorum verborum exegeticas interpretationes, quae ita doctrinam Ecclesiae de omnimoda christiani matrimonii indissolubilitate tueri videntur, ut difficultatem, quae ex iis verbis petitur, omnino praecidant : at eae nobis neque ad difficultatem solvendam necessariae neque utiles videntur, neque, quod caput est, ad veritatis normam exactae.

(118) Loc. cit.

Antequam igitur dogmaticam Ecclesiae interpretationem contra protestantes et Graecos vindicemus, criticas et exegeticas quaestiones cum catholicis breviter absolvemus; tum doctrinam Ecclesiae de indissolubilitate coniugii etiam in causa adulterii ostendemus, primum ex Bibliis, dein ex sensu traditionis universae; postremo ecclesiae Latinae et Graecae hac de re doctrinam et praxim expendemus.

Articulus I. — De authentia ac genuina lectione textuum Matth. V. et XIX.

Ab ipso controversiae initio utrumque Matthaei textum integrum praemittimus. Matth. V. 31. 32. legitur : « Dictum est » autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum » repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit » uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moe» chari : et qui dimissam duxerit, adulterat » cap. vero XIX. 3. seqq. dicitur : « Et accesserunt ad eum (Iesum) pharisaei ten» tantes eum, et dicentes : si licet homini dimittere uxorem » suam quacumque ex causa? Qui respondens, ait eis : non » legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foemi» nam fecit eos? et dixit : propter hoc dimittet homo patrem et » matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. » Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus co» niunxit, homo non separet. Dicunt illi : Quid ergo Moyses » mandavit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis : quo» niam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis demit» tere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic. Dico autem » vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob forni» cationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxe» rit, moechatur.» His parallela sunt, quae leguntur Marci X. et Luc XVI. quae inferius dabimus atque inter ea collationem instituemus.

Ut itaque a quaestione de genuinitate ac integritate istorum textuum Matthaei ordiamur, nonnulli hypercritici aetate hac nostra primum indubium revocarunt, quae occurrunt Matth. V.

31. 32. Alii vero quae habentur XIX. 9. Nam quod attinet ad priorem textum Franc. Ant. Jäger autumavit clausulam : *παρεκτὸς λόγου πορνείας*, *excepta fornicationis causa* in genuinis evangelii codicibus defuisse. His porro argumentis innititur ad eiusmodi placitum statuendum 1. quod primorum temporum christianis nunquam in mentem venerit temporaneam, seu quoad torum, ob adulterium matrimonii solutionem hoc textu firmare, sed constanter ad apostoli Pauli effata provocaverint; 2. quod Tertullianus referens Marcionis obiectionem ex eo petitam, quod Christus se praebuerit Moysi contrarium, illam clausulam omnino praetermiserit *excepta fornicationis causa;* ait enim Marcion : « Sed Christus divortium prohibet » dicens : *Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adul-* » *terium committit, qui dimissam a viro duxerit aeque adulter* » *est.* Moyses viro permittit repudium etc. (1). » Argumento igitur est, nondum aetate illa allegata verba in Matthaei evangelio genuino extitisse; 3. verisimile proinde est, serius verba illa ex cap. XIX. 9. Matthaei in cap V. 32. illata fuisse, et e scriptis Patrum, qui de separatione coniugum in causa fornicationis egerunt, in codices evangeliorum irrepsisse. 4. Ex historia primorum temporum optime explicatur confirmaturque huius interpolationis origo. Siquidem primi Iudaei ad religionem christianam conversi, cum antea e lege Mosis divortia in casu fornicationis permissa fuerint, morem hunc ac permissionem in nova etiam lege, argumento ab apostolo Paulo separationem admittente petito, conservandam esse iudicarunt, atque ex Clemente Alexandrino *exceptionem in causa adulterii*, in loca evangelii Matth. V. et XIX. intulerunt, ut sic ex ipsis Iesu effatis probarent dimissionem uxorum in casu fornicationis licitam esse. (2).

Quod vero attinet ad locum Matth. XIX. 9. sunt qui existiment, integrum hoc comma spurium esse; alii vero censent tan-

(1) Lib. IV. *Cont. Marcion.* c. 34. ed. Rigalt.

(2) Ita Jäger in op. Germ. *Investigatio in quaestionem, utrum divortium iuxta doctrinam Scripturae et antiquissimam historiam ecclesiasticam irritum sit nec ne.* Armstadt et Rudolstadt 1804.

tummodo fuisse interpolatum. Inter eos, qui aliena manu inserta arbitrantur ea verba, quae ad fornicationem referuntur, eminet Leonardus Hug, olim professor Friburgensis in Bisgovia. His porro argumentis movetur : 1. plures sunt variantes lectiones, quae in hoc versiculo in antiquis codicibus passim occurrunt (3). 2. Supersunt in lucubrationibus veterum indicia haudquaquam obscura, exemplaria Matthaei omni quondam conditione caruisse (4). 3. Ptolemaeus scholae Valentinianae alumnus saec. II. in sua ad Floram epistola, cuius magnam partem conservavit Epiphanius, impugnat antitheses Cerdonis sive Marcionis asserentium, alium Deum novi, alium veteris testamenti auctorem esse, cum utriusque foederis praecepta sibi contraria ex eadem divina mente prodiisse impossibile sit : sic Mosaicum Deum divortia concessisse, prohibuisse Salvatorem. Adversus quae Ptolemaeus disserens, profert locum Matthaei XIX. 9. absque conditione, seu absque illis verbis, quae favent divortio (5). 4. Tertullianus

(3) Scribit enim in cit. *Commentat. exegetico de coniugii Christ. vinculo insolubili* Friburg. 1816. part. I. pag. 4. « Omnes fere Constantin. et cum his » Aegyptiorum libri nonnulli Matth. XIX. 9. lectionem exhibent : ἀπολύσῃ τὴν » γυναῖνα αὐτοῦ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ. Hanc sententiam aliqui particula conditionali εἰ » exornarunt, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, quorum calculum difficulter inire possis. » Deinde commemorat recensiones Millii, Wetstenii, Bengelii, Frid. Matthae atque Griesbachii.

(4) Nempe particula εἰ, *si*, quam textui adiectam ipse autumat.

(5) Textus Ptolemaei prout ab Hugio adducitur ex S. Epiphanio *Haeres.* XXXIII n. 3. in Grabii *Spicilegio SS. Patrum ut et haeret.* saec. I. II. et III. tom. I. saec. II. Oxon 1700. p. 72, 73. ita se habet : « Quaedam in lege ad Deum ip- » sum eiusque sanctionem pertinent ; alia autem Mosi tribuenda sunt, haud » quaquam suggerente Deo, sed quatenus ex impulsu mentis proprio nonnulla » constituit.... Quod quemadmodum sese habeat ex ipsis Salvatoris verbis de- » monstratum intelliges. Quodam enim in loco Salvator ad eos verba faciens, » qui secum disputabant de libello repudii, quod a lege permissum erat, sic » eos allocutus est : Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere » uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic. Deus enim, ait : coniugium hoc » copulavit : et quod Deus coniunxit homo non separet. Dilucet exinde aliam » Dei legem esse prohibentem separari a muliere ; aliam vero Mosis concedentem separari propter duritiam. Sane haec Deo contraria Moses ordinavit ; » siquidem contrarium est eius non separari. Sed si Mosis mentem in ferenda lege » consideremus, inveniemus eum non id sponte sua, sed necessitate fecisse....

lib. IV. advers. Marcionem ex Matth. XIX, quasi nec vola vel vestigium concessionis in hac pericope extiterit, diversitatem legis et evangelii inficiatur. Concessionem igitur divortii in suo exemplari non habuit Tertullianus. Post quae concludit Hug. « Sufficiunt hae rationes, ut exceptionem cap. XIX. positam » tanquam additamentum reiiciamus, quod posterior manus » invexit. » Qua vero ratione eiusmodi additamentum irrepere potuerit exponens ait : « Lectorum forte quisquam, cum in » hunc Matthaei locum incidisset, videretque conditionem in » oratione Domini adiitiali cap. V. 32. lectam hic abesse, miratus » quid rei subsit, aut quae huius diversitatis ratio reddi possit, » notationem pro consuetudine veterum adposuit ad marginem » libri, ut locum insigniret peculiari attentione dignum. Haec » coniecta in marginem observatio, cum illis, qui postea eo libro » usi sunt, emendationis causa adscripta, et voces in contextu » omissas, exhibere videretur, pluribus pedetentim addita, et » tandem, cum nova exemplaria conficerentur, a librariis in » media verba Domini illata est (6). »

Alii ulterius progressi contendunt colloquium Christi cum Pharisaeis apud Matth. XIX. desiisse illis verbis : *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet*, nempe in v. 6 inclusive; adeoque vv. 7. 8. et 9. suppositios esse, ac primo in evangelia quibus Nazaraei, Ebionitae et Cerinthiani utebantur irrepsisse. Paulusius Heidelbergensis suspicatus est verba saltem, quae prostant v. 9. *καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας μοιχᾶται*, *et qui dimissam duxerit moechatur* serius textui fuisse inserta, eo quod in plerisque codicibus desiderentur; pro verbis autem *μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*, (prout ipse legebat,) verba *παρεκτὸς λόγου πορνείας* fuisse substituta (7).

» ne ea occasione in maiora scelera et perniciem propriam ruerent.... Hoc in » ea re consilium eius fuit, ad cuius ductum manifeste et citra controversiam » ista contra Dei legem constituit. » Ast eiusmodi tractus neque convenit cum eo, qui habetur apud Grabium, ut paulo post videbimus, neque cum eo, qui habetur apud S. Epiphanium edit. Pactav. tom. I. pag. 216 ac refertur etiam in apend. ad quinque Irenaei libros edit. Massuetti.

(6) In op. cit. §. 2. p. 8. et 9.

(7) Apud Roskovàny op. cit. § 78. p. 129.

Alii etiam verba Matth. V. 32 et XIX. 9 *Et qui dimissam duxerit, adulterat* interpolata fuisse crediderunt, inter quos Gregorius Mayer, qui sensuit verba citata e codicibus tam Graecis quam Latinis olim abfuisse, nec Augustinum, nec Chrysostomum, nec Basilium eadem legisse; in codice quoque Cantabrigiensi locum hunc desiderari (8). Paulusius item eadem verba ideo potissimum uti non authentica reiecit, quia olim iam Clemens Alex. et Origenes illa varie reddiderunt (9).

Alii autem particulam *εἰ* si excludendam censent ex verbis Christi v. 9. citati cap. XIX. quia omnes fere Constantinopol. codices, nonuullique Aegyptiorum libri sic lectionem exhibent : *ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ dimiserit uxorem suam* CUM NON SIT ADULTERA (ut explicat Kuinoelius). Cumque a plerisque codicibus *εἰ* absit, fortasse illatum censent a grammaticis fuisse, quoniam in loco parallelo legitur : *παρεκτὸς λόγου πορνείας, excepta fornicationis causa* Matth. V. 32, quae ipsa etiam verba in pluribus codicibus e loco mutato a grammaticis adscripta sunt (10). Hanc proinde sententiam aliqui particula hac conditionali exornarunt. Haec porro lectio observata fuisse videtur Clementi Alex. qui Christi verba ex utraque Matthaei sententia conflata memoriae lapsu adducit lib. II. *Strom. Οὐκ ἀπολύσεις γυναῖκα, πλὴν εἰ μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας non dimittes uxorem praeterquam propter fornicationem* (11). Alii praeterea codices, inter quos eminent Vaticanus omnium antiquissimus et Cantabrigiensis, Graeci deinde illi, quos recensuit Griesbachius; superioris insuper et inferioris Aegypti versiones, nec non Latinae ante Hieronymum

(8) *Specimen animadversionum in Graecum Matthaei textum eruditorum examini propositum.* Nurimbergae 1786. pag. 231.

(9) *Commentarii philologico-critici in Novum Testam.* Part. II. ed. sec. Lipsiae 1812. pag. 794. Quem non pauci alii sequuti sunt apud Roskovàny op. cit. 129 seqq.

(10) Ita Kuinoel *Comment. in lib. Novi Test. historicos* ad Matth. XIX. 7-9.

(11) Ed. Paris. 1641. pag. 424. et in ed. Potter Oxoniens. anglicani episcopi, Oxonii 1715. opp. tom. I. pag. 506.

exprimunt *ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας*, *dimiserit uxorem suam excepta fornicatione*. Locum igitur insigniter laesum ex hisce manifestum est.

Denique alii contendunt non Iesum ipsum Matth. V. 32. exceptionem *fornicationis* pronuntiasse, sed tantum evangelistam ex loco parallelo XIX. 9. ubi Iesus reipsa eam adhibuerat, adiecisse (12).

Ita quidem hodierni critici. Verum non est, quod istis permoveamur. Siquidem nonnisi levibus ut plurimum coniecturis innituntur, quemadmodum ex iis, quae dicturi sumus, palam fiet.

Etenim ut Iägeri primum argumenta excutiamus, ipse non evincit verba : *excepta fornicationis causa* e genuinis evangeliis abfuisse, eo quod veteres solum uterentur, ut ille ait, verbis Apostoli I. Cor. VII. 10. 11. « Qui matrimonio iuncti sunt, » praecipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo » reconciliari, et vir uxorem non dimittat, » ad persuadendam temporaneam ob adulterium solutionem. Siquidem verbis evangelicis usus est iam sec. III. ineunte aut secundo exeunte Theophilus Antiochenus : « Et qui ducit, inquit (Christus), » *dimissam a viro moechatur*, et qui dimittit uxorem *excepta* » *fornicationis causa*, facit eam moechari (13); » nec non Iustinus, qui pariter adducit, quae habentur tum Matth. V. 32. tum XIX. 9. « Qui ducit repudiatam ab altero viro moecha» tur (14). » Item iis usus est Clemens Alexandr. cuius modo verba attulimus ; insuper Origenes, qui Christi effatum ex Matth. V. 32. « Omnis qui dimiserit uxorem suam, *excepta*

(12) Uti Tholuck in *Expositione philologico-theologica orationis montanae* Hamburg. 1833. pag. 235-275. aliique apud Roskovàny op. cit. pag. 108-seqq.

(13) Καὶ ὁ γαμῶν, φησὶν, ἀπολελυμένην ἀπὸ ἀνδρὸς, μοιχεύει· καὶ ὃς ἀπολύει γυναῖκα, παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι. Lib. III. ad Autol. cap. XIII. ed. Galland. tom. II. pag. 128.

(14) Apolog. I. n. 15. Ὃς γαμεῖ, ἀπολελυμένην ἀφ' ἑτέρου ἀνδρὸς μοιχᾶται. Ed. Maur. p. 52.

» *fornicationis causa*, facit eam moechari, profert in commen-
» tario in Matthaeum (15); atque ex Matth. XIX. 9. (16). »
Sic etiam Tertullianus ita effert Salvatoris nostri verba ex Matth. V. 32. « Qui dimiserit uxorem suam praeter causam adulterii,
» facit eam adulterari; aeque adulter censetur et ille, qui dimis-
» sam a viro duxerit (17). »

Ex his non solum habemus veteres, eosque antiquissimos Christi verba cum adiecta clausula *excepta fornicationis causa* attulisse, adeoque uti genuina eiusmodi verba habenda esse, verum etiam habemus alteram difficultatem ex Marcionis allegatione apud Tertullianum petitam plane solutam. Etenim ut patet ex adductis Tertulliani verbis, habemus ab eo expresse agnitam eam clausulam fuisse, quae a Christo apposita est. Quod si Marcion eam omisit, ratio est, quia is unum admittebat Lucae evangelium, illudque *decurtatum*, seu interpolatum, ut ipsum rei suae accommodaret; porro in evangelio Lucae eiusmodi clausula non habetur; et ex Luca protulit testimonium Marcion in obiecto loco, ut Christum Moysi adversantem traduceret.

Ad id quod tertio loco subdit Iäger dicimus, non esse nisi meram coniecturam, quae ex adductis Patrum antiquissimorum testimoniis plane evertitur. Nam Patres promiscue et ex cap. V. et ex cap. XIX. Matthaei verba promunt, nullaque est ratio quare dici queat ex cap XIX. in caput V. clausulam, de qua agimus, translatam fuisse; praesertim cum sit contra fidem codicum, qui constanter utrobique eam exhibent (18).

(15) Tom. XIV. n. 24. ed. Maur. p. 647. Εἰ ἀπολύσει τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πόρνειας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι. Et iterum p. 648.

(16) Ibid.

(17) Lib. IV. *cont. Marcion.* c. XXXIV. ed. Paris. 1616. pag. 727. et iterum in lib. *De pudicitia* ibid. pag. 1109.

(18) Sane Wetstenius in critica sua recensione *Novi testamenti Graeci* Amstelod. 1751. utrumque locum una cum adiecta clausula retinuit. Id ipsum fecit Griesbachius ed. III. Berolin. 1822. ex cura D. Scholz; nisi quod in textu Matth. XIX. 9. omittit particulam εἰ de qua postea.

Temeritatem sapit quod quarto loco absque ullo fundamento scientifico, sed ex mera coniectura et divinatione ipse adiecit, quasi nempe illi Iudaeo-christiani potuerint insigni uti fraude, ut persuaderent a Christo Domino permissum fuisse divortium in causa adulterii, prout in veteri lege indultum fuerat a Moyse. Haec enim non modo incredibilia, sed prorsus absurda esse deprehenduntur, Evangelii exemplaria omnium terebantur manibus; quomodo igitur potuissent isti ex Iudaismo ad religionem christianam conversi ex scriptis Clementis Alexandrini exceptionem in causa adulterii in illa evangelica loca transferre? Eo vel magis quod scriptores Clementi coaevi ac suppares illam attulerint tanquam ex evangelio Matthaei depromptam, ut constat ex allatis documentis Iustini, Theophili Antiocheni ac Tertulliani? Accedit, quod Origenes Clementis discipulus ac successor in schola Alexandrina aperte neget a Moyse per *foeditatem* fuisse significatum id quod Christus per *fornicationis causam* expressit (19). Quod certe non fecisset, si ea verba recenti adeo interpolatione nuper inducta fuissent iuxta adversarii nostri somnium.

Iam expendendum est utrum felicius Hug pugnaverit, dum uti ab aliena manu insertam totam pericopen Matth. XIX. 9. fuisse contendit. Profecto id primo non evincit varietas lectionum, quae in hoc commate reperitur. Siquidem tanta ea non est, prout fingit doctus hic et eruditus professor, ut planum fit ex duabus memoratis recensionibus Wetstenii et Griesbachii in

(19) En verba Origenis ex cit. tom. XIV. in Matth. n. 24. « Dicet fortasse » Iudaicus quispiam vir ex iis, qui Sospitatoris nostri doctrinae refragari audent, Iesum ipsum cum dixit : *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, repudiandae uxoris potestatem » fecisse haud secus ac Moysem, quem pro duritia cordis populi legem tulisse » dixit : et illud : *qui foeditatem in ea invenit*, idem esse docet ac fornicationis » causam, propter quam iure mulier a viro repudiari possit. Verum huic respondendum est, etiamsi eo legis mandato, mulier adulterii rea lapidibus » necanda sit, *non ita foeditatem esse intelligendam, nec enim propter adulterium*, vel similem aliquam turpitudinem libellus repudii scribendus est, et » coniugis in manus tradendus, sed quodlibet forsitan peccatum, foeditatem » nuncupasse Moysem etc. »

hunc locum (20). Accedit quod, si hac ratione fas esset uti aliena manu inserta reiicere loca omnia, quae variantes lectiones habent, vix nobis aliquid permaneret ex sacris Bibliis, cum nullus fere locus sit, qui variantibus careat lectionibus, praesertim in Novo Testamento, ut percurrendo omnes editiones criticas Graeci textus, quisque facile sibi persuadebit.

Esto interdum penes veteres reperiri quamdam in allegatione duorum istorum textuum diversitatem, prout secundo loco obiicit Hug; eiusmodi tamen varietas nullum praebet sive clarum sive obscurum indicium de intrusa conditione *excepta fornicationis causa*, vel *nisi ob fornicationem*, cum multiplex ratio dari possit eiusmodi diversitatis in horum textuum allegatione; videlicet id contingere potuit ob eorum similitudinem, qua factum est, ut alter pro altero allegaretur, cuius exempla occurrunt apud Origenem, qui ut adnotavit Griesbachius, ter commati Matth. XIX. 9. substituit Matth. V. 32. Idem praestitit Tertullianus lib. IV. contr. Marcionem c. XXXIV. (21). Caeterum nullum dubium est Patres in suis exemplaribus in utroque Matthaei textu illam clausulam, et quidem constanter legisse, cum exinde, ut videbimus, orta sit vetus controversia de perfecta sive imperfecta coniugii dissolutione propter fornicationem, sive adulterium. Haec enim controversia nullum locum habere potuisset, dempto hoc commate, quod apud solum S. Matthaeum occurrit.

Quod tertio loco obiicit Hug ex epistola a Ptolemaeo Valentini sectatore ad sororem suam Floram scripta, ad rem non facit. Nam Ptolemaeus non sibi proposuit, ut in proposita difficultate asseritur, ostendere adversus Marcionem aut Cerdonem alium non esse Deum auctorem veteris, alium Novi Testamenti, sed

(20) Griesbachius inter codices, qui exhibent hunc versiculum cum clausula παρεκτὸς λόγου πορνείας, memorat Vaticanum omnium antiquissimum et Cantabrigiensem seu Alexandrinum. Possem alias recensiones criticas afferre Millii, Gregorii Cantabrigiensis, Tittmanni, aliorumque magno numero, si opus esset.

(21) In nota *n* quam apposuit ad Matth. XIX. 9.

potius trifariam dividenda esse, quae in Pentateucho continentur, ita ut alia a Deo fuerint constituta, alia a Mose ut privato auctore, seu ut ipse loquitur, *per se ac suapte sponte aliquid constituente*, alia a senioribus. Quod ut evincat exemplum profert ex libello repudii a Mose concesso scribens : « Quod quemadmodum sese habeat, ex ipsis Salvatoris verbis demonstratum mox intelliges. Hic enim quodam » in loco ad eos verba faciens, qui de repudii libello secum disputabant, quod permissione legis licebat, sic illos allocutus » est : *Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic.* Deus enim, » inquit, coniugium hoc copulavit : *et quod Deus coniunxit, homo non separet.* Ubi aliam esse Dei legem ostendit, quae » uxorem a viro seiungi prohibeat, aliam Mosis, qui ob duritiam cordis par illud dissociari permittat. In quo Moses quiddam Deo contrarium tulit, ei scilicet cautioni, qua dissolvi » matrimonia vetuerat (22). » Cum igitur alius omnino scopus Ptolemaeo fuerit ab eo, quem adversarius ei affingit, non erat ratio, quare conditionem illam apponeret.

Tertullianus in lib. IV. contr. Marcionem non allegat cap. XIX. S. Matthaei, sed caput V. 32. et affert, ut vidimus, exceptionem. Adeoque dici nequit illum in vers. 9. capitis XIX. exceptionem, de qua agimus, non legisse. Quod vero citet caput V. 32. potius quam caput XIX. patet ex ratione, qua affert verba Christi, dicens : « Nam et in evangelio Matthaei : *Qui dimiserit*, inquit, *uxorem suam praeter causam adulterii, facit eam adulterari : atque adulter censetur et ille, qui dimissam a viro duxerit.* Caeterum *praeter ex causa adulterii* nec Creator » disiungit, quod ipse scilicet coniunxit (23). » In capite enim XIX. 9. habetur : *nisi ob fornicationem*, omissa voce *causa*, quae occurrit Matth. V. 32. quamque hic bis repetit Tertullianus.

(22) In *Spicilegio SS. Patrum* I. E. Grabii Oxon. 1714. saec. II. tom. I. pag. 72.

(23) Loc. cit. c. XXXIV. ubi Pamelius nota 542. ostendit verba, quae hoc loco adduxit Tertullianus, desumpta fuisse ex cap. V. v. 32. S. Matthaei.

Cum igitur falsae sint praemissae ab Hug excogitatae, concidit conclusio, quam ipse ex illis intulit, nempe exceptionem, quae occurrit Matth. XIX. 9. spectandam esse veluti additamentum, quod aliena manus invexerit.

Ratio vero, quae adducitur ab erudito auctore, ut suadeat quomodo eiusmodi additamentum fieri potuerit, mera coniectura est probabili quovis fundamento destituta. Hinc vel ipse Kuinoel de hac professoris Hug coniectura scribit: « Verba, quae » Matth. XIX. 9. leguntur *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείας* (*nisi ob fornicationem*) contra codicum fidem a grammaticis adscripta et a » librariis male sedulis in ordinem translata putat (24). »

Nunc iam de interpolatione multiplici, quam alii critici biblici his in textibus deprehendere visi sunt, aliquid adiiciendum superest.

Ac 1. Christi colloquium cum pharisaeis absolutum fuisse verbis illis : *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, adeoque tanquam assutos abiiciendos esse vv. 7. 8. ac. 9. nemini unquam persuadebunt neoterici isti, quum penes antiquos omnes, qui hoc de argumento egerunt, reperiantur, quae his versiculis continentur. Specimen dedimus in paulo ante adductis locis ex Theophilo Antiocheno, Iustino, Clemente Alex., Origene, Tertulliano. His addimus versiones omnes antiquissimas, cuiusmodi sunt versio Latina et quidem antiquior recensione Hieronymiana (25), Syriaca, Arabica, Aethiopica, Persica, quae ad unam omnes eiusmodi versiculos exhibent (26). Quibus si addantur codices omnes melioris notae, quibus editiones seu versiones criticae adornatae sunt Novi Testamenti, profecto plena demonstratio de horum versiculorum authentia exur-

(24) *Comment. in lib. hist.* N. T. ad v. 32. cap. V. Matth. Et sane in editionibus criticis Wetstenii, Griesbachii et Tittmanni saltem *μὴ ἐπὶ πορνείας* ex fide codicum critic. retinentur.

(25) Cf. apud Sabathier *Bibl. sac. versiones Latinae antiquae, seu vetus Itala* : Remis 1743. tom. III. part. III. De hac ipsa versione antiquiore certe S. Irenaeo cf. Lachmannum in praefat. suae recensionis.

(26) Cf. in Polyglottis Waltonianis.

get (27). Fuisse vero primo in evangelia, quibus Ebionitae, Nazaraei ac Cerinthiani utebantur insertos hos versiculos, ex quibus postea irrepserint in evangelium Matthaei, fabula est, nec ullo documento suffulta. Quum iamdiu eiusmodi evangelia perierint, qui hoc fingunt, divinare satagunt (28).

2. Nec magis firmum est quod Paulusius aliique autumant, verba : *Et qui dimissam duxerit, adulterat*, inserta fuisse. Quamvis enim fateamur penes aliquot Patres verba haec non reperiri (29), aut etiam in nonnullis codicibus desiderari, non inde tamen confici potest, ea utpote interpolata esse reiicienda. Obstant siquidem, quominus id admittamus, argumenta omnia, quibus genuinitatem trium versiculorum vindicavimus, quae etiam pugnant pro versiculi noni integritate. Sane cernimus clausulam hanc apud alios vetustissimos Patres reperiri, nominatim vero apud Theophilum Antiochenum, Iustinum M., Tertullianum, quorum testimonia attulimus; tum etiam apud Clementem Alex., qui ait expresse : *Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur, inquit* (Christus) (30). Quoad sensum vero eamdem sententiam profert Origenes dum ait : « Quemad-» modum autem adultera est uxor, etiamsi viro alteri nupta » videatur, priore etiamnum vivo; ita et virum repudiatam

(27) Cf. Millii *Prolegomenon in N. T.* part. III. nec non Christ. Matth. Ifassii *Dissert. crit. de genuinis librorum N. T. lectionibus*. Amstelodami 1709.

(28) Cf. I. A. Fabricii *Codex apocryphus N. T.* Amburgi 1703. tom. I. pag. 335. *Notitia et fragmenta evangeliorum* (XL. fere) *apocryphorum*.

(29) Cf. Sabathier loc. cit. ubi recenset sex codices, in quibus comma hoc reticetur. S. Germ. 1. Corb. 1. Corb. 2. Claram. Cantabrig. S. Gall. et Mai. Mont. S. Germ. 2. S. vero Augustinus ibid. bis allegat hunc textum sic : *Et si aliam duxerit, moechatur*, vel *si alteram duxerit, adulterium committit*. Cf. etiam Recensionem N. T. Lachmanni, Berolini 1842. tum in textu Graeco, quem ipse vulgavit, tum in versione Latina antehieronymiana haec clausula constanter reperitur. Cf. etiam variantes lectiones, quas ipse profert in hunc loc.

(30) Loc. cit. ed. Oxon Potteri 1705. pag. 506. Ὁ δὲ ἀπολελυμένην λαμβάνων γυναῖκα μοιχᾶται, φησίν. Non video post haec, quomodo cl. Roskovàny contentus fuerit asserere, solum quoad sensum haec verba a Clemente exhiberi.

» duxisse visum, non tam ipsius maritum, quam adulterum » esse dicendum a Servatore nostro demonstratum est (31). »

Sic enim fatemur interdum pro *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείας* a nonnullis veteribus dici : *παρεκτὸς λόγου πορνείας*. Verum id effecit utriusque textus Matth. V. 32. et XIX. 9. similitudo et identitas argumenti. Caeterum criticorum est sua cuique textui verba vindicare et collatione codicum et versionum antiquarum, testimoniisque veterum (32).

3. Etiamsi admitteretur particulam conditionalem *εἰ si* fuisse adiectam, nihil tamen quoad sensum amitteretur, cum integer subsistat, sive illa particula admittatur sive reiiciatur. Eodem nimirum res recidit. Porro ex eo quod in pluribus codicibus haec particula desit, recentiores critici protestantes in suis recensionibus plerumque eam expungunt, ut Griesbachius, et Tittmann. Alii autem eam retinent, uti Wetstenius, Io. Gregorius, Millius (33). Rursum a veteribus identidem cum conditionali legitur, ut apud Clementem Alex. aliosque passim, ab aliis vero praetermittitur. Quae cum ita sint, cum in possessione sit vulgata editio, retineri ea omnino debet, nec quidpiam temere innovandum.

Quod demum adiicitur ab Evangelista, non autem a Christo appositam fuisse *fornicationis* exceptionem, refellitur ex ipsa orationis serie, et ab unanimi veterum ac recentiorum interpretum consensu; quin opus sit pluribus gratuitam eiusmodi assertionem persequi.

Hinc etiam immerito Pottus et Eichornius autumarunt, quae Matth. V. 32. leguntur, a Christo dicta esse alio tempore, cum nimirum ei quaestionem captiosam proposuissent pharisaei,

(31) *In Matth.* tom. XIV. n. 24. ed. cit. tom. III. p. 649. Adnotat autem Griesbachius verba haec propter *ὁμοιοτέλευτον* a librariis in multis libris omissa esse.

(32) Id. enim in non paucis textibus a sanis criticis praestitum est.

(33) Cf. iterum Lachkmannum in cap. XIX. 9. Matth. in cuius textu gr. legitur : *παρεκτὸς λόγου πορνείας* quae translata huc sunt ex cap. V. 32. In variantibus autem interdum habetur *μὴ* interdum *εἰ μὴ* et in versione veteri Latina legitur : *Nisi ob fornicationem.*

coll. Matth. XIX. 3. seqq., Matthaeum vero propter argumenti similitudinem praeceptis ante datis ea huic loco adiunxisse. His calculum suum adiecit Kuinoel. Quasi nempe Christus bis eadem de re disserere nequiverit; imo non desunt, qui arbitrentur, pharisaeos occasionem captasse proponendi illam quaestionem Matth. XIX. ex iis, quae in miro illo sermone in monte Christus expresse protulerat (34).

Et haec de authentia et integritate horum textuum adversus liberiores auctores dicta sufficiant. Quae enim hactenus disseruimus tum ex critices, tum ex hermeneuticae fontibus palam faciunt, textus illos, ut prostant, utroque in loco omnino retinendos esse, nec immutari ullo modo debere aut posse ob nonnullas difficultates, quae si quidpiam valerent, actum vix non esset de universi fere Novi Testamenti fide genuinaque lectione. Plures enim sunt textus, in quos eaedem, imo quandoque validiores difficultates urgeri possent, quin tamen quidpiam innovandum sit, prout a non paucis passim recentioribus protestantibus factum esse novimus ingenti sacri textus detrimento. Adeo verum est sine auctoritatis supremae principio nihil firmum consistere!

Articulus II. — De quibusdam exegeticis interpretationibus textuum Matth. V. et XIX.

§. I.

Nonnullae exegeticae eorum textuum interpretationes historice exponuntur.

Tum authentia tum integritate duorum textuum vindicata, praestat iam, ut varias eorumdem, aut saltem praecipuas expendamus exegeticas interpretationes.

Interpretatio inter protestantes communis est ita intelligendas esse clausulas *excepta fornicationis causa*, aut *nisi ob fornica-*

(34) Inter quos est cl. Drach in op. cit. *Du divorce dans la synagogue* pag. 81 seq.

tionem, ut interveniente adulterio matrimonium dissolvi possit quoad vinculum, ac datam proinde esse parti innocenti facultatem alteram uxorem aut maritum alterum ducendi; imo sunt, qui vocem *πορνείας* seu *fornicationis* intelligant de quovis flagitio. Contra vero constans Ecclesiae Catholicae interpretatio est, per illas clausulas non posse adulterii causa dissolvi coniugium nisi quoad torum et habitationem, vinculo indissolubili permanente, nec ob adulterii crimen aliudque flagitium quodcumque, vivente altero coniuge, posse quempiam novas nuptias inire. Graeci saltem in praxi priori interpretationi adhaerent, quin tamen falsae aut praeposterae doctrinae Latinam ecclesiam incusent, secus ac sentiant protestantes. Verum de his recurret sermo cum agemus de horum textuum dogmatica interpretatione.

Nunc exponendae potissimum sunt nonnullae catholicorum exegeticae interpretationes, quibus scientifice doctrinam Ecclesiae tueri atque a difficultatibus expedire conantur. Cum enim duae illae clausulae iugiter torserint doctorum virorum ingenia ob difficultatem, quam prae se ferunt, ad eas conciliandas cum doctrina et praxi Ecclesiae, alii aliam viam in illis exponendis inierunt.

Nam 1. plerique existimarunt, Christum Dominum Matth. V. 32. libellum repudii a Mose permissum solum sustulisse, ac separationis causam ea clausula ad unam fornicationem seu adulterium coarctasse, atque id ipsum praestitisse Matth. XIX. 9. cum interrogatus a Pharisaeis num liceret dimittere uxorem quacumque ex causa, respondit, non licere, nisi ob solam fornicationem, nihil vero protulisse de eo, quod, uxore dimissa, fieri posset, nimirum liceret nec ne aliam ducere (35).

2. Alii contendunt eam clausulam a Christo adiectam fuisse respectu tantum habito legis Mosaicae, ad cuius mentem locuti fuerant pharisaei, non autem de eo fuisse locutum, quod in

(35) Cf. Bellarmin. *De matrim.* cap. XVI. n. 18.

lege evangelica servari deberet, idque postea praestitisse, quum secreto alloqueretur Apostolos, quibus patefecit nullam deinceps quoad vinculum matrimonii dissolutionem fore admittendam (36).

3. Ab hac sententia non admodum discedunt, qui alterutrum saltem textum de matrimoniis Iudaeorum intelligunt, non autem de matrimonio fidelium, nisi forte ex accommodatione seu quadam temporanea oeconomia, qua divortium ob adulterium iis etiam permittatur, qui ex Iudaismo primum ad Christi fidem accederent. Caeterum utrumque locum ad matrimonia fidelium pertinere negant; at inter eos essentiale esse discrimen contendunt, quum alter textus Iudaeos, alter vero fideles coniuges respiciat. Verum qui ita sentiunt, inter se non conveniunt circa alterutrius loci genuinum sensum. Etenim Hug autumat apud Matth. XIX. « Iesum non solum morem divortiandi, (ut ipse » loquitur) in lege Mosaica invalescentem et primevae institu- » tioni societatis coniugalis adversantem castigasse, verum » etiam normam exhibuisse, ad quam matrimonia suorum sec- » tatorum deinceps exigenda sint, ac proinde hunc locum vi » obligandi pro sectatoribus Iesu praeditum esse; in alio au- » tem loco, seu cap. V. Iesum nonnisi matrimonium superio- » rum temporum expendentem Mosis formulae institisse, eam- » que explicuisse, et dixisse, unam tantum dari (e legis Mo- » saicae spiritu) repudii causam, nempe adulterium, citra » quam divortia sint irrita; hunc igitur locum ad Ecclesiam » catholicam non pertinere (37). » Contra vero Io. Ant. Iäger censet locos Matth. XIX. et V. in eo realiter ab invicem differre, quod in priori seu. XIX. Iesus nonnisi Mosaicam legem de divortiis explicet et declaret, in posteriori autem, nempe V. iam

(36) Ita Io. Motta in *Diatriba de divortiorum iure* ac Lud. Nachi in *Dissert.* Venet. edita 1792. Cf. *Praelect. Theolog. De matrim.* cap. II. prop. V. n. 136. in nota (1).

(37) *De coniugii christiani vinculo indissolubili commentatio exegetica.* Friburgii 1816. §. 4.

directe statuat quod sub sua lege de vinculo matrimonii observari voluit (38).

4. Alii distinguentes inter *πορνείαν* et *μοιχείαν* arbitrati sunt vocem *πορνείαν* apud Matthaeum non esse intelligendam de *adulterio* sed de *fornicatione* presse sumpta, quatenus ab adulterio distinguitur, et *ante* matrimonium patratur ; adeo ut sensus sit, non posse mulierem dimitti nisi fornicationis causa ; scilicet nisi vir inveniat mulierem fuisse prius ab alio violatam, vel saltem foedum aliquod flagitium perpetrasse ante initum matrimonium : nam hi extendunt significationem vocis *πορνεία* ad quodvis foedum flagitium ante matrimonium, licet negent extendi posse in his locis Matthaei ad adulterium (39).

5. Demum recentiores aliqui nullam prorsus in horum textuum intelligentia reperiri difficultatem arbitrantur, si verbum ipsum *fornicationis* rite intelligatur. Siquidem iuxta ipsos verba illa : *excepta fornicationis causa...nisi ob fornicationem,* nec significant, neque significare possunt flagitium ab alterutro legitimorum coniugum patratum cum extraneo ; hoc enim non foret *πορνεία fornicatio* sed *μοιχεία adulterium ;* qua voce tale flagitium Christus constanter designavit in illis sermonibus, sed significant, illud quod inter se patrant ii, qui coniugio non legitimo sunt copulati ; hoc enim *πορνεία* id est *fornicatio* proprie vocatur. Hinc Christi sententia alia non est, nisi coniugium viri et mulieris dissolvi nunquam licere, nisi si, ut theologi loquuntur, *fornicarium* sit, et *concubinatus* dicitur, quemque dissolvi non *licet* modo, sed et *oportet.*

Itaque iuxta quosdam clausulae illae, *excepta fornicationis causa, nisi ob fornicationem,* intelligendae sunt de adulterio, sed ita, ut dent quidem ius separationis, at nullatenus ius etiam no-

(38) In op. germ. *Investigatio in quaestionem, utrum divortium iuxta doctrinam Scripturae et antiquissimam historiam ecclesiast. irritum sic nec ne* 1804. pag. 50. Eadem sententia ab aliis adoptata fuit.

(39) Quam sententiam ex recentioribus protestantibus tuitus est Paulusius Heildelbergensis in op. *Vita Iesu,* nec non in cit. op. *Commentar. philologico-critic. et historic. in Novum Testamen.*

vi ineundi coniugii ; vel referendae sunt ad matrimonia Iudaeorum iuxta legem Mosaican, vel ad summum ex accommodatione quadam ad matrimonia primorum fidelium, qui ex Iudaismo ad Christum accederent ; iuxta alios eae clausulae non significant adulterium, sed vel actum fornicationis, aut foedum flagitium ante matrimonium ; vel statum ipsum fornicarium et concubinatum. Harum interpretationum criticam nunc disquisitionem aggredimur.

§. II.

Sententia illorum expenditur, qui putant, exceptionem fornicationis factam a Christo fuisse tantum ad mentem legis Mosaicae.

Praetermittimus epicrisin sententiae, quam primo loco attulimus, nempe Bellarmini caeterorumque asserentium, Christum ad solam fornicationis sive adulterii causam coarctasse facultatem dimittendi uxorem, quin aliquid adiecerit de facultate alteram ducendi uxorem, priori dimissa. De hac enim sermo recurret, postquam genuinam horum locorum interpretationem exposuerimus.

Itaque ut initium faciamus epicrisis nostrae a sententia illorum, qui existimarunt, Christum utroque in loco genuinum tantummodo exposuisse Mosaicae legis sensum circa causam dimittendae uxoris alteriusque ducendae post solutionem coniugii, nihil autem pronunciasse de eo quod in posterum ab asseclis suis fieri deberet, dicimus, eam non paucis difficultatibus subesse. Nam etsi daremus, quod illius patroni affirmant, 1. eiusmodi interpretationem cohaerere cum historia illius temporis, quae nos docet acriter inter Iudaeorum doctores disceptatum esse circa causas, ob quas ex mente legis Mosaicae dimitti poterat uxor, praesertim ob vagam significationem phraseos *hervath dabar*, quam vulgatus interpres reddidit *foeditatem ;* qua ambiguitate factum est, ut alii plus aequo has causas extenderint, alii vero nimis viderentur eas coarctare, uti superius vidimus. Item quaestionem hanc a pharisaeis ad Salvatorem fuisse delatam, qui causam divortii ad Moysis mentem ad solam fornicationem seu adul-

terium restrinxit; 2. talem praeterea esse hanc interpretationem, ut plane cohaereat cum doctrina catholica, quae tenet haud dissolvi coniugium quoad vinculum in casu adulterii, licet in lege Mosaica dissolveretur; 3. nec omnino novam esse, quum eiusdem vestigia iam habeantur penes paulo antiquiores scriptores, nempe apud Paulum Burgensem (40), ac Riberam (41).

Etsi, inquam, haec omnia daremus, nihilominus eam admitti non posse exinde patet, quod 1. supponatur ab huius expositionis fautoribus pharisaeos Christum interpellasse de veriori ex disceptatis in scholis Iudaicis sententiis, cum tamen iuxta Evangelistam pharisaei accesserint ad Iesum *tentantes eum* (42); quod 2. ea ad summum dici posset valere ad exponendum textum Matth. XIX. ubi de pharisaeorum interrogatione fit mentio, non autem textum alterum qui habetur Matth. V. ubi Christus ex se mentem suam declarat; quod 3, ut ostendimus in capite superiore, iuxta legem Mosis causa dimissionis non fuerit adulterium; quod 4. denique utroque in loco Christus aperte novam legem suam opposuerit legi veteri dicens: *Ego autem dico vobis;* vel *dico autem vobis*, quibus omnem coniugii solutionem quoad vinculum in lege sua excludit; eo vel magis quod Christus non modo affirmaverit: *qui dimissam* duxerit moechatur, verum etiam generatim: qui *aliam* duxerit moechatur ob impedimentum quod statuit ligaminis: ex quibus liquet Christum de matrimonio iuxta legem evangelicam fuisse locutum, non autem iuxta legem Mosaicam, per quam aliam ducere permittebatur. Et haec de argumentis intrinsecis; nunc iam accedunt graviores difficultates externae. Nam Ecclesia iugiter hos textus, ut videbimus, intellexit de matrimoniis *fidelium*: hinc controversiae cum Graecis et protestantibus; hinc usus separationis perpetuae quoad torum in causa adulterii, ut alias praeteream, quas deinceps evolvemus.

Quapropter passim haec expositio ab auctoribus catholicis

(40) Addit. 2. ad Lyranum.

(41) *Comment. in XII. Prophet. min.* Malach. II. n. 36.

(42) Cf. Drach op. et loc. cit.

reiicitur ; nec enim satis est, ut aliqua admittatur sententia, per illam dogma catholicum in tuto poni, sed praeterea necesse est, ut ipsa sit vera.

§ III.

Excutitur eorum sententia, qui alterutrum Matthaei textum intelligunt de matrimoniis Iudaeorum, vel primorum fidelium, qui ex iudaismo ad Christi fidem transierunt.

Leonardus Hug et Franc. Ant. Iäger in eo ambo conveniunt, quod essentiale habeatur discrimen in duobus evangelicis capitibus relate ad divortium ; quodque alter textus Iudaeorum, alter vero fidelium matrimonia respiciat, ac si aperte invicem opponerentur. Siquidem ipsi alium textum assignant fidelibus, alium vero Iudaeis, quasi Christus aliud constituerit pro coniugio fidelium, aliud autem pro coniugio Iudaeorum. Ad hos proinde refellendos satis esset argumenta proferre, quibus unusquisque singillatim suam adstruit expositionem contrariamque evertere adnititur.

Attamen iuverit expendere fundamenta utriusque interpretationis. Ut autem ab Hug auspicemur, is ideo censuit Matth. V. 31, 32. Christum de solo iure Iudaico disseruisse, quod coniugia superiore tempore inita expenderit, institeritque Mosis formulae, quam ipse per *λόγον πορνείας causam fornicationis* explicat, perinde ac si dixerit : divortia inter vos iam nullo alio iure reguntur, nisi ut vir scripto oblata formula uxorem res suas abere iubeat (43); ego vero edico unam tantum dari repudii causam, adulterium, citra quam irrita divortia sunto. Atque idcirco Christum fere ut Mosen necessitati, quam anterior rerum status invexerat, cessisse, et quae omni ex parte recusari nequibant. cum temperamento admisisse, et ita coniugia superiora ad disci-

(43) Alludit hic eruditus auctor ad concisam formulam repudii, quae apud Romanos obtinebat, nempe ut eam refert Pitiscus ad vocem *divortium*, qui allegat haec Caii verba §. XXIV. 2. 2. 1. « In repudiis, id est *renunciatione* » comprobata sunt haec verba : *Tuas res tibi habeto.* » Hinc Cicero Philipp. II. n. seu §. 28. Alias 69. « Antonius, inquit, frugi factus est ; mimam illam » *suas res sibi habere* iussit ex XII. tabulis : claves ademit, exegit. »

plinam civitate christiana dignam revocavisse, iusque antiquum debito honore prosequutum cum sanctioribus morum praeceptis pro tempore reconciliavisse. Rationem porro redditurus quare caeteri Evangelistae huius exceptionis nullam iniecerint mentionem, ac solus S. Matthaeus eam referat, respondet quod Matthaeus ad incolas Palestinae suum direxerit Evangelium, Marcus vero et Lucas, qui potissimum ad gentiles erudiendos opera sua instituerunt, haud proinde ea cura affecti fuerint, quae Iudaici historiae scriptoris propositum direxit (44).

Et haec quoad textum Matth. V. 32, quem ad solos Iudaeos ipse spectare autumat; ad alterum vero textum Matth. XIX. 9. quod attinet, constituit idem auctor : « Eo loco cap. XIX in col-» loquio cum pharisaeis duo contraria ex adverso posuisse Domi-» num; priscam et ab ipso mundi Auctore profectam legem , et » eum, qui medio tempore invaluit, per Mosis indulgentiam con-» cessum magis quam sancitum morem; tum exhibuisse formam, » ad quam purioris ac excellentioris cultus sectatorum matrimo-» nia exigenda sint (45).» Ex his infert, solum posteriorem hunc Matthaei textum ad legem christianam pertinere, in qua ius omne perfecti divortii sublatum est.

Contra vero Iäger Matth. locum XIX ita exposuit, ut ostendat, Iesum tantummodo legem Mosis explicuisse, ac proinde, dum iuxta hanc legem Iudaeis divortium e capite adulterii permissum esse, affirmavit, nequaquam una permisisse, ut in sua quoque lege fidelibus matrimonia in casu fornicationis penitus dissolvere liceat. Locum autem Matth. V. 31. 32. minime parallelum esse loco Matth. XIX. censet, statuitque, Iesum legem Mosaicam emendare volentem, de matrimonio adstruxisse, quod vinculum matrimonii ne quidem pro casu fornicationis solvi possit, alioquin nulla foret in his Matthaei locis antithesis, quam tamen haberi verba Iesu primo obtutu produnt (46). Hinc iuxta

(44) Ita in cit. op. *De vinculo coniugii christiani indissolubili comment. exegetic.*, pag. 14-18.

(45) Ibid. pag. 11-12.

(46) Op. cit. pag. 51. apud Roskovàny pag. 69.

hunc auctorem locus Matth. V. spectat ad christianos, alter vero Matth. XIX. ad Iudaeos, secus ac Hug statuerit : uterque tamen utpote catholici pugnant pro indissolubilitate omnimoda coniugii christiani.

Iam vero libenter admitto ea, quae Hug constituit circa caput XIX Matthaei ; at ipsi assentiri nequeo in iis, quae scripsit circa caput V. 31, 32 ; vicissim lubenti animo amplector, quae habet Jäger de capite V. Matthaei, dum reiicere cogor, quae ipse autumat circa caput XIX. Siquidem etsi duo hi loci inter se differant ob diversitatem occasionis, in qua oracula in iis contenta a Christo prolata sunt, et ob diversitatem etiam audientium ; tamen ad rem ipsam, seu ad substantiam quod attinet, prorsus parallela sunt ; in utroque enim textu Christus libellum repudii improbavit et abolevit, atque in utroque eamdem exceptionem *fornicationis* apposuit. Disceptari utique potest de huius exceptionis amplitudine, de qua postea agemus, sed quidquid tandem ea significetur, patet ex utriusque loci collatione unam esse eamdemque Christi sententiam. Negandum itaque est reale aut essentiale interesse discrimen inter utrumque locum, sed contra est affirmandum, eos esse plane tum verbaliter tum realiter parallelos.

Insuper, ut vel ipse Kuinoelius animadvertit, nullum reperitur indicium, ex quo colligi possit, praeceptum illud Christi, quod Matth. V. 32. legitur, fuisse temporarium et tantummodo Iudaeis datum, qui ad Christi signa sese conferre vellent, et iam matrimonia contraxissent ; quod nempe ipsi in adulterii casu possent suum matrimonium disrumpere, novumque inire. Nec perspicitur, cur Iesus severius egerit cum gentilibus, qui antequam christiani fierent, connubia ita inter se contraxerant, ut iis liceret divortia facere. Qui praeterea observat, sententiae Hugii adversari auctoritatem S. Augustini, qui scribit ep. LXXXIX. « Ambobus quippe christianis, (qui scilicet et ex iudaismo et ex » gentilitate sunt christiani effecti,) Dominus praecepit, ne quis- » quam dimittat uxorem excepta causa fornicationis (47). »

(47) Kuinoël *Comment. in lib. N. T. histor.* ad cap. V. 31. 32. Matth.

Quod si Marcus et Lucas silentio praeterierunt exceptionem *de causa fornicationis*, non ideo id factum est, ut Hug suspicatur, quod Matthaeus in gratiam Palaestinensium scripserit, aliivero ad erudiendos gentiles, ac propterea diversam doctrinam Iudaeis conversis ille proposuerit ab ea, quam alii duo proposuerunt gentibus christianam religionem professis; sed ob rationes, quas ipsos Marci et Lucae textus expendentes deinceps afferemus.

Quod demum spectant ad Iägeri expositionem textus Matth. XIX., Christum videlicet ad mentem pharisaeorum respondisse ut interpretem legis Mosaicae, nihil addimus iis, quae iam attulimus, dum sententiam in superiore paragrapho allatam expenderemus; siquidem eadem haec expositio est ac illa, quae a Motta et Nachi excogitata est.

§ IV.

Expenditur illorum placitum, qui vocem πορνεία exponunt de fornicatione vel flagitio ante initum matrimonium patrato.

Qui ita sentiunt, vocem μοιχεία, quae *adulterium* significat, sedulo distinguunt a voce πορνεία, quae *fornicationem* indicat, quaeque in pressa sua significatione nonnisi extra coniugium, seu inter personas solutas locum habere potest.

Ita vero hi suam interpretationem exponunt: Loca Matthaei sic reddi debent, ut sensus litteralis sit: Iesum in casu *fornicationis* a muliere *ante* initum adhuc coniugium commissae solutionem matrimonii postea contracti seu divortium licitum docuisse. At dum vox πορνεία ad crimen *ante* matrimonium patratum revocant, simul contendunt per eam, non solam fornicationem, sed alia etiam foeda flagitia ante matrimonium admissa significari, quae sunt causa divortii; idque non minus ex littera quam ex spiritu doctrinae Christi patere contendunt. Ex littera quidem, cum exploratum sit voce πορνεία non modo fornicationem, verum etiam gravia alia flagitia in sac. litteris denotari; qua latiori significatione Iesus vocem hanc pariter usurpasse ex adiunctis loci Matth. XIX. praesumi debet. Ex spiritu vero, quatenus

Iesus abusus erroresque apud Iudaeos ex praepostera legis interpretatione invalescentes amoliri sibi proposuit, ut hac ratione causas divortium faciendi coarctaret, postquam rite initum fuerit coniugium. Verum cum Christus certe noluerit in lege sua illa permanere coniugia, quae tum ius naturale tum leges morales damnant, exinde colligunt Salvatoris verba in utroque Matthaei textu de fornicatione aliisve foedis flagitiis *ante* coniugii celebrationem patratis esse intelligenda (48).

His insistens Gartzius non modo probat suamque facit expositionem vocis *πορνείας* pro fornicatione ante matrimonium peracta, sed et confirmare adnititur ex eo, quod Matthaeus scripserit evangelium suum pro iudaeochristianis. Iam vero exploratum est apud Iudaeos moris fuisse, ut sollicite ante omnia de sponsae virginitate quaereretur. Indidem et ipse intulit ex testibus Matthaei, nullam contineri divortium faciendi prohibitionem, ubi viri compererint, ductas a se uxores fornicationis flagitio ante initas nuptias fuisse coinquinatas. Etenim Matth. V. 32. Christus de illo speciali tantum casu locutus est, quo vir sponsam suam iam ab alio violatam repererit, quamque ipse virginem adhuc fuisse arbitrabatur ; cap. vero XIX. arbitraria tantum divortia damnavit, prohibuitque ad legis Mosaicae mentem. Matthaeus porro de suo clausulam adiecit *nisi ob fornicationem*, ad pleniorem Christi mentis explanationem, quod nempe etiam in lege Christi matrimonium in eiusmodi rerum adiunctis dissolvi posset. Quinimo *fornicationis* voce in amplissima sua significatione accepta, indicavit evangelista ex Christi mente non in solo casu fornicationis presse sumptae, sed quovis alio interveniente flagitio dissolvi posse coniugium a morali lege reprobatum ac in sua substantia ex culpa alterutrius coniugis vitiatum. Quocirca statuendum omnino est, concludunt, iuxta spiritum doctrinae biblicae, parti innocenti ius solvendi coniugii prioris toties integrum manere, quoties pars altera effecit, ut matrimonium in essentia sua labefactetur (49).

(48) Ita auctor dissertationis *De iustitia divortiorum*. Salisburgi editae an. 1812. apud Roskovàny op. cit. §. 52. pag. 82 seq.

(49) Ibid. §. 55. pag. 84. seq

Ast eiusmodi interpretationes verborum Christi Domini praeter quam quod adversantur sensui ac doctrinae Ecclesiae catholicae, nulla ratione eas admitti posse facile evincitur.

Etenim 1. isti expositores assumunt, Christum per vocem *πορνείαν* designasse fornicationem, quae matrimonium praecesserit; ast si verba ipsa in suo contextu expendantur, planum fit Christum de fornicatione post coniugium iam initum, seu de adulterio locutum fuisse. Etenim sententiam suam declarat per oppositionem ad libellum repudii a Mose concessum. Nam Matth. V. 31. ait Christus: « Dictum est autem: quicumque dimiserit » uxorem suam, det ei libellum repudii: » deinde v. 32. immediate subdit: « *Ego autem dico vobis*: quia omnis, qui dimise- » rit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moe- » chari; et qui dimissam duxerit, adulterat. » Cap. vero XIX. eadem ratione, commemorato libello repudii a Mose ad cordis duritiam permisso, adiecit Christus: « *Ego autem dico vobis*, » quia quicumque etc.; » quorum verborum obvius sensus est, non licere deinceps iuxta doctrinam suam, quod antea permissum erat, repudiare iam ductam uxorem ad aliam ducendam iuxta Mosaicum indultum. Hoc autem concessum erat propter ea, quae inito iam coniugio ab uxore admittebantur.

2. Assumunt, Christum tantummodo se uti doctorem praebuisse ac interpretem legis Mosaicae, cum tamen se vere gesserit uti legislatorem, idque constituerit, quod a discipulis suis fieri in posterum deberet, ut patet ex antithesi; *Dictum est... Ego autem dico vobis;* quibus aperte ostendit, se novam omnino hac in re legem dare. Praeterea paulo ante ostendimus eiusmodi sententiam de solutione controversiae, quae circa interpretationem legis Mosaicae a pharisaeis agitabatur, a Christo data admitti non posse.

3. Assumunt, ex una parte vocem *πορνείαν* presse sumendam de sola *fornicatione*, quatenus opponitur *μοιχείᾳ* seu *adulterio*, ut evincant agi de copula ante matrimonium habita; ex altera vero parte, ut plures complectantur divortii causas, extendunt eiusdem vocis potestatem ad quaecumque flagitia

significanda. Exploratum tamen est hisce in locis *πορνείαν* sumi de adulterio, ut postea ostendemus ; et quidem de solo adulterio, quod ius praebeat dimittendi coniugem adulteram, vinculo tamen coniugali perseverante. Quod hic tanquam lemma ponimus, cuius veritatem deinde evincemus.

4. Assumunt, lege naturali dissolvi quodcumque matrimonium ob aliquod flagitium, quod ipsum deturpet. Hanc porro affirmationem ipsi enunciare contenti sunt, quin aliquo ostendant argumento. E converso autem constat ex lege naturali coniugium esse insolubile, nec nisi divina dispensatione indulta, in veteri lege fuisse gravi interveniente causa solutum, quaecumque demum ea fuerit.

5. Assumunt, morali lege dissolvi coniugium ob fornicationem aliudve flagitium, quod illud praecesserit, minime vero si adulterium aut aliud crimen matrimonium subsequatur ; attamen vel ipso naturali lumine compertum est longe gravius esse adulterii quam simplicis fornicationis crimen, magisque morali legi illud quam istud adversari. Iam vero ipsis fatentibus, in lege christiana non dissolvitur matrimonii vinculum propter adulterium ; igitur si secum ipsi cohaerere velint, fateantur necesse est nec dissolvi propter fornicationem, quae nuptias praecesserit, quaecumque demum hac super re fuerit Iudaeorum sentiendi ratio, quod scilicet, censuerint iuxta adversarios, errorem aut ignorantiam circa innocentiam et honestatem ductae uxoris, quam postea aut fornicariam, aut alio gravi delicto foedatam fuisse deprehenderint. Quod certo ipsi probare nequeunt, sed gratis assumunt. Adeoque nec in hac hypothesi eiusmodi expositio admitti potest.

Quae cum ita se habeant, ex se concidunt, quae ab his interpretibus excogitata sunt tum de *litera* et *spiritu* sententiae Christi, qui noluit ut permanerent matrimonia, quibus fornicatio praeiverit, tum de Matthaeo, qui pro iudaeo-christianis scripserit, ac de suo clausulam *nisi ob fornicationem* in eum finem adiecerit, ut persuaderet eis, adhuc perseverare dissolvendi coniugia facultatem etiam quoad vinculum, tum denique de spiritu doctrinae biblicae, iuxta quem parti innocenti ius solvendi coniugii inte-

grum maneat. Quae quidem omnia falsis, quae vocant, suppositis ac liberiori exegesi innituntur, quae doctrinam Christi eiusque in nova lege oeconomiam prorsus subvertunt.

§ V.

Sententia illorum excutitur, qui fornicationis vocem non de adulterio, sed de statu fornicario et concubinatu exponunt.

Haec sententia, quam postremo loco inter exegeticas interpretationes textuum evangelicorum, de quibus agimus, enumeravimus, aliquatenus convenit cum illa, quam nuper expendimus ac reiecimus a protestantibus excogitatam et a nonnullis liberioribus catholicis admissam, quod nempe Christus Dominus apud Matthaeum locutus tantum fuerit de fornicatione seu de flagitio ante initum coniugium patrato. Ast in eo differunt, quod illi de fornicatione disserant, quam alter coniugum ante initum matrimonium alio inscio commiserit; hi vero de fornicatione utrique communi; praeterea illi videntur locuti de fornicatione, ut ita dicam, transeunte, de uno videlicet alterove flagitio, hi autem intelligunt Christi effata de statu aliquo permanente, seu ut ipsi loquuntur, de statu concubinatus, quem quidem non solum *posse* imo et *debere* dissolvi nemo ignorat.

Verum enimvero etsi valde commendandus sit ipsorum conatus ad sententiam persuadendam, ut causae catholicae inserviant, ne tamen eam probemus et amplectamur plura sunt quae obstant.

Ac. 1. obstat sensus obvius et naturalis eorumdem textuum : siquidem Matth. V. 31. 32. dicit Christus : « Dictum est autem : » Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego » autem dico vobis : quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, ex- » cepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam » duxerit, adulterat. » Quibus verbis alludit Christus aperte ad locum Deut. XXIV. in quo Moses permittit dare libellum repudii *uxori*, in qua vir repererit *foeditatem*, non autem *concubinae*; locutus proinde est Christus de *vera uxore*, non autem de pellice aut concubina: nec aliam causam admittit divortii praeter

fornicationem, quae supervenerit vero coniugio iam inito. Idem dic de altero textu Matth. XIX. 8. et 9. ubi Christus eamdem repetit sententiam clarioribus adhuc verbis dicens : « Quoniam » Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere *uxores* » vestras : ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia » quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et » aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit moechatur. » Quisnam vero haec legens suspicaretur de dimissione concubinae cuiusdam aut pellicis extra legitimum connubium et non de vera uxore sermonem haberi ?

2. Obstat huic expositioni subsequens Christi sententiae. Etenim Christus utroque in loco decretorie pronunciat, eum, qui dimissam duxerit, *adulterare*. Porro adulterat quidem, qui uxorem alterius adhuc viventis licet dimissam ducit, nullo vero modo adulterat, qui concubinam ab altero dimissam in matrimonium sibi copularet (50). Immo si legitime id faciat, ne peccat quidem. Attamen ex Christo : *qui dimissam duxerit, adulterat ;* ergo aperta fronte eiusmodi expositio adversatur Christi sententiae.

3. Obstat vis ipsa ac potestas vocis *πορνεία*, quae ab iis ita intelligitur, ut duplicem tantum fornicationem designet sine coniugio, minime vero adulterium post ipsum legitimum coniugium.

Notum porro est ex communi Scripturae loquendi usu vocem *πορνείαν fornicationem* promiscue sumi ad quodcumque flagitium significandum extra legitimum coniugalem concubitum sive cum soluta, sive etiam cum coniugata patratum. Quo posteriori sensu adhibetur vox *πορνεία* ab Apostolo I. Cor. V. 1. « Omnino auditur inter vos *fornicatio* (gr. *πορνεία*), et » talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut *uxorem patris* » *sui* aliquis habeat (51). » Sic Amos VII. 17. « *Uxor tua* in

(50) Iuxta adversarios ille solummodo *non* adulteraret, qui dimissam *concubinam* duxerit. Optime. Ast quomodo id cruunt ex Christi verbis, qui expresse de *uxore* tantum disserit, et affirmat *adulterare* qui eam duxerit ?

(51) Cf. Estium in h. l. agitur de eo, qui cum noverca, vivente adhuc parente suo, commiscebatur.

» civitate *fornicabitur.* » Ubi citra dubium sermo est de adulterio, ut alia non pauca eiusmodi loca praeteream, unde palam fit *fornicationis* vocem generatim in Scripturis usurpari promiscue pro illicito concubitu sive intra sive extra matrimonium (52). In sensu etiam metaphorico de infidelitate gentis Israeliticae erga Deum, sponsum suum, eadem vox *πορνεία* ad spirituale *adulterium* significandum passim a prophetis adhibetur (53).

Nec refert Christum hisce in textibus commemorare distincte *πορνείαν* et *μοιχείαν* fornicationem et adulterium, cum ex orationis serie atque ex scopo aperte liqueat, eodem in sensu has voces promiscue ab eo adhiberi. Frustra autem adnituntur huius sententiae patrocinatores ostendere, in sensu exclusivo simplicis fornicationis et per oppositionem ad adulterium Christum his in locis hac voce *πορνείᾳ* uti. Id enim adversatur omnibus hermeneuticae regulis.

4. Obstat auctoritas veterum versionum, quae vim vocis genericae *fornicationis* determinant. Etenim versio Aethiopica sic reddit v. 32. cap. V. Matth. « Omnis qui relinquet uxorem » suam *sine fornicatione,* facit eam *fornicari:* et qui relictam ducit, » *fornicatus est.*» Ex qua versione habemus primo, quod verba: *excepta causa fornicationis*, necessario referantur ad uxorem, quae relinqui nequit *sine fornicatione;* secundo, quod vox *fornicatio* necessario accipi debeat de adulterio, cum dicatur de eo, qui alteram uxorem ducit : *fornicatus est* pro *adulterat,* et *facit eam fornicari* pro *facit eam moechari.* Sic versio Arabica : « Qui repudiat uxorem suam praeter causam fornicationis, » compellit eam ad *fornicandum*, et qui ducit repudiatam, iam » *fornicatus est.* » Ubi eaedem animadversiones locum habent. Clarius adhuc versio Persica id ipsum exprimit : « Quicumque » extra *causam adulterii* uxori suae repudium remiserit, eam in » adulterium impulit : et quicumque dimissam duxerit, adulter » est »

(52) Cf. I. Cor VI. 16. Io. VIII. 46. Ephes. V. 3. Galat. V. 17. etc.
(53) Ierem. III. 1. VI. 18. Ezech. VI. 9-XVI. 15. 16. 17. Osee 1. 2. etc.

Nec minus perspicue eamdem vocis *πορνείας* determinationem habemus ex versionibus textus Matth. XIX. 9. Nam versio Syriaca sic verba Christi reddidit : « Quisquis dimiserit uxorem » suam, *praeter adulterium*, et duxerit aliam, moechatur : » quique dimissam dixerit, moechatur. » Versio Persica : « Qui- » cumque uxorem suam, *nisi stupri causa*, dimiserit et quamli- » bet aliam duxerit, adulterium commisit : et qui mulierem repu- » diatam duxerit, in adulterio est. » Versio Aethiopica « Si quis » fuit qui dimisit *uxorem suam* nisi *propter adulterium*, et ducit » alteram, moechatus est : et dimissam qui ducit, adulteravit; » ubi notandum est eamdem versionem, quae Matth. V. 32. ver- terat vocem *πορνείαν* per *fornicationem*, hanc ipsam vocem red- didisse per *adulterium* (54).

Ad haec accedunt plura exemplaria antiquae versionis Italae, quae pariter vocem *adulterii* voci aequivocae *fornicationis* subs- tituunt. Sic ms. Claramontanum effert Christi verba Matth. V. 32. « Quicumque dimiserit... excepta ratione *adulterii*, facit » eam moechari. » Pariter in cod. Corbeiensi 1. ita effertur cap. XIX. v. 9. « Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta *causa* » *adulterii*, facit eam moechari. » Sic etiam in Cantabrigiensi leguntur haec verba : « Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta *ratione adulterii*, et duxerit aliam, moechatur (55). »

Cum igitur habeamus antiquas versiones ac veteres codices vocem hanc *fornicationis* ambiguam ita determinantes figentes- que, ut ei sufficiant vocem *adulterii*, ecquis iam ambigat talem esse potestatem illius vocis *πορνείας* his in textibus a Christo adhibitae, nec eum fuisse locutum de pellice aut concubina, sed de vera et propria uxore, quae se adulterio polluerit ?

5. Obstat *unanimis* sanctorum Patrum sensus, qui constanter Christi verba in hisce textibus de vera uxore interpretati sunt. Speciminis gratia nonnullos ex antiquioribus afferemus, qui vel ipsa Christi verba allegarunt, vel aperte ad ea alluserunt, ac du-

(54) Cf. Polyglott. Waltoni in his locis.

(55) Cf. apud Sabathier op. cit. in haec loca. Hic dici nequit esse versionem ex versione, sed habetur versio antiqua Latina referens ipsam vocem *adul- terii*.

bium omne circa vim ac sensum vocis *πορνείας* seu *fornicationis* a Christo hic adhibitae removetur.

Itaque Hermas sic scribit : « Domine, si quis habuerit uxorem » fidelem in Domino, et hanc invenerit in adulterio, numquid pec» cat vir, si convivit cum illa ? Et dixit mihi, quamdiu nescit pec» catum eius, sine crimine est vir vivens cum illa. Si autem sciverit » vir uxorem suam deliquisse, et non egerit poenitentiam mulier, » et permanet *in fornicatione* sua, et convivit cum illa vir, reus » erit peccati eius et moechationis eius. Et dixi illi : Quid ergo si » permanserit in vitio suo mulier ? Et dixit : Dimittat illam vir, » et vir *per se* maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, et » aliam duxerit, moechatur (56). » Quibus aperte Hermas alludit ad textus Matthaei, ac voces *fornicationis* et *moechiae* promiscue usurpat, ac de vera agit uxore.

Tertullianius ita legit : « Qui dimiserit uxorem suam *praeter* » *causam adulterii* facit eam adulterari (57) ; » et alibi : « Qui » dimiserit uxorem, praeter causam *moechiae*, facit eam moe» chari (58) ; » et iterum : « Qui dimiserit uxorem, et aliam » duxerit, adulterium commisit, et qui *a marito* dimissam duxe» rit, aeque adulter est (59) ; » et paulo post : « Certe quid » facit apud te maritus, si mulier eius commiserit *adulte*» *rium* (60) ? » In hisce testimoniis tum verbum *adulterii* pro *fornicatione* reperitur, tum res per illud significata.

S. Zeno Veronensis « Qui dimiserit, excepta *causa adulterii*, » facit eam moechari. Quid hic respondere possint lubrici mariti, » non video (61). »

Sic etiam S. Philastrius Brixiensis ita legit : « Qui dimiserit » uxorem suam *sine causa criminis*, facit eam moechari (62). »

Hisce assentitur Iuvencus presbyter canens :

(56) *Pastor* lib. II. mand. IV. ed. Cotel. tom. I. *Patr. apostolic.* pag. 86 seq.
(57) Lib. IV. Contr. Marc. cap. 34.
(58) Lib. *De pudicitia*, cap. 16.
(59) Lib. et l. c. Contr. Marc.
(60) Ibid.
(61) Lib. I. *Tract.* IV. n. 4. ed. Veron. 1789. pag. 43.
(62) Lib. *De haeresibus. Haeres.* LXXXIV. ed. Brixiens. 1738. pag. 60.

« Solaviri r ecte *discedet adultera* tectis,
Ast aliae maneant; nam casti iura pudoris
Auctore amittet mulier deserta marito (63).

et iterum :

« Nunc temere exolvet casti qui iura cubilis
Alteraque illius thalamis sociabitur uxor,
Crimen adulterii populo sub teste subibit (64).

S. Hilarius Pictaviensis exponens Christi verba Matth. V. 32. ita scribit : « Cum lex libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc *marito* fides evangelica non solum voluntatem pacis indixit, verum etiam *reatum coactae in adulterium uxoris* imposuit (65). »

Nec aliter accepit hunc locum S. Io. Chrysostomus, qui eumdem textum explanans de adulterii rea intelligit, scribens : « Nam eiecta adhuc manet *eiicientis uxor* (66). »

Item S. Ambrosius, qui eodem sensu Christi verba accepit, cum scripsit : « Etenim si alienos, multo magis *uxoris* debes tolerare et emendare mores. Audi quid dixerit Dominus. *Qui dimittit mulierem, facit eam moechari.* Etenim cui non licet, vivente viro *mutare uxorem*, potest obrepere libido peccandi (67). »

Caeterisque omissis, de Hieronymi et Augustini sensu circa horum textuum interpretationem ne moveri quidem quaestio potest, an eos de vero coniugio intellexerint. Etenim S. Hieronymus, quid nomine *fornicationis* veniat exponit his verbis : « Sola fornicatio est, quae *uxoris* vincat affectum : immo cum illa unam carnem in aliam diviserit, et se *fornicatione* separavit *a marito*, non debet teneri; ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura : *Qui adulteram tenet, stultus et impius est.* Ubicumque est igitur *fornicatio* et *fornicationis sus-*

(63) Lib. I. v. 569. seqq.

(64) Lib. III. v. 476. seq. In utrumque locum cf. notas eruditi Arevali in ed. Rom. 1792.

(65) *Comment. Matth.* cap. IV. n. 22. ed. Maur. Opp. tom. I. pag. 686.

(66) Hom. XVII. in Matth. n. 4. ed. Maur.

(67) *Expos. in Luc.* lib. VIII. n. 4.

» *picio*, libere uxor dimittitur (68). » Sic etiam S. Augustinus « Discipuli, inquit, cum audirent dictum a Domino non licere » ullo modo *praeter causam fornicationis disiungi coniugia* » etc. (69). » Et iterum exponens verba Christi, scribit : « Que- » madmodum igitur si dixerimus : Quicumque *a marito prae- » ter causam fornicationis* dimissam duxerit, moechatur, pro- » cul dubio verum dicimus ; nec tamen ideo illum, qui praeter » causam fornicationis dimissam duxerit ab hoc crimine ab- » solvimus (70). » Verum clarius adhuc alibi idipsum expressit scribens : « Item quaeri solet, utrum moechiae nomine etiam » *fornicatio* teneatur.... Omnis *moechia* etiam *fornicatio* esse » intelligitur, sicut loquuntur Scripturae. Dominus enim dicit » in Evangelio, *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta* » *causa fornicationis, facit eam moechari*. Hic utique *fornica-* » *tionem* appellavit, si cum alio peccet, quae virum habet, quod » est moechia, id est adulterium. Omnis ergo moechia etiam » fornicatio in Scripturis dicitur (71). »

Et hos attulisse sufficiat ; nam alia SS. Patrum testimonia in hanc rem, postea afferemus.

Hactenus non modo nullum inveni ex veteribus expositoribus ac SS. Patribus, qui vel suspicando asseruerit, vel saltem innuerit binos istos evangelicos textus de concubina, aut de concubinatu accipi posse, sed neque ullum offendi, qui eos non exposuerit de moechiae flagitio. Quocirca tuto affirmare possumus novam, qua de agimus, interpretationem non solum esse *praeter*, verum etiam esse *contra* unanimem sanctorum veterum interpretationem, secus ac ex decreto Tridentino et formula fidei

(68) *Comment. in Matth.* lib. III. in cap. XIX. ed. Vallars. Opp. tom. VII. col. 145. et 146.

(69) Enarr. in Ps. CIII. serm. III. n. 4. ed. Paris. Opp. tom. IV. col. 1152.

(70) *De coniug. adulterin.* lib. I. cap. IX. tom. VI. col. 392. Eadem habet S. Doctor lib. XIX. contr. Faust. et lib. XIV. *De civ. Dei* cap. XXII. et alibi passim.

(71) *Quaest. in Exod.* lib. II. quaest. LXXI. n. 4. Opp. ed. Maur. tomi III. par. I. col. 444.

Pii IV. a viro catholico Scripturae exponi debeant (72).

6. Obstat universalis Ecclesiae doctrina, iuxta quam potest alter coniugum ab altero se separare, et quidam in perpetuum ob adulterii crimen ab alterutro patratum. Adulterium enim iustam praebet separationis perpetuae a toro et habitatione causam. Iam vero haec doctrina, quae perpetua et constans ab initio in Ecclesia viguit, quaeque sancita est a concilio Tridentino sess. XXIV. can. VIII. non alio innititur fundamento quam hisce textibus de coniuge, quae se adulterio polluerit, intellectis; aut saltem ad eos perpetuo provocatur in iure canonico.

Sane in causa XXXII. ex Christi verbis Matth. V. 32. et XIX. 9. declaratur posse maritum *propter fornicationis causam*, vel in *causa fornicationis* uxorem dimittere, nec aliam interim, adultera vivente, ducere (73). Item in eadem causa qu. V. capp. 19. 21. 22. (74); nec non causa XXXIII. quaest. I. cap. 1. Idem statuitur in lib. IV. Decretalium Gregorii IX. tit. I. cap. 9. tit. 19. cap. 8. ubi Innoc. III. c. *Gaudemus* ad adstruendum non licere plures simul habere uxores inquit : « Sane veridica haec sententia probatur etiam de testimonio Veritatis testantis in Evangelio : *Quicumque dimiserit uxorem suam, ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur*. Si ergo uxore dimissa, duci alia de iure non potest, fortius et ipsa retenta. » Ubi evidens est Innocentium vocem *fornicationis* de vero adulterio accipere. Ex sensu igitur et doctrina Ecclesiae, Christi verba non de simplici fornicatione, sed de vero adulterio intelligi debent, quod perpetuae a toro et cohabitatione separationi iustam causam parti innocenti tribuit. Hac interpretatione sublata, nullum iam huic doctrinae et praxi fundamentum suppetit (75).

(72) Sess. IV. in Decreto *De edit. et usu sac. libr.* ubi quod dicitur : « In rebus fidei et morum... *contra* unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram (nemo) interpretari audeat ; » in professione fidei Piana, qui eam emittit, his verbis effert : « Nec, eam unquam, nisi *iuxta* unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. »

(73) Cf. Gratianum in *Decret.* par. II. causa XXXII. q. VII. ubi c. I seqq. plures adducuntur auctoritates ex Patribus et conciliis, in quibus ad hos textus provocatur ; praesertim vero capp. 1. 3. 4. 6. 7. 10. — (74) Ibid.

(75) His addi potest quod etiam in Capitularibus Caroli M. legitur : « Placuit

Cum praeterea in eodem iure canonico, ex relatis S. Augustini aliorumque Patrum testimoniis, deceat maritum uxori suae delinquenti ignoscere eamque *potius sustinere*, (76) si eam criminis sui poeniteat, cumque ea reconciliari; sequeretur iuxta interpretationem, quam impugnamus, debere virum in concubinatu pergere, postquam se cum concubina reconciliavit privilegio seu iuri sibi a Christo dato renuncians; quod quam absurdum sit nemo est, qui non videat. Rursum : cum ex iuris canonici dispositione, si vir pariter in moechiae flagitium incurrerit, non amplius possit actionem habere adversus uxorem adulteram, sed ei convivere teneatur (77); sequeretur pariter hac in hypothesi, in adversariorum sententia, concubinarios in rea consuetudine perseverare debere.

Possem urgere *unanimem* theologorum consensionem ; nam quotquot sive scholastici sive theologi positivi ac polemici, ut vocant, antiqui ac recentiores adstruxerunt catholicam doctrinam de iure, quo fruitur pars innocens, dimittendi in perpetuum uxorem adulteram, profitendique vitam religiosam, aut suscipiendi sac. ordines , etiamsi uxorem admissi flagitii poeniteat veniamque petat , quotquot , inquam, sunt qui adstruxerunt hanc doctrinam , ad unum omnes, nemine prorsus excepto, innituntur verbis Christi Matth. V. et XIX. *Nisi ob fornicationem*; *excepta causa fornicationis*. Horum constans argumen-

» ut *nisi causa fornicationis , non sit uxor secundum Domini sententiam di-*
» *mittenda* , sed potius sustinenda. » lib. VI. cap. 215. iuxta emendationem Cotelerii. Cf. Car. Sebast. Berardi *Commentaria in ius eccles. univ.* Taurini 1767. tom. III. cap. II. ubi scribit : « Ex causis (dissolvendi matrimonium
» quoad cohabitationem) lege probatis... Prima est causa adulterii , quod si
» mulier admiserit , poterit a viro repelli iuxta *evangelicas regulas* Matth. V.
» 32. Neque in hac parte diversa est uxoris conditio, utpote quae a viro prop-
» ter viri adulterium seiungi se iure postulabit can. 19. 20. et 23. caus. 32. q.
» 5. ; can. 4. et 5. caus. 32. q. 6. »

(76) Iuxta phrasim Capitular. Caroli M. modo relatam ; quae verba pariter habentur relata ex conc. Parisiensi in addition. libri III. eorumdem Capit. c. 2. « Et quod *nisi causa fornicationis* , ut Dominus ait , non sit uxor dimittenda.
» sed *potius sustinenda.*

(77) Cf. *Decret.* Gregor. IX. lib. IV. tit. 19. *De divort.* cap. 4. et 5. et lib. V. tit. 16. *De adult.* c. 6. et 7. Cf. etiam Berardi op. et loc. cit.

tum hoc est : Ex Christi lege licet viro dimittere uxorem in causa fornicationis seu adulterii, ab eaque se separare : atqui non potest eam dimittere aut ab ea se separare quoad vinculum; ergo potest eam dimittere, seque ab ea separare, quoad torum et cohabitationem. Hoc est argumentum ineluctabile, quo omnes usi sunt, et adhuc utuntur adversus novatores ad propugnandum can. VIII. sess. XXIV. concilii Tridentini. Iam vero, interpretatione posita de simplici fornicatione, seu de concubinatu, vim omnem suam eiusmodi argumentum amitteret; ergo talis interpretatio unanimi adversatur theologorum consensioni.

Insuper ad magis magisque ostendendam eiusmodi interpretationis novitatem ac falsitatem contra sensum totius antiquitatis, argumentum pronam prorsus ineluctabile ex diuturno illo, quod viguit, theoretico (78) et practico dissidio inter Graecos et Latinos quoad dissolutionem coniugii ob adulterii flagitium. Siquidem, ut notum est, Graeci ab immemorabili contendunt dissolvi matrimonium quoad vinculum in causa adulterii, Latini vero, quorum doctrinam postea vindicabimus, tuentur non dissolvi coniugium hoc in casu nisi quoad torum et cohabitationem. Utraque pars ad suam doctrinam et praxim protuendam innititur unice Christi verbis, quae in binis Matthaei textibus reperiuntur. Adeoque tum Graeci tum Latini constanter vocem *fornicationis*, quae in utroque textu occurrit, intellexerunt de *adulterio*, nunquam autem de simplici fornicatione, quae coniugium praecesserit (79), alioquin nullum unquam locum eiusmodi dissidium habuisset. Ergo qui de fornicatione, prout ab adulterio distinguitur, interpretantur Christi verba universae ecclesiasticae antiquitatis sensui ac intelligentiae contradicunt. Addatur denique et illud, ex tot Rom. pontificibus, ex tot conciliis, ex tot Patribus Latinis, imo et Graecis, qui pro-

(78) Saltem ex consequenti, ut suo loco expendemus.

(79) Dixi *coniugium praecesserit*, nam si in statu coniugali quispiam cum concubina consuesceret, profecto vero adulterii crimine se commacularet; nec proinde adversariorum hypothesis ac interpretatio alio sensu intelligi potest.

pugnarunt omnimodam indissolubilitatem coniugii adversus eos, qui pro sua sententia et praxi in causa adulterii hisce textibus abutebantur, neminem unquam insinuasse, aut excogitasse quidem hanc interpretationem de concubinatu, qua semel admissa, ut recentiores hi interpretes profitentur, nulla omnino *extaret* in illis verbis *difficultas*.

Quandoquidem vero unicum argumentum ad novam hanc interpretationem persuadendam petitur ex philologia, quia, inquiunt, verba illa *excepta causa fornicationis..... nisi ob fornicationem* nec significant, nec significare possunt flagitium ab alterutro legitimorum coniugum patratum cum extraneo, hoc enim non foret *πορνεία fornicatio*, inquiunt, sed *μοιχεία adulterium*, qua voce tale flagitium Christus constanter designavit in illis sermonibus; praestat modo, ut ex ipsa philologia argumentum, quod affertur, evertamus.

Iam vero vocem *πορνείαν* genericam esse, et ad significandum promiscue scortationis crimen sive cum soluta, sive cum muliere matrimonio copulata tradunt vel ipsi Graeci auctores. Sane Suidas unus ex ipsis « *πορνεία*, inquit, etiam est *intem-* » *perantia*, quod (scortatores) mentem habeant induratam, » in qua significatione pariter S. Athanasius scribit: « *πορνεία* » dicitur, *quod urat iuventutem;* et quod depravet vel quasi » excaecet mentem (80). » Est autem a *περνάω* vel *πέρνημι*, quod est *vendo*. Scortator enim corpus suum prostituit, et veluti vendit et ex eo quaestum facit. Adeoque, ut diximus, vox generica est, quae significat *prostitutionem* et *scortationem*. Ex subiecta autem materia determinatur, ubinam *πορνεία* de prostitutione cum soluta an vero cum matrimonio iuncta accipi debeat, nempe de simplici fornicatione aut de adulterio.

« Sane videmus notione *adulterii πορνείαν* a Graecis usur- » pari; sic Clemens Alex. dicit *πορνείαν* esse *ab uno matri-* » *monio ad plura prolapsionem* (81). » In hac eadem significa-

(80) Vol. II. pag. 54.

(81) *Stromat.* lib. III. pag. 464. qui praeterea lib. VIII. pag. 744. inter πορνείας seu fornicationis species etiam numerat φιληδονίαν, *voluptatis studium*, *luxuriam*, eodem sensu sumitur Rom. I. 29., ut exponit Teophylactus

tione locutus est S. Io. Chrysostomus dum affirmavit. « Eum » qui propria (uxore) non vivit contentus, salvari impossibile » est : sed necesse est talem omnino perire, etiamsi infinita bona » opera fecerit : fieri enim nequit, ut quis cum scortatione » (*πορνείας*, *fornicationis*) in regnum coelorum ingredia- » tur (82). » Item S. Basilius : « Si quis cum uxore cohabitans, » postea matrimonio non contentus in *fornicationem* (*εἰς πορ-* » *νείαν*) inciderit, *fornicatorem* (*πόρνον*) eum iudicamus (83). » In quem S. Basilii locum scribit Balsamon : « Hoc loco (S. Ba- » silius) eum, qui uxorem habet, et cum alia soluta uxore las- » civiam committit, *scortatorem* esse dicit, non moechum *πόρ-* » *νον εἶναι λέγει, οὐ μοιχόν* (84). »

Sic etiam profani scriptores voces *πορνεία*, et *μοιχεία* promiscue sumunt. Exemplo sit Dio Cassius, qui de Messalina, Claudii imperatoris perdita uxore, scribit : « Messalina *adulterii* » *et stupri* non contenta (85). » Caetera exempla, quae magno numero afferri possent, silentio praetereo, quae apud lexicographos recolere facile est (86).

Igitur cum ipsa etymologica significatio, et antiquorum sive ecclesiasticorum sive profanorum scriptorum usus *πορνείας* vocem ad significandum promiscue tum fornicationis tum adul-

in hunc loc. Item Estius ; perinde ac I. Thessal. IV. 3., ubi idem Apostolus dehortatur *ἀπὸ πάσης πορνείας ab omni fornicatione*, ut exponit Theodoretus in hunc loc.

(82) Hom. LXIII. al. LXII. in Ioan. n. 4. Sic porro vertit hunc locum Montfauconius : « Qui sua (uxore) contentus non est, salvus esse nequit ; sed pereat » oportet, etsi mille bonis operibus sit instructus. *Fornicantem* enim impossi- » bile est intrare in regnum coelorum ; imo id iam non *fornicatio* est, sed » *adulterium* etc. »

(83) Can XXI. *ad Amphyloch*, ep. CXCXIX. ed. Maur. tom. III. pag. 292.

(84) In hunc can. pag 955.

(85) Hist. Rom. lib. LX. n. 30. *Ἡ Μεσσαλίνα... καὶ ἐμοιχεύετο, καὶ ἐπορ-νεύετο* ad litt. *et moechabatur, et fornicabatur*. Opp. ed. Sturzii vol. III. Lips. 1825.

(86) Cf. Svicerum *Thesaur. eccles. ex Patr. Graec.* Item cf. Henric. Stephanum : *Thesaurus Graecae linguae*, ed. C. B. Hase et Guil. et Lud. Dindorfii Paris. typis Firm. Didot. vol. VI. ad hanc voc.

terii flagitium admittant ac postulent, falso proinde assumitur, *πορνείαν* in nostris textibus non *significare*, nec *significare posse* flagitium ab alterutro legitimorum coniugum cum extraneo patratum. Invertere imo potius ita possumus argumentum, generica vox *πορνεία* non modo latissimam habet significationem ad designandam quamcumque impudicitiae speciem, sed nominatim promiscue usurpatur tum pro fornicatione simplici, tum pro adulterio ; ex substrata proinde materia in quonam sensu usurpetur diiudicandum est. Cum vero luculentissime constet in nostris textibus adhibitam a Christo esse de muliere matrimonio iuncta ; merito concludimus, eam vocem in istis locis nec *significare, nec significare posse aliud quam* flagitium ab alterutro legitimorum coniugum patratum cum extraneo.

Non video autem, quomodo adeo asseveranter affirmetur, Christum *constanter* voce *μοιχεία* designasse in illis sermonibus adulterium, quatenus a *πορνεία* seu a fornicatione distinguitur, ac propterea, quod consequens est, constanter pariter voce *πορνεία* significasse fornicationem, prout distinguitur ab adulterio. Hoc vere est assumere quod in quaestione est positum, seu potius quod omnino negari debet.

Quinimo, eo ipso, quod Christus verba *μοιχᾶσθαι* et *μοιχᾶται*, scilicet *moechari* et *adulterat* protulerit, confirmatur vocem *πορνείας fornicationis* usurpasse in sensu *adulterii*. Ratio est, quia iuxta doctrinam catholicam, quam postea adstruemus, Christus his verbis concessit quidem parti innocenti separationem quoad torum et cohabitationem, non autem quoad vinculum, quod perpetuum manet etiam in casu adulterii alterutrius coniugis, adeoque, qui manente coniugii vinculo alteram in uxorem ducit, vere *moechatur* et *adulterat*, ac etiam *moechari facit* dimissam, quae alteri nubat. Quae verissima quidem sunt si Christus locutus est de dimissione uxoris propter illius adulterium ; essent autem falsa in adversariorum interpretatione de concubina, vel de foemina ac viro, qui fornicarie viverent. Quomodo enim posset esse adulter vel adultera, qui relicto statu fornicario legitime cum altero aut cum altera se coniugeret ?

Equidem haud ignoro huius interpretationis patronos exceptionem illam ad incisum etiam sequens protendere, ac ita Christi verba exponere ! « Omnis qui dimiserit uxorem, *excepta fornicationis causa,* vel *nisi ob fornicationem*, et aliam duxerit, » moechatur et adulterat. » Verum praeter quam quod aleae res plena est eam clausulam etiam ad insequens incisum referre, quum id faciant ad alium scopum etiam protestantes, ut evincant scilicet in causa adulterii licere non solum *dimittere* uxorem, sed *aliam* insuper *ducere ;* hoc, inquam, omisso, si vera esset illa expositio, hunc funderent sensum Christi effata : « Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepto casu, quod ea non vere uxor » sit, sed tantum fornicaria seu mera concubina et pellex, vel » praeter statum concubinatus et fornicariae unionis, moechatur et » adulterat. » At quis non videt violentam, imo et absurdam sententiam ex hac hypothesi, seu expositione exurgere ? Si est *uxor* et quidem *sua*, non est *concubina ;* si est *concubina,* non est *uxor*. Christus autem loquitur de uxore, et de viro qui dimittit *uxorem suam*, non autem *concubinam suam*, aut, *pellicem suam,* quae talis esse nequit, nisi ante initum coniugium, aut per mortem alterius solutum, alioquin si in vero coniugio aut cum coniugato delinqueret, esset *adultera*, quod adversarii nostri inficiantur.

Itaque quaqua versus spectetur novissima expositio horum textuum evangelicorum, sive nempe spectemus orationis seriem, sive scopum Christi, sive versiones antiquas, sive unanimem sanctorem veterum interpretationem, sive sensum Ecclesiae, sive theologorum omnium consensum, sive controversias, quae hac de causa viguerunt ac vigent, sive sensum absurdum, quem prae se ferrent Christi verba, evidens est eam nullo modo probari et admitti posse, etsi non diffitear optima intentione et in optimum finem invectam eam esse, ad eripiendum scilicet protestantibus praecipuum fundamentum, cui innituntur ad Ecclesiae catholicae hac in re concutiendam doctrinam. Ast baculus arundineus ineptus est ad fulciendum hoc argumentum, seu falsam ac praeposteram interpretationem. Et haec hactenus.

ARTICULUS III. — Dogmatica Ecclesiae interpraetatio doctrinae biblicae de indissolubilitate Matrimonii christiani argumentis hermeneuticis scientifice demonstratur.

§. I.

Indissolubilitas matrimonii christiani etiam in causa adulterii ex scientifica exegesi textuum Matth. V. et XIX. deducitur.

Ut ex ordine quaestionem hanc exordiamur 1. expendemus Christi scopum hisce in locis, 2. verborum contextum; 3. necessitatem catholicae interpretationis ad vitanda gravissima incommoda, quae ex novatorum et Graecorum expositione ac sententia proveniunt. Quo autem firmius res nostra constituatur, expendemus seorsum utrumque textum, ut appareat eamdem iis subesse sententiam.

Christus igitur Matth. V. 31. 32. ita locutus est: « Dictum est autem: quicumque dimiserit uxorem suam, det ei » libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui » dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit » eam moechari: et qui dimissam duxerit, adulterat. » Iuxta adversarios, Christus his verbis: *excepta fornicationis causa*, ob fornicationis seu adulterii causam facultatem praebuit tum dimittendi uxorem delinquentem, tum, illa dimissa, aliam ducendi.

Porro scopus Christi contrarium omnino ostendit. Etenim Christus novam legislationem, qua in Ecclesia sua matrimonia regi debeant, opponit legi Mosaicae, iuxta quam permissa erat vinculi coniugalis solutio. Iam vero finem hunc non attigisset, si quemadmodum in veteri lege, ita et in nova concessisset viro non solum dimittere uxorem, sed etiam repudiata prima, alteram ducere, itemque si mulieri dimissae post divortium concessisset alteri nubere, interveniente adulterii flagitio.

Quae ut clarius intelligantur, duo dispescenda hic sunt ut plus semel diximus, facultas dimittendi uxorem, et facultas alteram ducendi. Primam coarctavit Christus ad solum fornicationis seu adulterii casum; et huc referuntur priora Christi ver-

ba : « Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis » causa, facit eam moechari ; » ad alteram spectant posteriora verba ; « et qui dimissam duxerit, adulterat » quibus verbis facultas novas ineundi nuptias aperte negatur. Quod Christus in casu adulterii facultatem concesserit dimissionis quoad torum et cohabitationem nulla movetur quaestio, cum haec ab omnibus sive catholicis sive acatholicis facile admittatur, de qua et nos postea acturi sumus.

Igitur difficultas est quoad facultatem aliam ducendi, dimissa adultera, seu quoad vinculi solutionem. Hanc porro facultatem Christus omnino sustulit. Sane, si Christus per verba : *et qui dimissam duxerit, adulterat*, non sustulisset solutionem matrimonii quoad vinculum, non dedisset legem antiqua praecellentiorem ; imo sub aliquo respectu legem dedisset Mosaica deteriorem. Iam vero Christus in hoc commate declaravit se uti novum legislatorem emendare velle, atque ad perfectionem adducere antiquam de coniugio legem, ut patet ex illa antithesi : *Dictum est.... Ego autem dico.*

Ac profecto non dedisset legem antiqua praecellentiorem, cum non aliam matrimonio firmitatem, quam quae iam in veteri lege vigebat, constituisset. Siquidem quemadmodum in veteri lege, permittente Deo, poterat dimitti uxor et solvi coniugium , sic in nova posset uxor pariter dimitti et coniugium solvi. Nec obstat, quod Christus causam huius solutionis ad solam fornicationem coarctaverit ; nam hoc ipso deterior aliquo modo fuisset hujus legis conditio. In lege enim Mosaica per libellum repudii uxori dimissae concedebatur facultas alteri nubendi, ast sine infamiae nota ; etenim etiam sine ipsius culpa ob aliquem physicum defectum sive verum sive putatum, vel etiam ob mariti ipsius ingenium et *ἀντιπάθειαν* , vel odium aliamque eiusmodi causam poterat dimitti (87). Quod si infamis fuisset ac de adulterio

(87) Reipsa paulo ante ostendimus nullo modo per *hervat dabar*, seu *foeditatem* designari posse adulterium, eiusve suspicionem ; quia hoc foret contra legem constitutam de adulterio, aut de adulterii suspicione. Quare ut non obscure colligitur ex Deut. XXIV. 4. et ex Malach, II. 2. sufficiebat ad repudium

eiusve suspicione convicta, alium maritum invenire nullatenus aut vix potuisset. Hac de causa, ne iniuria uxor repudiata afficeretur, in libello repudii minime recensebantur repudii causae, saltem singillatim ; sed eo spectabat libellus repudii, ut posthac declararetur liberum esse uxori dimissae cuicumque nubere. Hinc Iosephus Flavius legem Moysis declarans scribit : « Qui a » coniuge, quacumque de causa, ut saepe hominibus usuvenit, » disiungi postulat, scripto ei securitatem faciat, quod eam nolit » amplius. Sic enim *habebit potestatem alterius coniugis quae-* » *rendi;* alioquin divortium non permittitur (88). » Contra vero in evangelica lege, in adversariorum hypothesi, nunquam repudiari posset uxor, quin publice esset infamia notata ac de adulterio convicta. Id vero absonum est essetque hoc sub respectu evangelica lex, ut diximus, aliquo modo lege Mosaica deterior.

Sed et ex alio capite deterior foret lex Christi lege Moysis, quod hic morte plectendos statuerit adulteros (89) ; contra vero Christus nova lege sua constituisset ut adultera aut adulter possent novis se iungere nuptiis, adeoque viam latissimam hac ratione coniugiorum solutioni, et adulteriis viam aperuisset, ita ut quoties coniuges vinculi sui pertaesi novo inhiarent coniugio, toties per adulterium viam sibi ad novum coniugium parare possent.

Eo vel magis quod in veteri lege, solis viris concessum esset uxori repudium dare (90), contra vero in nova, ut patet ex

mariti odium. Cf. Salmeron *Comment. in hist. evangelic.* tom. V. tract. XXXIX. ed. Colon. Agrip. pag. 222. seqq.

(88) *Antiquit.* lib. IV. c. 8. n. 23.

(89) Deut. XXII. 22. « Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morie- » tur, id est, adulter et adultera : et auferes malum de Israel. »

(90) Quod etiam testatur Iosephus dum op. cit. lib. XV. c. VII. n. 10. disserens de Salome, quae Castaboro marito suo ob ortum inter se dissidium. miserat libellum repudii ad dissuendum matrimonium, subdit :« Contra quam ferunt Iudaeorum leges, nam viro quidem apud nos id facere licet, *neutiquam vero foe-* » *minae*, quae sponte dicesserit, nec alteri nubere fas est, nisi prius a marito » dimittatur. » Opp. edit. Havercamp tom. I. pag. 764 seq. In adductis verbis insinuatur duplex dimissio, altera quoad vinculum per repudii libellum; altera quoad torum, quae sine libello repudii dari poterat. Per hanc posteriorem

Marci X. 12. « Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupse-» rit, moechatur, » in adversariorum interpretatione, si vir fornicationis seu adulterii reus esset, posset uxor etiam coniugium disrumpere et alii nubere. Nemo vero ignorat longe procliviores esse mulieres ad novas nuptias quam viros, ac animo mobiliores. Hinc rursum hoc ex capite deterior evaderet lex Christi Mosis lege, contra apertum Salvatoris nostri sensum, qui eo spectabat, ut perficeret legem veterem, et omnem imperfectionem pro rerum ac temporum conditione illi inhaerentem prorsus tolleret

Nisi igitur velimus aperta fronte Christi scopo adversari, fateamur necesse est, in hemistichio altero vers. 32. *Et qui dimissam duxerit, adulterat,* Christum omnimodam indissolubilitatem coniugii significare voluisse.

2. Verum idipsum ex verborum contextu, seu ex orationis serie non minus luculenter efficitur. Etenim verborum Christi tenor ita se habet : « Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, *facit eam moechari :* et qui dimissam duxerit, adulterat. » Iam vero particula illa seu incisum : *facit eam moechari*, profecto ad uxorem referri nequit eo sensu, quod eo ipso censeri debeat adultera, quod sit a marito dimissa. Nam uxor in hac dimissione passive potius quam active se habet, adeoque si ipsa per se dimissio adulterium constitueret, hoc esset potius ex parte mariti dimittendis uxorem citra eius culpam, quam ex parte uxoris dimissae. Hinc adulterium, cuius per uxoris suae dimissionem vir causa extitit, in duplici tantum hypothesi locum

dimissionem coniugii vinculum non dissolvebatur, nec poterat uxor dimissa ad alia vota transire; per priorem vero, integrum ius erat dimissae novas celebrare nuptias. Hinc ex historia gentis et morum Iudaeorum apparet quomodo Iudaeis clara esse debuit ea Christi locutio, quae grammatice videri posset ambigua; nimirum an ea exceptio ad solam dimissionem coërceri deberet. Nam quoniam apud Iudaeos haec duo usu et consuetudine distinguebantur, scilicet uxorem simpliciter dimittere, et illi omni vinculo solutae novas nuptias permittere, hinc quoniam Christus exceptionem posuit post verbum *dimiserit,* nullam vero post verbum *duxerit,* intelligere Iudaei satis potuerunt, adulterium legitimam esse causam solius dimissionis, non autem pleni repudii etiam quoad vinculum.

habere potest; aut nempe cum mulier dimissa alteri viro nubit, aut cum dimissa, quin secundo nubat, vitam agit fornicariam. Priorem casum seu hypothesin Christus diserte exprimit verbis illis: *Qui dimissam duxerit adulterat*; quibus declarat mulierem quamvis a viro dimissam, adhuc in priori suo matrimonio quoad vinculum permanere, atque idcirco reum adulterii fieri, qui eam adhuc coniugali vinculo adstrictam in coniugium sibi copulaverit. Alterum vero casum seu hypothesin Christus *exclusit* iisdem verbis: *facit eam moechari*, significans eos adulterare qui cum dimissa fornicariam vitam agente se coniunxerint; atque eiusmodi adulterinarum coniunctionum reum fieri maritum, qui uxorem suam repudiaverit, eo ipso quod vinculum sui coniugii etiam post dimissionem perseverat; alioquin dixisset Christus *facit eam fornicari* non autem *facit eam moechari*.

Quod si mulier viro suo dimissionis iustam dederit causam propter fornicationem, seu potius adulterium cum altero patratum, vir eam dimittendo non poterit amplius reus esse adulterii, quod dimissa, uxor patraverit sive alteri nubendo, sive vitam inhonestam ducendo; malitiae enim suae unice adscribere ea deberet, sive attentaret secundum coniugium, sive cum alienis vitam inhonestam duceret; contra vero complex horum delictorum esset ex Christi verbis vir ille, qui absque fornicationis seu adulterii crimine uxorem suam in perpetuum dimitteret.

Quapropter sequitur ex orationis serie atque ex toto contextu verborum Christi, hunc illi sententiae subesse sensum: « Omnis » qui uxorem suam praeter vel citra fornicationis causam di- » mittit, occasionem praebet, ut pari ratione adultera fiat, si » post suam dimissionem alteri nupserit, prout illa, quae ob » causam fornicationis dimissa fuit, adultera est, quia omnis, » qui dimissam duxerit, adulterium committit; seu quod idem est, » vir uxorem suam absque fornicationis causa repellens, quo- » dammodo inchoat adulterium, quod per initum cum dimissa » novum matrimonium consummatur; contra vero vir, qui » uxorem suam ob causam fornicationis a se repudiat, separat

» quidem se ab illa tanquam infideli consorte, adulterii tamen » ipsius causa et socius non efficitur, quippe quae ipsamet adul- » terium perpetrando, adulteram se facit ; sed vir , qui ita » dimissam ducit, adulterium ipsius continuat, quum non coniu- » galem societatem, sed adulterinum connubium cum eadem » iniisse censendus sit, quia *omnis*, *qui dimissam ducit, adulte-* » *rat* (91). »

Quam quidem genuinam ac germanam esse Christi mentem in hoc effato, melius etiam ostenditur ex abolitione libelli repudii a Moyse concessi, cuius effectus erat, ut vidimus, libertatem tribuere uxori dimissae alteri nubendi. Hoc igitur sublato, iam nulla remanet uxori dimissae aut eiectae potestas alias ineundi nuptias; et declaratur anteactum coniugium integrum quoad vinculum subsistere; nec maritum, dimissa uxore fornicationis causa, posse alteram ducere; neque uxorem eadem de causa dimissam posse alteri nubere, quin adulteriis se commaculent. Atque haec fuit plane res nova, ac antea in populo Iudaico inaudita, omnimoda nimirum firmitas sive indissolubilitas coniugii a Christo inducta.

3. Necessitas demum nostrae interpretationis verborum Christi effloresc it ex incommodis, quae in adversariorum sententia orirentur. Praecipuum porro ex his incommodis est,quod dimissa adultera in meliori esset conditione, quam innocens uxor, quae forte citra culpam dimitteretur. Etenim si ex causa tantum fornicationis seu adulterii coniugii vinculum solvi posset; hoc non interveniente, connubium indissolubile permaneret. Adeoque, si alia de causa, praeter quam ob fornicationem, vir uxorem dimitteret, haec nequiret ad novas transire nuptias; contra vero uxor fornicaria sive adultera, posset alteri nubere. Haec propterea praemium referret ex sua nequitia, illa autem poenam daret ob servatam pudicitiam. Quod quam absurdum sit, nemo est qui non videat. Itidem vir qui dimissam adulteram duceret, non moecharetur, moecharetur autem, qui duce-

(91) Ita praeclare hunc textum enarrat Roskovàny op. cit. § 86.

ret dimissam pudicam; quod aeque est non mediocriter absurdum.

Nonnulli vellent hoc in casu mulierem moecham debere in perpetuum privari iure suo alteri nubendi in poenam patrati criminis, sicque praefatum incommodum evanesceret. Ast, uti observat Bellarminus, etsi prohiberetur uxor adultera alteri nubere in poenam patrati flagitii, uxor tamen libera esset ac soluta a vinculo prioris coniugii, ac proinde peccaret quidem nubendo et forte etiam matrimonium esset nullum, sed non *moecharetur* sive ipsa, sive qui eam duceret; neque enim est adulterium nisi cum coniuge alterius; Dominus autem disertis verbis pronunciavit: *Et qui dimissam duxerit, adulterat* (92). Haec quidem ipse. Quidquid porro sit de sensu verborum Christi, *qui dimissam duxerit, adulterat*, quoniam adversarii ea accipiunt cum apposita clausula, *excepta fornicationis causa*, illud nos solum animadvertimus, quod in eorum hypothesi, qui duceret adulteram non foret *adulter*, adulteraret autem, qui iungeret se cum innocente, adeoque neque hac ratione vitare possunt incommodum, a quo bonus et communis sensus refugit.

Alterum incommodum est illud ipsum, quod paulo ante innuimus, nimirum admissa adversariorum sententia, habenas laxari adulteriis ac proinde iugi coniugiorum dissolutioni, prout experientia penes protestantes, qui ita interpretantur Christi verba apud Matthaeum, evincit (93). Hoc vero pessumdat moralem Christi doctrinam.

Nunc gradum facimus ad Matth. XIX. 3 seqq. ubi Christus uberius adhuc et clarius eadem ipsa, quae Matth. V. docuerat, de absoluta coniugii indissolubilitate declarat confirmatque. Id vero colligimus triplici ex capite, tum nempe ex responsione

(92) *De Matrim.* c. XVI, n. 4.

(93) Notum est plerumque tum in Borussia tum in aliis Germaniae provinciis, non alia de causa tanto numero per annos singulos a tribunalibus sententias divortiorum pronunciari; alibi id ipsum de Anglia testati sumus; nunc vero eo maior est divortiorum ibi facilitas ob novam, quae his fere diebus sancita est, legem de divortio.

Christi ad propositam sibi a pharisaeis quaestionem; tum ex generali eiusdem affirmatione ac sententia; tum denique ex discipulorum admiratione.

1. Igitur cum accessissent pharisaei ad Iesum « *tentantes* » eum (94), et dicentes, si licet homini dimittere uxorem suam » quacumque ex causa? » Respondit eis Christus : « Non legis- » tis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam » fecit eos et dixit : propter hoc dimittet homo patrem et matrem, » et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque » iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, » homo non separet. Dicunt illi, quid ergo Moyses mandavit » dare libellum repudii et dimittere? Ait illis : Quoniam Moyses » ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores ve- » stras : ab initio autem non fuit sic. » Quibus verbis Christus declaravit coniugium in sua institutione fuisse prorsus indissolubile, utpote quod arctissimo nexu coniuges ita uniret, ut nonnisi carnem unam unamque moralem personam efficeret, quae separari seu divelli a se omnino nequit. Dissolvit exceptionem a Mosis lege petitam, exponens illam permissionem dandi libellum repudii, adeoque dissociandi coniugium, aliamque uxorem ducendi fuisse temporaneam, atque oeconomiae gratia ob duram populi indolem concessam, quae proinde auferenda esset, ut coniugalis unio ad primaevam divinam institutionem revocaretur.

2. Quod si ita est, suapte natura consequitur Christum insequentibus verbis : « Dico autem vobis, quia, quicumque dimi- » serit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit,

(94) Memores forte pharisaei eorum, quae Christus dixerat Matth. V. 32, eaque conferentes cum eo, quod Moyses permiserat Iudaeis, repudiare uxores suas, quas odisse coepissent, dato libelli repudio, sperabant se eo acturos Dominum Iesum, ut in alterutrum dilemmatis cornu impingeret, nempe vel ut sibi ipsi contradiceret, quo fidem seu doctrinam suam ac proinde existimationem penes populum deiicerent, vel Moysi repugnaret, quod scelus fuisset, et blasphemiae genus morte piandum. Cf. Drach. *Du div orce dans la synagogue* pag. 82 seq. Hoc ipsum insinuat S. Io. Chrysostomus hom. 62. alias 63. in Matth.

» moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur, » haud potuisse per exceptionem fornicationis restituere libellum repudii dando facultatem, illa interveniente, dimittendi uxorem aliamque ducendi. Qua in hypothesi contrarium ipse se praebuisset illi firmitati, quam ab initio Deus in coniugio instituerat, quamque sibi instaurare proposuerat. Quocirca hoc ipso, quod pharisaei interrogaverunt Christum de dissolutione coniugii quoad vinculum, et Moyses eam legem dissolutionis coniugii quoad vinculum indulserat ob cordis duritiam, non potuit Christus illis verbis : *nisi ob fornicationem*, eiusmodi flagitium tanquam legitimam causam dissolutionis vinculi coniugalis assignare : alioquin et sibi ipsi fuisset contrarius et primaevae institutioni divinae. Permisit itaque ob fornicationem uxorem dimittere, vinculo tamen coniugii permanente, seu permisit dimittere unice quoad torum et cohabitationem.

Ad haec accedit, quod si Christus de omnimoda vinculi dissolutione locutus fuisset in primo versiculi 9. hemystichio : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, cum in hac hypothesi iam comprehenderetur facultas alteram ducendi uxorem, superflue addidisset : *et aliam duxerit;* nam id ipsum iam dixisset aequivalenter prioribus verbis. Ne igitur supervacanea eiusmodi additio admittatur, necessario sequitur prima verba intelligenda esse de *dimissione* quoad torum et habitationem, non autem quoad vinculum (95).

3. Reipsa germanam hanc esse Christi sententiam ex ratione, qua eam intellexerunt discipuli, manifestum fit. Nam cum Christum ipsi audissent dicentem : Quicumque aliam duxerit uxorem priori dimissa, et qui duxerit dimissam etiam ob fornicationem, eum moechari, illico mirati dixerunt : « Si ita est causa » hominis cum uxore, non expedit nubere. » Haec autem admiratio nullum potuisset locum habere, si Christus in textu Matthaei declarasset coniugium ita per fornicationem dissolvi, ut dimittens ac dimissa possent ad novas nuptias transire. Si-

(95) Cf. Salmeronium tom. VIII. tract. XLVIII. ed. cit. pag. 387.

quidem hoc in casu nihil novi Christus intulisset, quod receptum non esset penes Iudaeos, si excipias maiorem facilitatem novas ineundi nuptias illo in casu, in quo iuxta Mosaicam legem adulteri morte plectendi essent. Attamen discipuli mirati sunt, eo quod novum quid hactenus inauditum rigidae severitatis Christus protulerit. Christus autem discipulos ab hac verborum suorum intelligentia non modo non removit, sed etiam confirmavit respondens illis : « Non omnes capiunt verbum istud, » sed quibus datum est. » Quid porro difficile intellectu fuisset, si Christus docuisset, propter fornicationem seu adulterium matrimonium dissolvi cum facultate alteram ducendi? Nam id omnes antea non solum intelligebant, sed et in praxim deducebant ob longe leviores causas. Christus vero ex discipulorum admiratione nactus est occasionem, ut discipulos suos ad caelibatum amplectendum hortarentur.

Ut omnia proinde cohaereant in hac Christi sententia, dicendum omnino est, Christum his verbis unicam dimissionis causam intrinsecam scilicet et perpetuam, ut suo loco ostendemus, constituisse in solo fornicationis casu ; et quidem ita, ut etiam in hoc casu, per abolitionem libelli repudii a Mose concessi, non liceat novum post dimissionem inire coniugium ; adeoque clausulam, de qua agimus, *nisi ob fornicationem*, ad solam referri facultatem dimittendae adulterae, non autem ad facultatem novae ducendae uxoris. Seu quod idem est, Christus in priori hemistichio locutus est de separatione quoad torum, non autem quoad vinculum ; alioquin ipse patrocinatus esset mulieri adulterae, quippe cui facultatem fecisset in posterum libere, et in vero coniugio cum adultero permanere, si id ei libuisset (96) ; aut etiam per nova iugiter flagitia transire de coniugio in coniugium.

Demum, vel dissolveretur matrimonium quoad viculum solo

(96) Cum ageretur in Anglico senatu an. 1857. de probanda nova lege divortii, episcopus Anglicanus Eboracensis voluisset, ut saltem apponeretur in lege clausula, quod, dissoluto propter adulterium coniugio, non posset adultera adultero nubere. Ast perperam ; nam eiusmodi clausula plurimorum suffragio reiecta est. Attamen nemo est qui in hoc non deprehendat turpitudinem.

fornicationis actu, et tunc non posset maritus huiusce criminis conscius sine adulterii flagitio, aut saltem fornicationis se cum adultera muliere coniungere, quia haec non amplius esset eius uxor, utpote soluto coniugio ; vel id penderet a viri voluntate, aut per actum iuridicum, et tunc vir dissolveret quod Deus coniunxerat, quod ex Christo homo facere non potest. Ergo fornicationis scelus matrimonium quoad vinculum non solvit.

Nec obest, ut aliqui excipiunt, quod si nostra admitteretur interpretatio, Christus non respondisset quaestioni pharisaeorum. Illi enim interrogaverunt de solutione quoad vinculum, prout ferebat lex Moysis permittens libellum repudii; ipse autem locutus fuisset de sola solutione quoad torum. At vero hoc ipso quod Christus voluit eos abducere ab illa coniugii dissolutione, eamque prorsus abrogare nova sua legislatione, coniugiumque ad primaevam conditionem revocare, in qua a Deo institutum fuerat, opportune omnino respondisse dicendus est, dum in nullo casu coniugium dissolvi edixit, ac solam fornicationem praebere ius dimittendae uxoris, quin haec dimissa ius haberet ad alias nuptias, aut aliquis, quamdiu in vivis esset eius maritus, illam legitime ducere posset. Non desunt, qui dicant, eo ipso quod Pharisaei ad eum tentandum accessissent, Christum consulto non respondisse ad mentem eorum, sed aliquid omnino diversum ab eo quod ipsi voluissent; ideoque ita eum respondisse aiunt, ut turba praesens erudiretur, et illi confunderentur et punirentur, quod exemplis aliis confirmant. (97) Esto, nihil est quod repugnet.

Ex collatione igitur utriusque textus, prout hactenus vidimus, aperte colligitur, Christum utrobique sibi proposuisse plenam perfectamque restituere coniugio firmitatem, quam Deus ab initio humani generis constituerat, omnemque vinculi coniugalis dissolvendi causam abolere, e medio tollendo a Moyse concessam libelli repudii facultatem; seu, quod idem est, constituisse coniugium prorsus indissolubile etiam in causa adulterii,

(97). Cf. Salmeronium op. et loc. cit. tract. XLVI. pag. 361.

prout, Ecclesia catholica contra protestantes et Graecos dogmatice docet.

Ex his pronum est inferre, prout alias innuimus, 1. quod Christus coarctaverit causam dimissionis ad fornicationem, quin quidpiam expresse dixerit, ut plures volunt, de eo quod fieri posset uxore dimissa; siquidem id postea secreto discipulis suis palam aperuit, ut constat ex Marci X. 11. 12. et Lucae XVI. 18. ut mox expendemus, dum nulla apposita exceptione ipsis palam denunciavit omnimodam ac perfectam coniugii christiani indissolubilitatem. Ideo vero solam assignavit fornicationis causam ad dimittendam uxorem, quia haec intrinseca est ipsi coniugio, cuius fidem fornicaria uxor infringit.

2. Interpretationem, quam hic exhibuimus ac vindicavimus cum communi theologorum catholicorum consensu, iuxta regulas hermeneuticas non modo defendere, verum etiam positive adstruere ac probare Ecclesiae doctrinam, quin necesse sit ad novas ac peregrinas plus minusve a veritate abhorrentes interpretationes confugere, quas in praecedente articulo critice expendimus atque reiecimus. Invectae illae sunt ad nodum praecidendum difficultatis; ast nodus ille solvi optime potest ostendendo, prout praestitimus in praesenti paragrapho, solam exceptionalem clausulam a Christo appositam referri ad prius incisum de *dimissione*, non autem ad incisum subsequens de alia ducenda aut non ducenda uxore (98).

§ II.

Eadem interpretatio textuum Matthaei de omnimoda christiani matrimonii indissolubilitate ex Marc. X. et Luc. XVI. stabilitur.

Quae diximus de Christi mente circa omnimodam coniugalis vinculi firmitatem, mirifice confirmantur locis parallelis Marci X. 11. 12. et Lucae XVI. 18. Nam nulla iniecta de fornicatione exceptione, Christus utroque in loco absolute pronunciat adul-

(98) Cf. Bellarmin. *De matrim.* cap. XVI.

terii reos fieri, quicumque, facto divortio, novas nuptias inierint. Ut autem utriusque textus vis appareat, praestat, eorum quemlibet cum suis adiunctis referre et expendere, idque adversus eos, qui sub intelligendam in iis esse putant eamdem pericopen, quae apud Matthaeum occurrit, atque ex Matthaeo supplendum quod in aliis evangeliis omissum est.

Refert igitur S. Marcus, quod cum audissent discipuli responsum a Christo Pharisaeis datum de indissolubilitate coniugii, facta abolitione libelli repudii, revocatoque coniugio ad pristinam institutionem : « In domo iterum discipuli eius de eodem inter- » rogaverunt eum. Et ait illis : Quicumque dimiserit uxorem » suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et » si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur. » Quae quidem verba adeo sunt perspicua, ut nullum tergiversationi locum relinquant.

Verum hoc ipso nihil intentatum adversarii omittunt, ut illis tenebras offundant. Alii enim ex eo, quod Marcus mentionem iniecerit de *uxore dimittente virum suum*, quam Matthaeus praetermisit, inferunt Marcum non e sermone Iesu verba illa reddidisse, sed a Petro apostolo cuius fuit interpres, accepta, evangelio suo inseruisse.(99) Alii animadvertunt mulieres quidem ex spiritu legis Mosaicae potuisse maritos suos coram iudicibus accusare, eosdemque quodammodo ad repudiationem cogere, sed propria auctoritate dimittere haud potuisse (100). Verum haec levia sunt. Nam quod recensita verba a Christo prolata non fuerint, sed a Marco adiecta ex Petri doctrina, veritati evangelicae narrationis aperta fronte adversatur, ac sine ulla probatione atque ex mera coniectura, eaque gratuita ac temeraria affirmatur. Quod vero adiicitur de iure uxorum, ratione habita spiritus legis Mosaicae, parum refert ad rem nostram. Quamquam rationes non desint, ob quas Marcus retulerit, quae ad uxores dimittentes viros suos spectant; sive quod reipsa, ut nonnulli

(99) Apud Roskovàny op. cit. p. 160.

(100) Uti Michaëlis in op. *De iure Mosaico* part. II. ed 2. Francof. 1776. page 352.

contendunt, et illae praestare id potuerunt iuxta legem (101); sive quod saltem ex abusu mos iste iam invaluerit (102); sive denique quod Christus apostolos futuros gentium praecones, apud quas ius istud receptum erat, voluerit privatim, *in domo*, hac de re instruere (103).

Illud gravius est, quod plerique omnes protestantes contendunt, supplendam in Marci adeoque et Lucae narratione eam exceptionem esse de fornicatione, quae occurrit apud Matthaeum, idque autumant fieri debere, ne Marcus et Lucas cum Matthaeo pugnare videantur. Siquidem propositiones contradictoriae sunt : *Omnis qui dimiserit.... moechatur, et non omnis qui dimiserit.... moechatur;* iam vero posterior haec sententia ex Matthaeo colligitur, cum idem sit dicere : *Omnis qui dimiserit, excepta fornicationis causa, moechatur et non omnis qui dimiserit moechatur;* prior autem sententia apud Marcum et Lucam habetur, nisi eadem exceptio fornicationis intelligatur. Confirmant vero assumptum potissime respectu Marci, quod hic habeatur uti Matthaei epitomator; cum propterea in compendium illius evangelium redegerit, mirum esse non debet, si hanc clausulam de exceptione fornicationis omiserit.

Ut hisce difficultatibus respondeamus, sedulo quaestio principalis ab incidenti distingui debet. Quaestio principalis tum apud Matthaeum tum apud Marcum est una eademque, nempe indissolubilitas perfecta matrimonii christiani, ita ut non liceat uxorem dimittere et aliam ducere. Hic est Christi scopus libellum repudii abolere, atque omnimodam coniugii indissolubilitatem statuere, sublata dimittendae uxoris facultate. At quoniam dimissio generice sumi potest pro simplici dimissione ac pro dimissione, quae ipsum vinculum dirimat, incidenter apud Matthaeum aliqua dimissio licita dicitur, nempe fornicationis causa. Haec est exceptio,

(101) Cf. Danz. *Dissertatio : Uxor maritum repudians secundum leges Hebraeorum*, recusa *in Meuschenii Novo Testamento ex antiquitatibus Hebraicis illustrato*, pag. 677.

(102) Paulo ante ex Iosepho retulimus Herodis Magni sororem Herodiadem, Salome, aliasque earum exemplo repudiasse viros suos, libellumque repudii dedisse ad instar mulierum Romanarum.

(103) Uti Kuinoël *Comment in lib. histor. N. T.* in hunc loc.

quae incidenter ponitur, nulla addita explicatione, eo ipso quod quaestio principalis non esset, an liceat quandoque dimissio; quum potius scopus primarius sit indissolubilitatem docere. Marcus id, quod pertinet ad quaestionem principalem, refert: omissa propositione incidente, quae ad rei substantiam non spectat. Si ea clausula respexisset plenum divortium, tum salva rei substantia omitti a Marco non potuisset; secus, ut adversarii aiunt, aliqua adesset contradictio. At quoniam clausula solam dimissionem incidenter respicit, nulla prorsus contradictio habetur; imo una est apud Matthaeum et apud Marcum sententia, nimirum perfecta indissolubilitas matrimonii christiani. Discrimen igitur in hoc tantum est, quod apud Matthaeum praeter doctrinam de indissolubilitate, incidenter habetur aliquid de simplici dimissione, et aliquis apparet respectus ad libellum repudii. Hoc sensu dici potest textum Matthaei esse pleniorem, quatenus incidentem propositionem continet pro Iudaeis potissimum opportunam : at sententia primaria ita plena est et absoluta penes Marcum, ac est penes Matthaeum.

Revera iam aetate sua Bellarminus animadverterat evangelistas omittere quidem interdum aliquid, aut addere, quod alii evangelistae non omiserunt aut non addiderunt, sed nunquam ita omittere, ut sententia reddatur falsa : alioquin evangelistae homines, quibus evangelia sua tradiderunt, nulla mentione facta aliorum evangelistarum, decepissent. Porro cum Marcus Romae suum scripsit evangelium ex Petri praedicatione acceptum, non remisit Romanos ad evangelium Matthaei, quod fortasse nondum Romam delatum fuerat, sed scripto illis dedit, memoriae causa, quod viva voce Petrus ipsis praedicaverat (104). Idem dic de Luca, qui in gratiam gentium, quibus evangelium Paulus annuntiaverat, suum scripsit evangelium, antequam Matthaei ac Marci volumina ad eas pervenissent. Qui proinde his solis evangeliis utebantur, decepti fuissent, si falsa

(104) Hanc veram occasionem conscripti a Marco evangelii referunt S. Irenaeus *contr. haeres.* lib. III. cap. I. Eusebius *Hist. eccles.* lib. II. c. 15. et S. Hieronymus *De viris illustribus*, in *Marco.*

essent, quae de absoluta indissolubilitate coniugii in hisce evangeliis referuntur (105).

Ex his pariter concidit, quod de Marco Matthaei abbreviatore vulgo traditur. Nam praeter quam quod, hoc, ut innuimus, cum historia non congruit, ex ipsa utriusque evangelii collatione nunc penes criticos biblicos exploratum est, nullo modo S. Marcum in compendium evangelium Matthaei redegisse (106).

Contradictio autem, quam dicunt exurgere inter Marci ac Lucae evangelia atque evangelium Matthaei, nisi in illis subintelligatur exceptionalis clausula de causa fornicationis, innititur tantum anticipato iudicio de interpretationis veritate, quod Christus apud Matthaeum reipsa docuerit solvi coniugii vinculum per fornicationem, quod ostendimus aperte falsum esse pluribus argumentis. Hac sublata interpretatione, omnis contradictio plane

(105) Bellarm. *De Matr.* cap. XVI. n. 6 seqq.

(106) Sane abbreviatoris munus est ordinem persequi principalis auctoris, ac praeterea brevius dare, quae fusius principalis auctor scripserat. At S. Marcus ordini S. Matthaei non adhaeret; plura illustrat diversis adiectis circumstantiis; et si quae omittit, non pauca etiam iis adiecit, quae habet Matthaeus. Ad ordinem quod attinet, alium omnino servat Marcus ab eo, quem prosecutus est Matthaeus cap. X. XII et XIII. Insuper plura illustrat S. Marcus obscure dicta a Matthaeo; Ex. gr. ubi refert secessionem Christi in desertum, addit: *Eratque cum bestiis terrae.* Historiam decollationis Ioannis fusius refert Marcus, quam Matthaeus. Cap. I. 9. pro *domo Petri*, ut scribit Matthaeus, Marcus habet: *Domum Simonis et Andreae cum Iacobo et Ioanne.* In historia paralytici plenior est Marcus quam Matthaeus. In facto de spicis interseruit Marcus *sub Abiathar principe sacerdotum.* Alia non pauca praetermitto, ex quibus patet nullam fere ipsum attingere historiam a Matthaeo relatam, quin maiori circumstantiarum apparatu eam repraesentet. Tantum abest, ut sit Matthaei epitomator! Sed praeterea haud pauca habet Marcus, quorum nullum vestigium occurrit apud Matthaeum, qualia sunt quae refert *de daemoniaco* I. 23. de caeco VIII. 22. de paupercula vidua mittente quadrantem in gazophylacium XII. 41. de apparitione Christi duobus discipulis euntibus in Emmaus XVI. 12. de ascensione Christi in coelum XVI. 19. deque nonnullis parabolis a Christo prolatis. Ex his concludi debet, quod ex accessione evangelii Marci historia de vita et rebus Christi multo iam clarior ac dilucidior facta sit, multoque auctior. Non inde tamen inferendum est cum Calvino, Dodwello, Lardnero et Michaëlis, quod Marcus ne viderit quidem Matthaei evangelium: Graecae enim dictiones, quae in utroque evangelio occurrunt, contrarium plane evincunt, et plura, quae habet communia cum Matthaeo iisdem fere verbis relata, licet interdum brevius exponat, quae fusius Matthaeus refert.

evanescit : imo una prorsus est concorsque sententia : uxorem aliam duci nunquam posse, priori superstite.

Sed nec desunt validissima argumenta ex intima rei natura petita, quae ostendant illam adiectionem ab evangelio Marci esse omnino respuendam, immo et repugnare contextui. Nam Marci si contextum introspiciamus, ex ipso Christi scopo, qui erat discipulos suos privatim, seu *in domo* de matrimonio instituere, illico colligimus, clausulam illam huc pertrahi non posse. In hypothesi enim adversariorum, manifestum est, quod sua responsione Iesus in maiorem adhuc perplexitatem discipulos suos induxisset. Siquidem ii turbati fuerunt ex responso Pharisaeis dato, praecipue vero ex illa generali sententia : *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam* (nulla addita exceptione) *duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit* (nulla iterum exceptione addita) *moechatur;* hinc iuxta relationem Marci, Dominum iterum domi interrogarunt *de eodem*. Iam vero si Christus clausulam, quam in hypothesi voluisset subintelligi, non expressisset, nonne in eadem eos obscuritate ac perplexitate reliquisset? Praeterea, si ea clausula *nisi ob fornicationem* insereretur Marci textui, hic exurgeret sensus : « Quicumque dimiserit uxorem suam, *nisi ob fornicationem*, et aliam » duxerit, adulterium committit super eam : et si uxor dimiserit virum suum, *nisi ob fornicationem*, et alii nupserit, moechatur; » tunc vero Christi verba non essent declaratio, prout postulabatur, sed repetitio verborum apud Matthaeum, si excipias quod apud Marcum de mulieribus etiam viros suos dimittentibus inserta sit mentio, de qua tamen re quaestio non erat. Adeoque discipuli ad iteratam suam de matrimonio quaestionem nullum declaratorium responsum retulissent. Contra vero si Christus, omni obscuritate semota, quae ex adiecta clausula de *dimissione* oriri poterat circa *dissolutionem* etiam coniugii, aperte ipsis enunciavit perfectam perpetuamque indissolubilitatem coniugii in quocumque casu, nulla exceptione facta, res clara evasit; et id quidem congruit cum Christi agendi ratione, quoties maioris claritatis gratia discipuli ulteriorem ab eo explicationem

sciscitabantur (107). Non modo igitur subintelligenda non est clausula de fornicatione in textu Marci, sed eam non patitur contextus, neque scopus Christi discipulos alloquentis. Et haec de Marco.

Ad textum vero Lucae XVI. 18. quod attinet, is ita se habet: « Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moecha- » tur, et qui dimissam ducit, moechatur. » Haec verba clarissima sunt, ac divortiorum patronos prorsus perimunt. Ast hoc ipso technas omnes inquirunt ad eorum vim eludendam. Aiunt enim veluti ex abrupto ea a Luca referri absque ullo nexu cum antecedentibus et consequentibus, quae sunt parabolae de villico iniquitatis et de divite epulone. Item concisam nimis eam esse sententiam, quae propterea per textum Matthaei exponi debeat, apposita clausula de fornicatione. Denique eam ad nihil inservire in quaestione de matrimonio enarranda (108).

Verum enimvero id perinde est ac dare manus victas, nec ullam esse viam, qua se expediant, aperte fateri. Itaque *primo* falso assumunt hoc Christi effatum, prout a Luca refertur, nullo nexu cum praecedentibus coniungi, quum potius pateat, illud optime cum praecedentibus cohaerere ; falsum item est in praecedentibus nil aliud haberi, praeter parabolam de villico iniquitatis ; post illam enim dixerat Christus : « Lex et prophetae, » usque ad Ioannem : ex eo regnum Dei evangelizatur, et om- » nis in illud vim facit. Facilius est autem coelum et terram » praeterire, quam de lege unum apicem cadere ; » deinde subdit : *Omnis* etc. Quaestio itaque discutienda est de quanam lege hic Christus mentionem fecerit, de cuius implemento ad apicem usque sermo habetur. Porro nullum dubium hic agi de vinculi coniugalis perennitate, adeoque de lege, quae eiusdem vinculi perennem indissolubilitatem constituit, ita ut neque in casu separationis seu dimissionis ad novas nuptias transire liceat. Cum vero

(107) Sic Marc. VII. 17. IX. 22., perhibentur discipuli Christum interrogasse et utrobique clarum responsum accepisse.

(108) Ita Hammondus, Heumanus, Pott, Christian. Marklin. quorum omnium sententias, nec non Kuinoelii copiose refert Roskovàny §. 94.

huiusmodi in tota Mosaica oeconomia nuspiam appareat, dicendum est aliam esse legem, ad quam hic Iesus respexit ; nimirum illam, quam in suo cum pharisaeis colloquio iisdem in memoriam revocavit, et ad quam matrimonia suorum fidelium in nova lege conformari voluit. Ea autem habetur Genes. II. 24. in illis verbis ab Adam, Deo inspirante, prolatis : « Propter » hoc dimittet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit » uxori suae, et erunt duo in carne una. » Quibus verbis Iesus Matth. XIX. 6. adiecit : « Itaque iam non sunt duo, sed una » caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. » Haec lex illa est a Iudaeis, Mose ipso annuente ob duritiam cordis eorum, neglecta, quam Iesus ad pristinam integritatem revocare voluit.

Iam vero in hypothesi adversariorum, qui etiam textui Lucae inserere, seu potius intrudere vellent illam exceptionem, *nisi ob fornicationem*, ut in casu adulterii matrimonii vinculum abrumperetur, illud, quod Christus v. 17. pronunciavit : « Facilius est autem coelum et terram praeterire, quam de lege » unum apicem cadere » non amplius subsisteret ; nec verba Iesu, quibus apud Matthaeum pharisaeos ad primaevam matrimonii institutionem revocavit, verificarentur, nec sensum commodum funderent. Siquidem iuxta adversarios verba Matth. XIX. 4. seqq. *Non legistis* etc. minime significarent oppositionem inter legem primitivam matrimonii et aliam posteriorem ex Moïsis conniventia inductam. Attamen hanc oppositionem necessario designare debent, cum aperte dixerit Christus : *Ab initio non fuit sic*, seu matrimonium prout primitus a Deo constitutum fuit, indissolubile extitit, nec nisi serius ex Moïsis indulgentia potuit dissolvi per libellum repudii dandum, cum vir in uxore repererit *foeditatem*. Dum igitur Christus profitetur apud Lucam, e lege ne unum quidem apicem cadere posse, hoc in matrimonio patefacit, dum de eo pronunciat, tam arctam esse debere coniugalem coniunctionem, qualis fuit ab initio ; seu antiquam de matrimonio legem Genes. II. 24. expressam, in regno suo, sive in Ecclesia sua ad apicem usque adimpleri debere,

facultate quavis a Mose concessa dimittendi uxorem in posterum sublata (109).

Ex his colligitur non modo Christi effatum cum antecedentibus cohaerere, verum etiam ita cum antecedentibus connecti, ut omnem excludat exceptionalis clausulae locum, ac proinde in quovis eventu coniugium indissolubile ex Christi sententia permanere.

Iam si harmonice textus, quos expendimus ex Matth. V. et XIX. Marci X. et Luc. XVI, disponantur et coordinentur, hunc iis inesse sensum colligimus, quem verbis ipsis efferam, quibus usus est cl. Roskovàny, qui egregiam hac super re operam navavit: « Vos, pharisaei, audistis, ad divortium non aliud esse a » lege Mosis necessarium, quam ut maritus dimissae suae uxo- » ri scribat libellum repudii. Ego vero dico vobis Mosen con- » cessionem hanc nonnisi propter duritiam cordis vestri vobis » permisisse, ab initio autem non fuisse sic. Excepta causa for- » nicationis, vir non potest suam uxorem dimittere, secus reus » est adulterii, quod uxor eius post dimissionem suam alteri » nubendo, perpetrat. Ex causa fornicationis potest uxor dimit- » ti ; neque in hoc casu vir uxorem adulteram repudians, adul- » terium committere censendus est, si uxor eius dimissa alteri » nubat. Porro dico vobis : uxores a viris dimissas aliis viris » nubere non posse, nec viros, qui dimittunt uxores suas, alias » ducere : quia in hoc casu utrobique adulterium committere- » tur. Mea de vinculo matrimonii doctrina est : nec virum uxo- » rem suam, nec uxorem virum suum dimittere, et post dimis- » sionem in nova vota matrimonialia transire posse, quin adul- » terii rei fiant ; ab initio enim, (quum Deus hominem creasset,) » masculum et foeminam fecisse eos et dixisse : propter hoc » relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae,

(109) Ita rursum Roskovàny op. cit. §. 92. Cf. etiam quae hanc in rem scribit Estius *Comment.* in cap. VII. ad Rom. 2. ubi quaerens de quanam lege disserat Apostolus, cum ait, *Mulierem alligatam esse legi* quamdiu vir eius vivit, ostendit non de alia lege intelligi posse quam de ea lege coniugii instituta in paradiso Genes. II. qua edictum est : *Relinquet homo* etc.

» et erunt duo in carne una, quod ergo Deus coniunxit, homo » non separet (110).»

Ex his deprenhendimus, num vere divortiorum patroni affirmaverint, textui huic aut inserendam, aut saltem subintelligendam clausulam exceptionalem de fornicatione ; siquidem perinde id foret, ac locum perspicuum per obscurum exponere ; deinde ut vim haberet istorum assertio, deberet supponi, quod falsum esse ostendimus, nempe per illam clausulam Christum in casu adulterii coniugium dissolvi docuisse.

§. III.

Eadem textuum Matthaei interpretatio de perpetua coniugii Christiani indissolubilitate ex Apostolo Rom. VII. et I. Cor. VII. confirmatur.

Scribens Apostolus ad Romanos, ut ostenderet Iudaeis ad religionem christianam conversis, ipsos per Christi mortem liberatos fuisse a legis servitute, usus est similitudine seu allegoria coniugii, quod tamdiu insolutum perdurat, quamdiu coniuges in vivis sunt, solvitur autem per mortem alterutrius. Sic porro scribit : cap. VII. 1-4. « An ignoratis, fratres, (scientibus enim » legem loquor), quod lex in homine dominatur quanto tempore vivit ? Nam quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi ; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a » lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit » cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est » a lege viri : ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. » Ex quibus verbis, atque ex ipsa similitudinis ratione, concludunt communi fere consensu theologi ac interpretes catholici, omnimodam indissolubilitatem matrimonii praedicari, secus ac visum fuerit inter ipsos catholicos Erasmo (111), Caietano (112), Cathari-

(110) Ibid. §. 93.

(111) Tum in *Paraphras. in evangel. Matthaei.* Opp. ed. Lug. Batav. 1705. tom. VII. col. 97 seq. Tum in *Annotat. in epist. ad Rom.* col. 595. Tum denique in Annot. in epist. *ad Cor.* cap. VII. col. 696 seqq.

(112) *Comment. in Matth.* cap. XIX. et in *comment.* in 1. Cor. VII. ubi scribit : « Mirari se summopere, quod torrens Doctorum viro licentiam denuo

no (113), nonnullisque aliis, praesertim vero neotericis divortiorum patronis (114). Nos prioribus assentimur, ea tamen ratione, quam postea subiiciemus.

Interim animadvertimus, Apostolum hic non videri directe loqui de lege Christi, ut aliqui exponunt, siquidem ex parenthesi (scientibus enim legem loquor) perspicuum est Paulum alloqui Iudaeos conversos, et quidem ex notione, quam in iis supponit, legis Mosaicae. Quod magis elucet ex ipsa similitudinis, qua utitur, natura; nam comparat legem Mosaicam viro, qui dominatur uxori, quamdiu vivit; gentem vero Iudaicam uxori, quae coniugio devincitur vivente viro, cui subiecta est, eoque mortuo, omni vinculo solvitur; ita nimirum per mortem Christi Iudaica gens liberata est a legis Mosaicae iugo. Animadvertimus praeterea, hoc in loco sermonem esse de matrimonio, quod consummatum vocant, ut patet tum ex gr. voce ὕπανδρος, qua significatur quodammodo concubitus, tum ex eo quod sequitur: *si fuerit cum alio viro.*

Quibus positis, dubium non est, quin Apostolus verbis allatis significare intenderit, non disrumpi matrimonii consummati vinculum, adeoque haud posse uxorem ad alias, supposito etiam adulterii flagitio, transire nuptias, donec vir eius vixerit, ad eum

» ducendi (uxorem) abiudicaverit, cum Iesus causam fornicationis clare exce-
» perit. »

(113) Opusc. *De matrimonio quaest. ult. Annotat. cont. Caiet.* lib. V. in fine. Ubi inter caetera haec habet. « Nec ex evangelio, nec ex Apostolo posse colligi,
» non licere in causa fornicationis aliud inire matrimonium, quod tamen cum
» variis canonibus Ecclesiae sit prohibitum, fieri non debet nisi accedente iudi-
» cio et auctoritate Ecclesiae; id autem soli viro, non uxori licitum esse; ita,
» ut solvatur vinculum ex parte viri propter adulterium uxoris, non solvatur vero ex parte uxoris, quae sine spe secundi coniugii debet remanere. » Porro Caietanus et Catharinus opinionem suam Ecclesiae iudicio subiecerunt; scripserunt autem ambo ante definitionem conc. Tridentini sess. XXIV. can. VII. Nam Caietanus extremum diem clausit an. 1554. adeoque 19. an. citius quam habita fuerit illa sessio. Catharinus vero mortuus est an. 1555. nempe decennio ante eiusmodi sessionem, quae an. 1563. habita est. Caietanus enim expresse ait in cap. XIX. Matth. pag. 40. « Salva semper Ecclesiae definitione,
» quae hactenus non apparet. »

(114) Cf. Estium *Comment.* in hunc loc.

modum, quo Iudaei non potuerunt se a legis servitute eximere, quamdiu per mortem Christi illa non fuisset abolita, non obstantibus tot eorum praevaricationibus. Quemadmodum igitur non poterant Iudaei a lege veteri emancipari nisi per Christi mortem, sic uxor nunquam poterit a coniugii sui vinculo liberari nisi per mariti obitum. Siquidem in hoc praecise consistit totius comparationis vis et scopus, seu ut vocant *comparationis punctum*. Iam vero si exceptionem aliquam, saltem fornicationis aut adulterii, voluerimus in hunc textum intrudere, aut in eo subintelligere, tota pessumdaretur Apostoli similitudo, imo falsa evaderet, ut per se patet.

Verumtamen in lege Mosaica, regerunt adversarii, per libellum repudii poterat dissolvi coniugium, et ad hanc legem alludit Apostolus ; eius igitur mens est, ex *regula* quidem non dissolvi coniugium nisi morte, posse vero in casu *exceptionali*, interveniente scilicet adulterio. Ast praeterquam quod, uti ostendimus, Moïses non ob causam fornicationis sive adulterii libellum repudii dari permiserit, sed alias ob causas sive physicas sive morales, propter quas uxor gratiam apud virum non inveniret, Apostolus hic spectat, quod lex per se postulat, non autem quod ex concessione liceret, illa vero lex, ad quam respicit, ea est, quae habetur Genes. II. 24. « Relinquet homo patrem suum et ma-» trem, et adhaerebit uxori suae ; et erunt duo in carne una. » His autem verbis significatam esse indissolubilitatis legem docet Christus Matth. XIX, dum ex iis infert : « Quod ergo Deus » coniunxit, homo non separet. » Id vero quod de lege repudii Moïses statuit, ostendit permittentis fuisse, non approbantis, et quidem ad duritiam cordis eorum, quibus lex illa data fuit, salva tamen lege primordiali, quam Deus per dispensationem non abrogavit. Hoc ipsum igitur Paulus etiam significat, dum praefatus se legem scientibus loqui, affirmat mulierem viro suo dum is vivit, obligatam manere, nec nisi eius morte solvi a lege viri (115). Nisi enim id admittatur, uti iam diximus, nulla

(115) Cf. Estium *Comment.* in epist. ad Rom. VII. 1 seqq.

foret eius comparatio ; quod sine Apostoli iniuria dici nequit.

Quapropter, etsi daremus Apostolum *directe* ad coniugia alludere, quae penes Iudaeos celebrabantur, dicimus tamen, eum loqui de iis iuxta legem primitivam omnimode indissolubilitatis, prout a Christo lex ea fuit et declarata et confirmata, adeoque Apostolum allocutum fuisse fideles ex iudaismo conversos, similitudine petita ex notione, quam de matrimonio habebant tum ex lege, tum ex Christo, ut ostenderet, legem ritualem ac iudicialem Mosaicam morte Christi cessasse.

Haec vero confirmantur, si ratio habeatur chronologiae, qua constat, epistolam ad Romanos ab Apostolo scriptam fuisse plures annos, postquam Marcus in Romanorum gratiam suum exaraverat evangelium, in quo ex Petri praedicatione retulerat Christi doctrinam de perfecta coniugii indissolubilitate (116). Cum proinde Iudaei fideles iamdiu imbuti essent atque instituti in doctrina Christi de vinculi coniugalis perpetuitate, ac lege primitiva circa eamdem coniugii indissolubilitatem, non alio sensu ea comparatione uti poterat Apostolus ad eos scribens. Rursum : biennio antequam ad Romanos Paulus suam daret epistolam, praemiserat priorem, quam ad Corinthios scripserat (117). Porro, ut mox ostendemus, in hac perpetuam adstruxerat vinculi coniugalis firmitatem. Praeterea Christi de primitiva lege, deque indissolubilitate doctrina nota erat Romanis ex evangelio Lucae, in quo, ut ostendimus, diserte doctrina

(116) Nam S. Petrus Romam venit an. II. Claudii, nempe aerae vulgaris XLII. vel ad summum an. III. Claudii, aerae vulgaris XLIII. Marcus vero eum comitatus in Urbe evangelium suum scripsit antequam Alexandriam a Petro mitteretur ante obitum Agrippae, scilicet vel postremis mensibus anni aerae vulgaris XLII. vel ante medium anni insequentis XLIII. Cf. Patritium *De evangeliis*. Friburgi Brisgov. 1853. lib. I. cap. II. q. 2. Paulus vero epistolam scripsit ad Romanos ex Cenchreis an. aerae vulgaris LVII. Cf. Tirinum in Chronico, seu post secundam suam in Asiam peregrinationem Cf. William Paley. *La vérité de l'histoire de S. Paul prouvée par la comparaison des épitres*. Trad. de l'angl. Paris. 1821. ch. II. *Epîtres aux romains*, n. 2.

(117) Cf. Estium in argumento quod praemisit huic epistolae, nec non aa. cit. praesertim Paley, *Prémière épître aux Corinthiens*, n. 10 seqq.

Salvatoris de perpetua atque absoluta coniugii indissolubilitate refertur, quod quidem evangelium in Achaia scriptis consignatum est, priusquam Apostolus suam dederit ad Romanos epistolam (118). Ad hoc autem evangelium iuxta veteres Paulus appellat (119) ; adeoque iuxta huius evangelii doctrinam circa coniugium locutum eum fuisse ad Romanos dicendum est.

Ex his iam praeoccupatae sunt difficultates, quibus Erasmus, Caietanus, Catharinus inter catholicos permoti putarunt, nullam esse vim propositi argumenti. Etenim aiunt Apostolum locutum ad mentem legis Mosaicae, in qua tamen admittebantur divortia ; Apostolum praeterea dixisse : *Quae sub viro est mulier*, non autem simpliciter *uxor*, quo innuit se de ea loqui, quae nondum est a marito repudiata ; tum videri Apostolum unice contendere vinculum non durare post mortem, non autem illud usque ad mortem permanere, ac denique similitudinem haud necesse esse ut in omnibus conveniat (120).

At vero, non ad mentem legis Mosaicae, sed iuxta legem primitivam Apostolum esse locutum ex dictis manifestum est. Per *mulierem* autem ab Apostolo significatam esse vere *uxorem* seu *uxoratam* liquet ex eius verbis : *Igitur vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro ;* si *adultera*, ergo coniugio vincta. Sic pariter manifestum est ex Apostoli scopo ostendendi vinculum con-

(118) Uti diserte testantur Nazianz. Carm. XXXIII. et Hieronymus comment. in Matth. adeoque circa an. LIV. aerae christ. aut etiam, ut aliis placet, scripsit Lucas Evangelium suum in Asia Min. circa an. aerae vulgar. XLVIII. ac proinde longe antequam Paulus scripserit epistolam ad Rom. quae in Cenchreis exarata fuit circa an. LVII. Cf. Paley *La vérité de l'histoire de S. Paule*, c. II. Paris, 1821.

(119) Ita S. Hieronymus *De viris illustr.* c. 7. Item epist. ad Paulinum n. 8. S. Ambrosius in Luc. lib. I. §. 11. Origenes in Luc. Hom. I. Euseb. lib. III. c. 4. Chrysost. Hom. I. in Acta. Hom. X. in II. Timoth.

(120) Ita fere Erasmus in Annotat. ad v. 1. cap. VII. epist. ad Rom. Opp. ed. Lugdun. Batav. 1703. tom. VI. pag. 595. Et post eum Caietanus *Comment.* in epist. ad Rom. in hunc loc. ubi contendit Apostolum locutum esse *De statu*, ita ut sensus sit : quamdiu status coniugalis permanet, seu quamdiu mulier est in statu coniugali, et non est repudiata, aut mortuus non fuerit vir eius, tenetur lege coniugii. Ambrosius Catharinus in Annot. in annotationes card. Caietani id ipsum adstruit.

iugii permanere reipsa usque ad mortem, prout permansit lex Mosaica usque ad mortem Christi, nec nisi per mortem solvi(121). Quod vero additur de similitudine, utique necesse non est ut in omnibus similia conveniant, ast opus est, ut similitudo apprime conveniat in eo, in quo consistit *punctum*, ut aiunt, *comparationis*, atque ex quo tota pendet argumenti vis et ratio, ob quam comparatio instituitur (122).

Reliqua missa facio, quum Lutherus, Calvinus, Chemnitius nihil novi addiderint ; ac velle clausulam huc inferre de exceptione fornicationis esset vim facere Apostoli textui. Idem dic de aliis plus minus contortis recentiorum Paulini textus interpretationibus, quae omnes a Pauli mente aperte abludunt (123).

Itaque ut accedamus ad alteram Pauli epistolam, quae est I. ad. Cor. VII. duo sese offerunt textus ad rem nostram, quibus proprietas indissolubilitatis absolutae aperte adstruitur. Alter est vv. 10. et 11. ubi Apostolus scribit : « Iis autem, qui ma-» trimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus : uxo-» rem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innup-» tam, aut viro suo reconciliari. » Alter vero est. v. 39. « Mu-

(121) Prout testatur idem Apostolus ad Hebr. cap. IX. 16. « Ubi testamen-» tum est, mors necesse est intercedat testatoris. »

(122) Cf. Bellarm. cap. XVI. n. 28. seqq. Atque hic placet afferre paraphrasim, quam exhibet ipse Erasmus huius Paulini textus, quae ita se habet:« Nec » enim aliud servandum est in legis obligatione, quam in obligatione mulieris » viro iunctae lex ipsa iubet servari. Siquidem mulier viro nupta, et maritali » subiecta dominio, tantisper obligata est viro, quoad vixerit vir. Is simul atque » mortuus fuerit, eximitur uxor ab eius matrimonii vinculo, suique iuris fit » illico ab obitu mariti prioris. Proinde si vivo marito, in cuius ius semel ve-» nit, tentet alteri nubere, adultera censebitur, quae reliquerit eum virum, » a quo *sola morte* liberari poterat. Contra, si expectet obitum mariti desinit » illi esse obstricta, sibique iam reddita, ius habet alteri viro, cui volet, nuben-» di. Neque enim ut ius herile transit ad haeredem, et servus morte heri non » mutat statum, sed dominum, ita mariti ius in uxorem, transit ad alium, sed » ultra ipsius vitam non porrigitur. Quod si maritus esset immortalis, *semper* » maneret obligata mulier. » Non poterat Erasmus clarioribus verbis Apostoli mentem exponere. Opp. ed. cit. tom. VII. p. 797 seq.

(123) Talis inter caeteras est illa I. Ioseph. Batz. qui contendit synonymas esse duas sententias : *Mulier marito fidelitate coniugali obstricta est, quoad*

» lier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit ; quod si » dormierit vir eius, liberata est : cui vult nubat : tantum in » Domino. »

Ad horum textuum intelligentiam, atque ad evincendam ex iis plenam seu perpetuam connubii christiani indissolubilitatem, iuverit et hic nonnulla praemittere. Haec autem sunt *primo*, quod Apostolus hoc in capite data opera, agat de matrimonio eiusque legibus non autem solum obiter ac incidenter ; *secundo*, quod respondeat variis dubiis seu quaestionibus per epistolam a Corinthiis ipsi propositis ; *tertio*, has quaestiones ad sex revocari, num scilicet christiano homini liceat matrimonii usus ; an innuptis et viduis expediat nubere; an liceat divortium; num etiam insolubile sit fidelis cum infideli coniugium : quid de virginitate sentiendum ; demum an viduis liceat iterum nubere (124).

Iam vero caeteris omissis, quae ad praesens argumentum non faciunt, nos hic insistimus solutionibus, quas Apostolus praebet ad tertiam et sextam quaestionem. Ad quaestionem igitur, utrum liceat divortium inter fideles, respondit Apostolus vv. 10. et 11. ex doctrina Christi non esse divortium faciendum sive a marito sive ab uxore ; nam par utriusque est ius, adeo ut nec maritus ab uxore, nec uxor a marito discedere debeat *nisi ob fornicationem ;* quod si ob fornicationem aut aliam causam uxor separata fuerit a viro suo aut maneat caelebs, aut viro suo reconcilietur perinde ac maritus separatus ab uxore. Adeoque declarat insolubile prorsus usque ad alterutrius mortem permanere inter christianos coniugii vinculum. Idipsum inculcat in solutione sexti dubii, dum v. 39. declarat mulierem, quamdiu invivis eius maritus est, vinctam esse per legem coniugii, ita ut

illa vivit, et haec mulier fidelis marito esse debet, donec is illius maritus est. In op. Germ. *Harmonia de nova in Bavaria lege circa dissolut. matrim. cum Bibliis et tradit.* Bambergae 1829. pag. 80. et D. Socher, qui vult Paulum de matrimonio ex professo non agere, atque eius comparationem valere sive agatur de uxore, vivente marito priore, sive de ducta ob altero marito post repudium. In op. German. *De separatione matrimonii in statibus cathol.* Landshut 1822. pag. 71 seqq.

(124) Cf. Bernard. a Piconio in annalysi ad cap. VII. I. ad Corinth.

a viro discedere non possit,et alteri nubere,non secus ac vir,qui non potest discedere ab uxore sua vivente ac alteram ducere. Adeoque insolubile edicit quocumque in casu christianorum coniugium utroque coniuge vivente.

Ex his praeterea constat adhuc clarius, quo sensu clausula, quae penes Matthaeum legitur, de exceptione fornicationis, intelligi debeat ; nempe de sola quoad torum et habitationem separatione seu de discessione, nullo vero modo de vinculi ipsius dissolutione. Alioquin Apostolus nunquam generalem illam protulisset sententiam : *mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit ;* neque praecepisset ex Christi mente in casu discessus seu separationis, mulierem *debere manere innuptam aut viro suo reconciliari*. Nam in sensu adversariorum, posset in discessu propter fornicationem seu adulterium, utpote vinculo soluta, alteri nubere, atque idcirco falsa redderetur Apostoli sententia (125).

Quae ad infirmandam hanc doctrinam afferunt adversarii seu divortiorum patroni levia omnino, vimque inferunt luculentis adeo Apostoli verbis. Erasmus in sua paraphrasi ita enarrat hos textus, ut in alienum plane sensum eos pertrahat. Nam eo rem deducit, ut ex mente Pauli, non qualibet ex causa, sed causa tantum fornicationis liceat divortium fieri,qua non interveniente, si separatio contigerit inter coniuges, non debet amittere uxor spem reconciliationis cum marito, a quo discessit (126). In prolixa autem, quam attexuit annotatione in hunc locum idem auctor, totus in eo est ut hanc interpretationem suadeat, imo et persuadeat.

(125) Cf. Estium in Comm. in hunc loc. ubi fuse argumentum istud expendit, ac in tota sua luce collocat Apostoli mentem.

(126) Tom. VI. in nota 42. col. 692. ubi inter caetera scribit : « Est autem » Paulo peculiare nihil non torquere ad evangelii negotium, *pia christianaque* » *vafritie*, dum in omnia se vertit, ut omnes Christo lucrifaciat.... Opinor hanc » esse praecipuam clavem ad intelligendam mysticam scripturam, dispicere » quid agat is, qui loquitur, praesertim in Paulo, qui lubricus est in disputan- » do, nunc huc se proripiens nunc illuc. » Col. 100 seq. En cuius indolis esset liberior hic vir.

Idem egit card. Caietanus (127), et post eum Ambrosius Catharinus (128). Verum isti omnes cum scripserint ante absolutum concilium Tridentinum, ac sua scripta subiecerint Ecclesiae iudicio, venia digni aliqua sunt in hac tuenda doctrina. Ast non ita dicendum est de iis, qui postremis hisce temporibus connisi sunt eamdem tueri sententiam, post editum canonem VII. sess. XXIV. istius concilii, quique eludere sategerunt argumentum, quod ex his Apostoli textibus habetur ad omnimodam constituendam coniugii perpetuamque indissolubilitatem, cuiusmodi sunt I. A. Braun Moguntinus (129); Eusebius Amort (130); deinde vero Ant. Frenzel (131); Io. Ios. Batz (132). Sed neque isti novi quidpiam proferunt, dum et in his textibus Paulinis contendunt, subintelligendam clausulam exceptionalem de *fornicatione*, atque aiunt, Apostolum non de *praecepto*, sed de *consilio* accipi debere, dum scribit, uxorem *manere innuptam*, aut non disserere de absoluta et perpetua indissolubilitate; aut denique mentem Apostoli esse, Corinthios docere vinculum coniugale

(127) *Comment.* in 1. ep. ad Cor. in hunc loc. ubi repetit quod alias docuerat, Apostolum loqui secundum *regulam generalem, cui non adversatur exceptio aliqua*. Haec autem exceptio iuxta eamdem est causa fornicationis, qua disiungitur vinculum coniugale. Ed. Lugd. 1639. Opp. tom V. pag. 109.

(128) In op. cui tit. *Annotationes in comment, Caietani denuo multo locupletiores et castigatiores additae*. Lugd. 1542. in 8. *Annot.* ult. libri V p. 500 seqq. Quamquam hoc in opere Catharinus iugiter et acriter vellicet Caietanum ob singulares atque interdum temerarias et erroneas sententias in quas cardinalis in suis commentariis in lib. N. T. illapsus est, in hac tamen sententia de solutione vinculi coniugalis propter adulterium, eidem assentitur, eamque dum defendit, iisdem plane argumentis utitur, quibus hac in re usus fuerat Erasmus, ut ex eorum collatione planum fit.

(129) In *Dissert. super can VII. Trid.* sess. XXIV. *De matrimonio. Utrum matrimonii vinculum et in casu adulterii alterius coniugum iure divino, an solum iure ecclesiastico insolubile sit.* 1787. ac recusa Dusseldorfii a A. Ios. Binterim 1847. qui eum refellit.

(130) *Demonstratio critica religionis catholicae.* Venet. 1744. fol. part. I. q. 15. pag. 79. seqq.

(131) *Diss. Num dogma catholicum sit matrimonii vinculum inter vivos coniuges nullo in casu solvi posse?* edidit. D. Derezer Uratislaviae 1818.

(132) Op. et loc. cit.

cum morte cessare ; seu ex communi *regula* esse indissolubile, a qua tamen exceptio locum habeat ; vv. autem 39. 40. non proprie et expresse Apostolum loqui de iure divortii, verum eo solum respicere, num melius sit nubere, an sine uxore permanere.

Hae porro expositiones quam contortae atque violentae sint, facile ab unoquoque cognosci poterit, quin eas singillatim persequamur. Supponunt enim, Apostolum aut ignorasse, aut e mente ei excidisse clausulam a Christo de fornicatione appositam ad solvendum coniugium. At vero Paulus non aliud sibi suis in epistolis proposuit, quam germanum sensum nobis exhibere eiusdem clausulae, quam utique prae oculis habebat, dum haec scripsit : nempe significare voluit, clausulam illam unice spectare ad temporaneam dissolutionem, quam nos dicimus quoad solum torum et habitationem, non autem, quemadmodum pro certo assumunt adversarii, ad dissolutionem vinculi. Alioquin, ne obscuritatem ingereret, debuisset expressam illius mentionem facere, ac declarare hoc in casu coniugium solvi, prout declaravit solvi in hypothesi de infideli discedente a coniuge fideli, aut renuente cum eo pacifice vivere, et sine contumelia Creatoris, prout a Rom. pontificibus expositum est (133).

Locutum vero esse Apostolum de *consilio*, non autem de *praecepto*, non modo gratis adversarii affirmant, quin ullam adducant probationem, verum aperte id repugnat eiusdem verbis : « His autem, qui matrimonio iuncti sunt, *praecipio* non ego, » sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod *si discesserit*, » *manere innuptam.* »

(133) Atque hic me cohibere non possum, quin improbem. I. P. Iacobum impugnatorem Braunii, dum in op. *Indissolubilitas vinculi matrimonialis* Moguntiae 1788. pag. 68. inficiatur iuxta Apostolum dissolvi matrimonium in infidelitate contractum per conversionem alterius coniugis, et discessum infidelis a fideli, respuens canonem *Si infidelis* Innocentii III. utpote a Gratiano decepti; et *contra aggerem contrarie sentientium* opponit *Marcum, Lucam, Paulum, Hieronymum*, et *Augustinum*, adiicens : *atque hi mihi sufficiant*. Ast hoc videtur nimis ac temere dictum. Cf. quae hoc de argumento scripsi in tract. *De matrim.* cap. II. prop. II.

Sic, quod addunt, Apostolum non de perpetua indissolubilitate disserere, aeque pugnat cum eiusdem verbis, et cum generali illa sententia v. 39. « Mulier alligata est legi (coniugii), » quanto tempore vir eius vivit. »

Nulla autem erat necessitas Apostolo docendi Corinthios vinculum coniugale cum morte cessare; ecquis enim inter Corinthios hoc ignorabat?

Denique ea, quae habentur vv. 39. 40, utrumque respiciunt, tum *ius* divortii, non quidem quatenus hoc locum habere posset post mortem, sed quatenus ante mortem eiusmodi ius inter christianos nullum existit; tum consilium permanendi in viduitate praebet, potius quam novis se nuptiis implicandi.

Biblicam igitur doctrinam eo spectare, ut neque in casu adulterii inter christianos dissolvi possit coniugii vinculum, quod sola morte dirimitur, ex hactenus dictis manifestum fit. Atque ut, quae fusiori calamo exposita sunt, paucis contrahamus, patet ex dictis totam difficultatem versari circa intelligentiam duorum textuum Matth. V. 32. et XIX. 9. ob interiectam clausulam : *excepta fornicationis causa, nisi ob fornicationem :* quae quidem clausula tum ad simplicem dimissionem, tum ad dissolutionem etiam coniugii referri posse videtur. At si prae oculis habeamus Christi mentem abolendi libelli repudii, atque revocandi coniugii inter fideles suos ad primaevam institutionem; si attente spectemus verborum contextum; si pensemus incommoda, quae provenirent ex eorum interpretatione, qui illam pertrahere vellent ad divortium perfectum, adeo ut in causa fornicationis, non modo liceret ream uxorem dimittere, sed etiam aliam ducere, dimissaeque liceret alteri nubere; si omnia haec rite perpendantur, omnia suadent, ac vero etiam persuadent, ad solam dimissionem clausulam illam esse coërcendam.

Haec autem mirum in modum confirmantur ac lucem accipiunt ex collatione praedictorum textuum cum iis, quae Christus respondit privatim discipulis suis ipsum eadem de re interrogantibus, cum essent *in domo*, apud Marcum X. ubi loquens de vinculi indissolubilitate nullam exceptionem posuit. Confirmantur etiam ex iis,

quae habentur apud Lucam cap. XVI. Demum ex doctrina apostoli Pauli tum Rom. VII. tum 1. Cor VII. qui affirmat expresse sola coniugis morte matrimonii vinculum solvi; quibus in locis, nonnisi vim inferendo textibus, obtrudi potest fornicationis exceptio ex praeconcepta adversariorum sententia, quod Christus apud Matthaeum locutus fuerit de vinculi solutione. Itaque dogmatica Ecclesiae interpretatio doctrinae biblicae de indissolubilitate coniugii ea est, quae scientifice argumentis hermeneuticis demonstratur.

His si addatur sensus traditionalis et constans Ecclesiae praxis omnis dubitatio, si qua forte superesse posset, depellitur; id vero est quod capite insequenti ostendere aggredimur.

CAPUT III.

De sensu traditionali circa indissolubilitatem matrimonii christiani in causa adulterii iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam.

Sensus traditionalis, qui determinet, qua ratione textus biblici accipi debeant, si qua forte difficultas occurrat ad veram eorum intelligentiam arripiendam, desumi debet tum ex Patribus, qui ea de re egerunt, tum ex decretis conciliorum, Romanorumque pontificum, tum ex praxi, quae iugiter in Ecclesia obtinuit. Si igitur ostenderimus Patres, concilia, Romanosque praesules, qui Ecclesiae clavum tenuerunt, nec non iugem Ecclesiae praxim in id conspirare, ut nos doceant, in christiana lege coniugii vinculum propter alterutrius coniugis adulterium minime dissolvi: omnino patebit, evangelicam et apostolicam doctrinam non aliam esse praeter eam, quam hermeneuticis argumentis scientifice adstruximus, propugnando ex Bibliis omnimodam coniugii christiani indissolubilitatem.

Id porro est, quod demonstrandum hoc in capite distincte assumimus, ut vindicemus canonem VII. sess. XXIV. concilii Tridentini. In hac porro quaestione suae non desunt difficultates enodandae, ut ex iis traditionis fontibus, quos enumeravimus, ge-

nuinum sensum traditionalem eruamus. Nam divortiorum patroni nihil intentatum reliquerunt, ut argumenta ex iis petita nobis eriperent, persuaderentque, universam traditionem sin minus suis placitis favere, saltem dubiam esse, ac pro utraque sententia pugnare. Verum non est quod adversariorum assertionibus perterrefiamus, neque eruditionis fuco permoveamur. Singula enim documenta expendentes, videbimus, universam antiquitatem christianam veritati, quam adstruimus, suffragari. Quamvis vero longum atque impeditum iter, quod percurrere debemus, videatur, illud tamen ab aliis iam complanatum inveniemus. Cum enim quaestio, quam agitamus, antiqua sit, primo ob dissensum Ecclesiae orientalis et occidentalis saltem quoad praxim, quae apud Graecos a longo tempore viget; deinde vero ob doctrinam pseudo-reformatorum saeculi XVI. factum est, ut ab eruditis catholicis viris haud exiguo seculorum tractu Patrum testimonia pro alterutra sententia sedulo accurateque discussa fuerint.

Testimonia, quae favere videntur Graecis, expendit Arcudius (1); quae vero prolata sunt a protestantibus nominatim vero a Chemnitio, examini subiecit Bellarminus (2). Postea vero de hoc ipso argumento pertractavit Renaudotius, qui Graecorum disciplinae favere videtur (3). Ut acrior evasit controversia de genuina Patrum mente, ex quo non modo in Germania verum etiam in Galliis et in Italia nonnulli etiam catholici scriptores ad trutinam eam revocarunt. Hac ipsa de causa criticum examen denuo instituerunt eruditi catholici, qui, data opera, hoc de argumento scripserunt, inter quos eminent Martorelli (4), et Roskovàny (5), quorum potissimum vestigia preminus, sedulam impenderunt operam in novis hisce dubitationibus et dif-

(1) *De concordia ecclesiae Occidentalis et Orientalis* lib. VII. ubi fuse a cap. VI. usque ad cap. XXXV. de hoc argumento pertractat.

(2) *De matr.* cap. XVII.

(3) *Perpétuité de la foi.* tom. V. liv. VI. ch. 7.

(4) In op. *Errori correnti sul divorzio.* Roma 1792.

(5) In op. saepius cit. *De indissolubilitate matrimonii* cap. IV. *Doctrina ecclesiae* §. 101 seqq.

ficultatibus solvendis. Iis ducibus, facile nobis erit contortas violentasque ac doctrinae catholicae adversantes expositiones documentorum antiquitatis evertere, atque ostendere perpetuum sanctorum Patrum consensum in tuenda perfecta firmitate christiani coniugii absque ulla exceptione.

Quandoquidem autem circa Patres singulos, qui pro orthodoxa doctrina afferri consueverunt, tricas adversarii movent, cogimur distinctis paragraphis eos singillatim percurrere, tum maioris claritatis gratia, tum ut in aprico ponamus, quae ad unumquodque testimonium infirmandum in medium allata sunt. Cum porro testimonia, quae pertinent ad prima Ecclesiae secula, hac in re singulari indigeant disquisitione, hinc distinctis articulis prius documenta quinque priorum Ecclesiae saeculorum singillatim expendemus, dein documenta sequioris aetatis brevius complectemur.

ARTICULUS. I. — De sensu traditionali circa indissolubilitatem christiani matrimonii in causa adulterii prioribus quinque Ecclesiae seculis.

§ I.

De Herma.

Omnium primus et antiquissimus, qui nobis exhibet receptam in Ecclesia doctrinam de absoluta matrimonii indissolubilitate est Hermas, vir apostolicus, cuius meminit Apostolus ad Romanos (6), et cuius auctoritatem tanti fecerunt veteres aliqui, ut eius librum, cui titulus est *Pastor*, inter scripturas canonicas recensuerint (7).

Hic igitur lib. II. mandato IV. *De dimittenda adultera*, haec habet : « Domine, inquit, permitte me pauca verba tecum loqui. » Dic, inquit. Et dixi illi : Domine, si quis habuerit uxorem » fidelem in Domino, et hanc invenerit in adulterio, numquid » peccat vir, si convivit cum illa ? Et dixit mihi : quamdiu nes- » cit peccatum eius, sine crimine est vir vivens cum illa. Si autem

(6) Rom. XVI. 14.

(7) Cf. Io. B. Cotelerium : *Iudicium de S. Hermae Pastore.*

» sciverit vir uxorem suam deliquisse, et non egerit poeniten-
» tiam mulier, et permanet in fornicatione sua, et convivit cum
» illa vir; reus erit peccati eius, et particeps moechationis eius.
» Et dixi illi : Quid ergo si permanserit in vitio suo mulier? Et
» dixit : *Dimittat illam vir, et vir per se maneat.* Quod si dimi-
» serit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur. Et
» dixi illi : Quid si mulier dimissa poenitentiam egerit, et volue-
» rit ad virum suum reverti; nonne recipietur a viro suo? Et
» dixit mihi : Imo si non receperit eam vir suus, peccat, et ma-
» gnum peccatum sibi admittit : sed debet recipere peccatricem,
» quae poenitentiam egit : sed non saepe. Servis enim Dei poe-
» nitentia una est. Propter poenitentiam ergo non debet, dimissa
» coniuge sua, vir aliam ducere. Hic actus similis est in viro et
» in muliere. Non solum moechatio est illis, qui carnem suam
» coinquinant; sed et is, qui simulacrum facit, moechatur. Quod
» si in his factis perseverat, et poenitentiam non agit, recede ab
» illa, et noli convivere cum illa, alioquin et tu particeps eris
» peccati eius. Propter hoc praeceptum est vobis ut caelibes ma-
» neatis, tum vir, tum mulier : potest enim in huiusmodi poeni-
» tentia esse (8). »

Hactenus Hermas, ex quo habes doctrinam in Ecclesia Romana receptam, prout instituta fuit a B. Petri praedicatione et Marci evangelio. Nempe habes per adulterium non solvi matrimonii vinculum : habes separationem quoad torum et habitationem; habes quo sensu accipi debeat clausula exceptionalis apud S. Matthaeum; habes demum parem conditionem in eiusmodi casu viri et uxoris. Et haec quidem luculenter expressa.

Quid ad haec, qui huius viri auctoritate premuntur? Alii impetunt huius Hermae personam ; alii auctoritatem; alii denique sententiae veritatem : sed frustra.

Nam de persona perperam nonnulli contendunt, cum diversum esse ab eo, cui salutem dicit Apostolus, sed fratrem esse dicunt Pii I. adeoque a primo ad secundum Ecclesiae seculum eius documenti transferunt antiquitatem, innixi carmini contra Mar-

8) Ex ed. Cotelerii : *Patrum apostol.* tom. I. Antwerp. pag. 86-89.

cionem libro III. quod falso Tertulliano adscribitur, et fragmento Muratoriano (9), cuius authentia ab aliquibus in dubium vocata est, ac etiam negata. Nunc vero convenit inter saniores criticos non modo catholicos, verum etiam protestantes non

(9) Uti Moshemius *Comment. de rebus christian. ante Constantinum M.* pag. 165. Schrickius in *Historia ecclesiastica christiana*, part. II. pag. 274. ips. 1775.

Hoc fragmentum acephalum nobis exhibet Muratorius *Antiq. italic. medii aevi.* Mediol. 1740. tom. III. col. 854. in quo, suppositus Caius haec scribit: « Pastorem vero nupperime temporibus nostris in Urbe Roma Herma conscri» psit, sedente cathedra urbis Romae Ecclesiae Pio episcopo fratre eius. *Et* » *ideo legi eum quidem oportet, se publicare vero in Ecclesia populo, neque* » *inter prophetas completum numero*, neque *inter apostolos in finem tempo*» *rum* potest. » Huic, unico, dubio saltem, documento innititur Moshemius ad eius auctoritatem elevandam. Huic sententiae adhaeret. D. Cruice in *Hist. de l'église de Rome.* Paris 1856. ch. V. p. 99.

Verum seposita etiam quaestione an genuinum sit necne fragmentum a Muratorio editum, certum est ex eo nihil extundi posse quod sapientiorum iudicium immutare valeat de libro *Pastoris*. Huius enim libri, cuius latina versio adhuc superest, quaeque adamussim congruit cum locis apud veteres prostantibus, auctor ab omnibus nominatur *Hermas*, nequaquam *Hermes*. Hinc factum est ut Rufinus duos distinguat Hermae libros, ut advertit Tillemontius (*Mémoires*, etc. Note sur Hermas). Sed quod gravius est, novimus ex Auctore *Carmin. adv. Marcionem* S. Pio Rom. Pontifici fratrem fuisse Hermetem cognomento *Pastorem Angelicum*, quod ea retulerit, quae ab *Angelo* acceperat. Novimus item ex catalogo Burcheriano Rom. Pontificum, et ex pontificali Damasi, atque ex Anastasio Bibliotecario, Hermetem, Pii pontificis fratrem, accepisse librum, quo iniungebatur *pascha* peragendum dominico die ex praescripto Angeli, qui Hermeti sub imagine *pastoris* oblatus fuerat. Iam vero liber Pastoris, qui adhuc superest, ne minimam quidem de paschate mentionem facit. Auctor igitur fragmenti Muratoriani non loquitur de libro Hermae, sed de alio libro Hermetis, qui frater fuit Pii pontificis. Ad haec, Hermas in libro *Pastoris* ita loquitur de ventura tribulatione, deque iudicio et consummatione temporum imminente, ut christiani non satis assecuti sententiam Christi de ea re loquerentur ante excidium Hierosolymorum. Igitur ante annum aere vulgaris septuagesimum hic liber exaratus est. Denique cum liber Hermetis de paschate tanti fuisset penes vetustissimos Patres, ut eum perinde haberent quasi esset divino instinctu conscriptus, cur aetate Victoris in controversia de paschate nemo unus repertus est, qui hunc librum afferret ad Rom. pontificis decretum confirmandum? Est igitur liber Hermae, quem adhuc habemus, longe diversus a libro Hermetis, qui deperditus est.

alium esse hunc Hermam quam eum, cuius meminit Apostolus, eumdemque esse auctorem *Pastoris*, prout aperte testantur Origenes, Eusebius, Hieronymus (10).

Quod vero spectat ad eius auctoritatem, utpote sibi contrariam, adversarii nullo in pretio operis auctorem habendum esse palam edicunt, eumque traducunt sin minus ut deceptorem, saltem ut valde debilis mentis, et exiguae scientiae hominem habent, etsi viva phantasia ac imaginatione praeditum. Iamdiu Tertullianus Montanista effectus, eo quod novis dogmatibus ab eo propugnatis hic auctor contrarius esset, et a catholicis illi obiiceretur, summo cum dedecore de eo disserit (11). Attamen nemo sanus inficiabitur, magna eum ad probandum auctoritate pollere ; siquidem ad eius auctoritatem appellarunt velut ad auctorem inspiratum S. Irenaeus (12), Clemens Alexandr. (13), et Origenes (14). Quamquam vero ab hoc censu eam expungant S. Hieronymus (15), Eusebius (16) Athanasius (17); tamen omnes testantur, eum auctorem magno in pretio a veteribus habitum fuisse, et eius librum *utilem* esse, et ad faciendam fidem veteris traditionis et doctrinae Ecclesiae idoneum (18). Tantum

(10) Ita Nourry in *Apparatu ad Biblioth. max. SS. Patrum*, diss. IV. Natal. Alexander, *Hist. eccles.* sec. I. cap. X. art. 9. Lumper *Histor. theod critic. Patrum* p. I. August. Vindel. 1783, pag. 98 seq. Ceillier, *Hist. des auteurs ecclesiast.* liv. III. ch. 9. art. 1. inter catholicos. Cave *Hist. lit. script. ecclesiast.* Wetstenius *in N. T. graec.* in cap. XVI. 14 epist. ad Rom. Nec abnuit Rosenmüller in hunc loc. aliique passim inter protestantes ipsos.

(11) Lib. *De pudicitia* c. X. ubi scribit : « Cederem tibi, (psychice), si scri» ptura Pastoris, quae sola moechos amat, divino instrumento meruisset incidi, » si non ab omni concilio ecclesiarum vestrarum inter apocrypha et falsa iudi» caretur, adultera et ipsa, et inde patrona sociorum. »

(12) Lib. IV. *Contr. haeres.* c. 3.

(13) Lib. I. *Strom.* n. 29.

(14) In epist. ad Rom. XVI. 14.

(15) *De viris illustr.* c. 10.

(16) *Hist. eccles.* lib. V. c. 25.

(17) In *epist. paschal.* Opp. tom. II. 39. 40.

(18) Sane S. Hieronymus l. c. agens de *Pastore*, scribit : « Apud quasdam » Graeciae ecclesias etiam publice legitur. Revera *utilis* liber, multique de eo » scriptorum veterum usurpavere testimonium » Et S. Athanasius pariter loc.

autem abest, ut Tertullianus officere possit auctoritati Pastoris, ut eam potius evehat, cum ex eo habeamus illum habitum fuisse assertorem catholicae veritatis, cui Montanistae novitates suas opponere voluerunt.

Ut demum vim eludant luculenti adeo testimonii, alii reponunt : Hermam non negare solvi matrimonium ob fornicationem, nec dicere Christi lege vetitum esse repudiare coniugem adulteram et alteram ducere, sed tantum negare solvi matrimonium in casu, ubi uxor semel adulterata est : quae sententia ex illius temporis disciplina ortum ducere videtur, iuxta quam plures christiani spe poenitentiae ab adultera agendae, a secundis nuptiis abstinebant (19). Alii ex verbis : *Quod si dimiserit mulierem suam et aliam duxerit, et ipse moechatur*, nullum clarum sensum erui posse autumant, sed probabilius aliquid supplendum esse, adeoque locum Hermae ad perhibendum de fide indissolubilitatis testimonium impar omnino esse (20). Alii postremo excipiunt Hermam sententiam suam non sac. Scripturae, sed tantum poenitentiae illa aetate usitatae superstruere, dicendo : *propter poenitentiam non debet, dimissa coniuge sua, vir aliam ducere* (21).

At satis est eiusmodi exceptiones revocare ad textum Hermae, ut pateat illarum solutio ; eidem enim penitus adversantur. Nam falsum est Hermam non negare, solvi matrimonium ob fornicationem. Falsum item est eum non dicere, Christi lege vetitum esse repudiare coniugem adulteram et aliam ducere. Falsum denique est de ea loqui, quae *semel* adulterium patraverit ; contrarium his omnibus dicit Hermas (22).

cit. ait : « Sunt et alii libri, non quidem canonici, sed quos Patres sanxerunt » legi iis, qui ad fidem accedunt, cupiuntque in pietatis verbo institui, ut *Sa-* » *pientia Salomonis et Pastor.* » Cf. Ceillier loc. cit. art. 2.

(19) Ita Adamus Braun in cit. *Dissert. utrum matrimonii vinculum etc.*

(20) Ita auctor anonymus. op. Germanic. *Disquisit. theolog.-politicae de potest. eccles. circa res matrimonial.* part. II. Francofurti 1791. pag. 176.

(21) Uti Ren. Leon. Werkmeister in libel. *Novae inquisition. de dissolut. vinculi matrim.* Bamber. 1806. pag. 65.

(22) Cf. Iacobi op. cit. *Indissolubilitas vinculi matrimonialis adversus* Braun. pag. 70 seqq.

Subintelligendum aut supplendum aliquid esse, ut eruatur sensus, quem adversarii intendunt, certe fatemur ; sed si doctrina Hermae sit prorsus contraria doctrinae, quam adversarii tuentur, nihil est supplendum ; textus clarus est, et doctrina patronorum divortii plane ab Herma excluditur.

Somnium denique est, Hermam solum ad poenitentiam sua aetate receptam alludere, ut non potius implicite saltem ad Scripturam provocare, cuius verba describit prout leguntur apud Marcum, Lucam et Paulum. Hermas igitur nihil aliud dicit, nisi quod si maritus ob adulterii flagitium illam quoad torum cohabitationemque dimiserit, illamque sui criminis poenituerit, maritus eam in gratiam iterum recipiat.

§ II.

De S. Iustino M.

Ex Sancto Iustino duo suppetunt pro indissolubilitate coniugii, etiam in casu adulterii, testimonia. Alterum occurrit in Apologia I. n. XV. ubi S. martyr volens Christi doctrinam afferre circa castitatem, has exscribit ex Evangelio sententias. « Qui » inspexerit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus » est in corde apud Deum : et « Si oculus tuus dexter scandalizat » te, erue eum ; expedit enim tibi unum oculum habentem in» gredi in regnum coelorum, potius quam cum duobus mitti in » ignem aeternum. » Et « *Qui ducit repudiatam ab altero viro,* » *moechatur.* » Deinde subdit : « Quemadmodum etiam ii, qui » ex lege humana duplex matrimonium ineunt, ita et qui mu» lierem adspiciunt ad concupiscendum eam, peccatores sunt apud » Magistrum nostrum. Non enim is solum ab eo eiicitur, qui » re et actu moechatur, sed etiam qui moechari vult ; quippe » cum Deo non facta solum, sed etiam cogitata pateant (23). »

Ex quo testimonio habemus 1. quod S. martyr ex evangelio proferat auctoritatem absque clausula exceptionali de fornicatione, sed absolute prout apud Marcum et Lucam reperitur : *Qui*

(23) Ex vers. Maran.

ducit repudiatam ab altero viro, moechatur ; quo satis aperte significat nullo in casu licere christianis, altero vivente coniuge, alteram ducere, ac proinde insolubile permanere matrimonii vinculum, etiam interveniente adulterio, et uxore ob eam causam dimissa ; 2. quod loquens de lege humana, qua divortium permittebatur, affirmet eos, qui secundum contrahunt coniugium, vivente reiecto coniuge etiam ob adulterium, *peccatores*, seu reos adulterii esse, non secus ac eos, qui aspiciunt mulierem ad concupiscendam eam, qui iam moechati sunt coram Deo (24). Assertor itaque Iustinus est indissolubilis vinculi coniugalis, et testis hac super re catholicae doctrinae.

Alterum testimonium occurrit in Apologia II. n. II. ubi refert historiam illius mulieris prius flagitiosae coniugio coniunctae cum aequae flagitioso viro, quae ad religionem christianam conversa ad meliorem frugem revocata, sategit virum suum a vitiis inolitis retrahere. Verum cum id frustra tentasset, virumque suum in peiora ruere comperisset : « Verita, prosequitur Iustinus, ne » inique et impie factorum particeps fieret, si in coniugio maneret, *victusque ac tori consors esset*, misso eo, quod vocatis, » repudio, discessit. Tum praeclarus et bonus ille vir, cum gaudere deberet, quod quae olim uxor cum servis et mercenariis » in vinum atque omne vitiorum genus effusa licenter perpetrabat, ad his iam faciendis deterrita fuisset, ac ipsum etiam ab » iisdem flagitiis deterrere studeret ; repudium non obsequenti » nuntiantem accusat, quod esset christiana. Atque illa quidem » libello tibi, imperator, oblato postulavit, ut prius sibi domui » suae prospicere liceret ; deinde domesticis rebus compositis » responsuram se accusationi. Atque id quidem annuisti. »

(24) Maran in nota *d* ad hunc loc. haec scribit. « Non secundae nuptiae hic a » Iustino vituperantur, sed quae, non soluto priore vinculo, contrahuntur. Il- » lius enim mens ex testimoniis, quae ab eo referuntur, existimanda : et cum » in testimoniis citatis nihil sit de secundis nuptiis, probabile non est illum » ea de re loqui voluisse. »

Haec autem confirmantur ex iis, quae ex Thyrbio et Rittero in praecedente sectione cum ageremus de polygamia successiva art. I. nota 33. attulimus iuxta editionem Theod. Otto Opp. S. Iustini Ienae 1847. quaeque huc pariter referuntur.

Ex his liquet mulierem hanc se quoad mensam torumque separasse ab adultero marito, seu quoad torum et habitationem (25), hanc proinde ob causam ei libellum repudii dedisse, exterius quidem iuxta leges Romanas, quibus dissolutio perfecta coniugii permittebatur (26), sed quoad se, iuxta legem christianam, ex cuius praescripto licitum quidem est se ab adultero seiungere, non autem alteri nubere. Cum vero hanc agendi rationem Iustinus probet, hoc ipso nobis testis est de evangelica et apostolica doctrina circa indissolubile matrimonii vinculum, moechiae etiam interveniente flagitio.

Hac ratione fere iam praeoccupata sunt, quae ab adversariis opponuntur adversus utrumque testimonium. Opponunt quoad prius testimonium, quod S. Pater nihil dicat de viri iure respectu adulterae (27), quasi nempe ignoraverit Iustinus ex evangelio pares hoc in iure esse coniuges, prout etiam declaraverat Hermas, ut vidimus, in suo *Pastore*. Cum insuper reos adulterii traducat, qui ex lege humana, priori uxore dimissa, alteram ducunt, hoc ipso par in utroque coniuge ius agnovit.

Sic etiam quoad posterius testimonium frustra animadvertit Launoius : « Per libellum repudii apud Iustinum veri nominis » solutionem intelligi ; cum secus Iustinus, si libellus repudii » hoc sensu acceptus vel Christi evangelio, vel disciplinae chris- » tianorum primitivae contrarium quid importasset, eumdem » sine dubio reprehensurus fuisset (28) ; » aut, ut alii adiiciunt, saltem incertum esse num Iustinus perfectum divortium vel tantum separationem a toro et habitatione intellexerit (29) ; insu-

(25) Nam vir iste, ut praemisit Iustinus, Alexandriam se contulerat ; porro infamis erat hic locus voluptatum fama, et quovis vitiorum genere notatus, uti animadvertit editor Iennensis , Theod. Otto.

(26) Quod iuxta Romanas leges repudium dederit haec mulier, exinde colligo, quod libellum supplicem obtulerit imperatori, dimisso viro suo legali ratione, nisi autem se ad legum praescriptum conformasset, profecto neque id facere ausa esset, nec ei imperator annuisset.

(27) Ita Braun Diss. cit. *Utrum matr. vinculum etc.*

(28) *De regia in matrim. potest.* Opp. ed. Colon. Allobrog. tom. I. par. II. pag. 826.

(29) Ita *Paellae Linciens.* Linz. 1808.

per narrare quidem S. martyrem mulierem illam adnovas non transiisse nuptias, non autem inficiatum esse ius ad illas habuisse ; quod si iure hoc non est usa, repetendum id esse ex illius aetatis disciplina, iuxta quam primi fideles a secundis nuptiis, etiam defuncto alterutro coniuge, abhorrebant (30). Demum Iustinum in genere tantum de divortio esse locutum, neque adulterium commemorasse, adeoque perperam ad rem nostram proferri de indissolubilitate coniugii in casu adulterii, cum quo nihil commune habet hic Iustini locus (31).

Haec, inquam, a nobis iam praeoccupata sunt, nec minimum laedunt vim allatae auctoritatis pro re catholica. Siquidem, prout adnotavimus, mulier illa libellum divortii utique dedit in foro politico ad praescriptum iuris Romani, iuxta quod plene dissolvebatur coniugium, sed in foro conscientiae se attemperavit legi christianae, cuius eximia cultrix fuit, quae vetat, vivente altero coniuge, novas inire nuptias, nec opus proinde erat reprehensione , ut autumat Launoius. Dubium vero seu suspicionem, quam alii movent, utrum de partiali, aut de totali divortio locutus sit S. Iustinus, dissolvunt expressa verba de separatione *quoad torum victumque*, quae plane inutilia fuissent, si voluisset disserere de pleno divortio. Sic tertium dubium disiicitur de iure a muliere acquisito, ac de abstinentia ab aliis nuptiis, quod ita ferret illius aetatis disciplina, si ratio habeatur subiectae materiae , ex qua deprehendimus de hoc minime agi, immo ab ea excludi, eo quod sermo tantum sit de separatione *a toro victuque*. Quod vero postremo loco dicitur non commemorari a Iustino casum adulterii, deprehenditur falsum esse ex eo, quod ipse referat, mulierem illam tandem se ad divortium faciendum determinasse ex iis, quae ipsi relata fuerant de flagitiosa viri sui conversatione Alexandriae.

(30) Ita Werkmeister in op. Germ. *Novae inquisitiones circa dissolutionem matrimonii quoad vinculum iuxta principia cathol.* 1806. p. 66. 86. 169. Quem secutus est Carol. De Lasaulx in *Concordia legum Gallic. circa dissolut. matr. cum verbo Dei et sensu catholico.* Coblen. 1816. p. 115.

(31) *Pagellae theolog. Ulmenses.* Ulmae 1811. pag. 80.

Quid si diceremus mulierem illam tum perfectum fecisse divortium, tum ius habuisse ad alias ineundas nuptias, eo quod ageretur de viro infideli, qui sine contumelia Creatoris secum cohabitare renuebat ? Hac ratione ipsa usa fuisset privilegio in favorem religionis christianae a Christo concesso, de quo loquitur Apostolus I. Cor. VII. 15, illis verbis : *Quod si infidelis discedit, discedat : Non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.* In hac vero hypothesi, quae verissima est, omnes praeciduntur adversariorum difficultates, atque catholica veritas in tuto plenissime est posita. Sed hoc ad abundantiam.

Itaque Iustinus quoque locupletissimus alter testis est doctrinae catholicae circa firmitatem vinculi coniugalis, etiam cum intervenerit adulterii crimen.

§. III.

De Athenagora.

Iustino subnectimus Athenagoram utpote eidem fere supparem. Adeo vero aperte atque perspicue ipse nobis doctrinam de plena coniugii indissolubilitate exhibet, ut Launoius eius auctoritatem dissimulaverit. Haec porro habet Athenagoras in Legatione pro christianis. « Ut quisque vel qualis natus est, maneat vel » unicis in nuptiis. Secundae enim decorum adulterium : *Qui-* » *cumque enim dimiserit,* inquit (Christus), *uxorem suam et* » *aliam duxerit, moechatur ;* nec eam dimitti sinens, cuius vir- » ginitati finem quis imposuit, nec aliam insuper duci. Nam qui » se ipse prima uxore spoliat, etiamsi mortua sit, occulta qua- » dam ratione est adulter (32). » Nihil habent quod afferant adversarii ad hunc textum eludendum ; quod si nimis severum se praebere videtur Athenagoras adversus secundas nuptias successivas, secutus est hac in re sententiam aetate sua vigentem passim, qua in suspicionem incontinentiae vocabantur, quicumque iterum nuberent, ut suo loco vidimus (33).

(32) Ed. Maran n. 33. pag. 30.

(33) Cf. Maran in nota ad hunc loc. ubi eum ab errore Montanistarum, immo vel ab ipsa huius erroris suspicione vindicat adversus Tillemontium, ut alias diximus.

§. IV.

De Tertulliano.

Mirum fortasse pluribus accidet, quod inter assertores indissolubilitatis coniugii christiani etiam Tertullianum connumeremus, quem adversarii non modo suum esse asserunt, verum etiam nonnulli catholici plane deserunt, atque inter eos accensent, qui pro solutione matrimonialis vinculi in causa adulterii pugnarunt. Ast si clara eius testimonia seiungamus ab iis, quae obscura sunt, et contrariae doctrinae patrocinari videntur, quaenam vera eius mens fuerit, facilius assequemur. Dixi *quae obscura sunt;* nam si apprime ea excutiamus, patebit ipsum nec sibi nec nobis esse contrarium, vereque perpetuam sive omnimodam, etiam in causa adulterii, indissolubilitatem coniugalem propugnare.

Atque ut ab iis testimoniis, quae clara sunt, exordiamur, ea nobis suppetunt tum ex duobus libris *Ad uxorem*, tum ex libro *De patientia*, et ex libro *De monogamia*.

In libro I. Ad uxorem cap. V. scribit : « Cum quid difficile » videtur, difficiliora alios obeuntes recenseamus. Quot enim » sunt, qui statim a lavacro carnem suam obsignant? Quot item, » qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt, vo- » luntarii spadones pro cupiditate regni coelestis? Quod si salvo » matrimonio abstinentia toleratur, *quanto magis adempto?* » Credo enim difficilius salvum derelinqui, quam amissum non » desiderari (34). » Lib. vero II. Ad uxor cap. I. « Proxime » tibi, inquit, dilectissima in Domino conserva, quid foeminae » sanctae, matrimonio *quacumque sorte adempto*, sectandum » sit, ut potui, prosequutus sum. Nunc ad secunda consilia » convertamur, respectu humanae infirmitatis, quarumdam » exemplis admonentibus, quae *divortio, vel mariti excessu*, » oblata continentiae occasione, non modo abiecerunt opportu-

(34) Ed. Rigalt. Paris. 1664. pag. 164.

» nitatem tanti boni, sed ne in nubendo quidem disciplinae me-
» minisse voluerunt, ut in Domino potissimum nuberent (35).»

In libro De patientia cap. XII. scribit : « At enim cum om-
» nem speciem salutaris disciplinae gubernet, quid mirum quod
» etiam poenitentiae ministrat, solitae lapsis subvenire ? Cum
» disiuncto matrimonio, ex ea tamen causa, qua licet seu viro
» seu foeminae ad viduitatis perseverantiam sustineri ; haec
» expectat, haec exoptat, haec exorat, poenitentiam quandoque
» inturis, salutem ? Quantum boni utrique confert ? Alterum
» non adulterum facit (36), alterum emendat.»

Ex his iam constat coniugio *quacumque de causa* ac proinde ob adulterium dirempto, ex Tertulliano iuxta salutarem disciplinam, coniuges continentiam seu caelibatum profiteri, quin uspiam vel innuat quidem, alteris nuptiis ipsos se iungere posse.

Verum apertius adhuc Tertullianus mentem suam hac super re aperuit, scribens in libro De monogamia, cum divortium in causa adulterii perageretur : « Evolvamus communia instru-
» menta Scripturarum pristinarum. Hoc ipsum demonstratur a
» nobis, neque novam, neque extraneam esse monogamiae dis-
» ciplinam, imo et antiquam et propriam christianorum ; ut
» Paracletum (Montanum) restitutorem potius sentias eius
» quam institutorem. » Deinde ad divinam matrimonii institutionem progrediens, ita prosequitur : « Si ita factum est a pri-
» mordio, invenimus nos ad initium dirigi a Christo : sicut in
» quaestione repudii, dicens illud propter duritiam ipsorum a
» Moyse esse permissum, ab initio autem non ita fuisse ; sine
» dubio ad initium revocat matrimonii individuitatem. Ideoque

(35) Ibid. pag. 167. ed. Paris. 1641.

(36) Quae verba sic enarrat Rigaltius : « Disiuncto, inquit, ex causa adulterii
» matrimonio, patientia intercedit, ac plurimum boni utrique confert ; alterum
» non facit, hoc est, coniugem, repudiata coniuge adultera, non mittit ad alte-
» rum coniugium. Sic est omnino: non facit,non mittit, *vadere* non sinit. » Quod ex Tertulliano esset in adulterium impingere ; adeoque pro certo sumit matrimonii vinculum per adulterium non solvi, alioquin in eiusmodi statum pe aliud matrimonium non impelleret, qui dimissa adultera alteram duceret.

» quos Deus ab initio coniunxit in unam carnem duos, hodie
» homo non separabit.... Et adeo in Christo omnia revocantur
» ad initium, ut et fides reversa sit a circumcisione ad integri-
» tatem carnis illius, sicut ab initio fuit; et matrimonii indivi
» duitas, sicut ab initio fuit.... Sed hae argumentationes potius
» existimentur de coniecturis coactae, si non et sententiae
» adstiterint, quas Dominus emisit in repudii retractatu, quod
» permissum aliquando iam prohibet; in primis quia ab initio
» non fuit sic, sicut matrimonii numerus; tum quia, quos Deus
» coniunxit, homo non separabit; scilicet ne contra Dominum
» faciat. Solus enim ille separabit, qui et coniunxit; separabit
» autem, *non per duritiam repudii*, quam reprobat et com-
» pescit, sed per debitum mortis.... Igitur, si quos Deus co-
» niunxit, homo non separabit repudio.... Caeterum et alia ra-
» tio conspirat, immo non alia, sed quae initii formam impo-
» suit, et voluntatem Dei movit ad prohibitionem repudii:
» quoniam qui dimiserit uxorem suam, praeterquam ex causa
» adulterii, facit eam adulterari; et qui dimissam a viro duxe-
» rit, adulterat utique. *Non et nubere legitime potest repudiata;*
» et si quid tale commiserit sine matrimonii nomine, non capit
» elogium adulterii, qua adulterium in matrimonio crimen
» est? Deus aliter censuit citra quam homines, ut in totum,
» sive per nuptias, sive vulgo, alterius viri admissio adulte-
» rium pronuntietur. Videamus enim quid sit matrimonium
» apud Deum, et ita cognoscemus quid sit aeque adulterium.
» Matrimonium est, cum Deus iungit duos in unam carnem,
» aut iunctos deprehendens in eadem carne, coniunctionem si-
» gnavit. Adulterium est, cum quoquo modo disiunctis duobus,
» alia caro, immo aliena miscetur, de qua dici non possit,
» haec est caro ex carne mea, et hoc os ex ossibus meis. Semel
» enim hoc et factum et pronuntiatum sicut ab initio, ita et
» nunc in aliam carnem non potest convenire. Itaque sine causa
» dices, Deum *vivo marito nolle repudiatam alii viro iungi*,
» quasi mortuo velit; quando si mortuo non tenetur, proinde
» nec vivo; tam repudio matrimonium dirimente quam morte,

» non tenebitur ei, cui per quod tenebatur, abruptum est, » adeo non interest vivo an mortuo viro nubat. Neque enim in » illum delinquit, sed in semetipsam. Omne delictum quod ad- » miserit homo, extra corpus est: qui autem adulteratur, in » corpus suum delinquit. Adulteratur autem, sicut supra » praestruximus, qui aliam carnem sibi immiscet supra illam » pristinam, quam Deus aut coniunxit in duos, aut coniunc- » tam deprehendit. Ideoque abstulit repudium, quod ab initio » non fuit, ut, quod ab initio fuit, muniat duorum in unam » carnem perseverantiam, ne necessitas vel occasio tertiae con- » carnationis irrumpat, soli causae permittens repudium, si » forte praevenerit, cui praecavetur. Adeo autem repudium a » primordio non fuit, ut apud Romanos post annum sexcen- » tesimum Urbis conditae, id genus duritiae commissum » denotetur. Sed illi etiam non repudiantes adulteria commis- » cent, *nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit....* » *Per mortem utique, non per repudium facta solutione; quia* » *repudiatis non permitteret nubere, adversus pristinum prae-* » *ceptum* (37). »

Ex qua prolixa Tertulliani argumentatione deprehendimus, 1. ipsum comparare repudium cum morte, ita ut quemadmodum iuxta eius principium Montanisticum nemo potest se iungere etiam post mortem alteri coniugi, sic neque potest post repudium; 2. matrimonium per Christum revocatum ad pristinam fuisse institutionem coniunctionis perpetuae unius cum altera, ita ut nunquam liceat novas instaurare nuptias sive mortua sive repudiata propter adulterium fuerit uxor; 3. Christum hac ipsa de causa abolevisse libellum repudii ob cordis duritiam a Moyse Hebraeis permissum; 4. denique conceptis verbis pluries inculcare nobis christianis neque in casu dimissionis propter adulterium licere, vivente adhuc alterutro coniuge, aliam ducere, vel alteri nubere. Adeoque nihil optari luculen-

(37) Ed. 1663. pag. 527-532.

tius potest ad veram Tertulliani mentem hac super re assequendum.

Iam vero ex his, quae perspicua sunt, pronum est lucem mutuari ad ea Tertulliani testimonia intelligenda, quae difficultatem facessunt, quibusque permoti indissolubilitatis adversarii omnes eum inter praecipuos sententiae suae patronos adnumerant (38)

Praecipuum testimonium, cui hi omnes innituntur, illud est, quod occurrit lib. IV. contr. Marcion. cap. XXXIV. Cum enim Marcion contenderet, eumdem non esse veteris ac novi Testamenti auctorem, inter caetera argumenta ad suum commentum evincendum urgebat hinc quidem concessionem repudii per Moysem factam, inde vero eiusdem abolitionem per Christum. Allato siquidem textu Deuteron. XXIV. et Christi Luc. XVI. concludebat ovans : « Vides diversitatem Legis et Evangelii, » Moysis et Christi? » Cui respondit Tertullianus : « Plane. » Non enim recepisti illud quoque Evangelium eiusdem veritatis, et eiusdem Christi, in quo prohibens divortium, propriam quaestionem eius absolvit : *Moyses propter duritiam cordis vestri, praecepit libellum repudii dare ; a primordio autem non fuit sic, quia scilicet qui marem et foeminam fecerat, erunt duo, dixerat, in carne una; quod Deus itaque iunxit, homo disiunxerit?* Hoc enim responso et Moysi constitutionem protexit, ut sui, et Creatoris institutionem direxit, ut Christus ipsius. Sed quatenus ex his revincendus es, quae recepisti, sic tibi occurram, ac si meus Christus. Nonne et ipse prohibens divortium, et Patrem tamen gestans eum, qui marem et foeminam iunxit, excusaverit potius,

(38) Ex protestantibus post plures alios Io. Gerhardus *Loc. theolog.* tom XVI. Tubingae 1777. ed. Frid. Cotta §. 79. Inter catholicos, si tamen catholicus putandus est, Launoius in saepe cit. op. *De regia in matrim. potest.* part. III. art. 1. cap. 5. pag. 826. et ante istos Sixtus Senensis *Biblioth. sanctae*, lib. VI. adnot. 81. ed. Neapol. 1742. tom. II. pag. 779 seq. Deinde vero Braun op. cit. Solutioni saltem favere Tertullianum censent ex recentioribus Brunquell; Franc. Ant. Iäger, Werkmeister, ut alios praeteream.

» quam dextruxerit Moysi constitutionem ? Sed ecce sic tuus
» iste Christus contrarium docens Moysi et Creatori , ut si non
» contrarium ostendero , meus sit. Dico enim illum *conditiona-*
» *liter* tunc fecisse divortii prohibitionem , si ideo quis dimit-
» tat uxorem , ut aliam ducat : *qui dimiserit* , inquit , *uxorem*
» *et aliam duxerit , adulterium committit , et qui a marito di-*
» *missam duxerit , adulterium commisit , et qui a marito di-*
» *missam duxerit , aeque adulter est ;* ex eadem utique causa ,
» qua non licet dimitti , ut alia ducatur : illicite enim dimissam
» pro indimissa ducens, adulter est. Manet enim matrimonium,
» quod non rite diremptum est. Manente matrimonio nubere
» adulterium est. Ita si conditionaliter prohibuit dimittere uxo-
» rem , non in totum prohibuit , et quod non prohibuit in to-
» tum , permisit alias, ubi causa cessat, ob quam prohibuit. Et
» iam non contrarium Moysi docet , cuius praeceptum alicubi
» conservat : nondum dico confirmat. Aut si omnino negas per-
» mitti divortium a Christo , quomodo tu nuptias dirimis ? Nec
» coniungens marem et foeminam , nec alibi coniunctos ad sa-
» cramentum baptismatis et eucharistiae admittens , nisi inter
» se coniuraverint adversus fructum nuptiarum , ut adversus
» ipsum Creatorem ? Certe quid facit apud te maritus , si uxor
» eius commiserit adulterium ? Habebitne illam ? Sed nec tuum
» Apostolum sinere scis coniungi prostitutae membra Christi.
» Habet itaque et Christum assertorem iustitia divortii. Iam
» hinc confirmatur ab illo Moyses , ex eodem titulo prohibens
» repudium , quo et Christus , si inventum fuerit in muliere
» negotium impudicum. Nam et in evangelio Matthaei : *Qui*
» *dimiserit* , inquit , *uxorem suam praeter causam adulterii :*
» *facit eam adulterari , atque ita adulter censetur et ille , qui*
» *dimissam a viro duxerit.* Caeterum, praeter ex causa adulte-
» rii, nec Creator disiungit , quod ipse scilicet coniunxit ; eo-
» dem alibi Moyse constituente eum, qui ex compressione ma-
» trimonium fecerat , non posse dimittere uxorem in omne
» tempus. Quod si ex violentia coactum matrimonium stabit,
» quanto magis ex convenientia voluntarium ? Sicut et pro-

» phetiae auctoritate *Uxorem iuventutis tuae non dimittes.* » Habes itaque Christum ultro vestigia ubique Creatoris ineuntem *tam in permittendo repudio, quam in prohibendo.* Habes » etiam nuptiarum, quoquo velis latere, prospectorem, quas nec » separari vult, prohibendo repudium, nec cum macula haberi, tunc permittendo divortium. Erubesce non coniungens, » quos tuus quoque Christus coniunxit. Erubesce etiam disiungens *sine eo merito, quo disiungi voluit et tuus Christus* (39). »

Iam vero prolixi totius textus analysi diligenti instituta patebit, Tertullianum non alia ratione componere inter se Moysem et Christum, ut obiectam a Marcione contradictionem sive oppositionem amoliatur, quam adstruendo Christum non omnino prohibuisse divortium, sed istud concedere in casu adulterii, quin tamen unquam vel insinuet quidem, ex Christo liberum esse parti innocenti post dimissionem adulterae aliam ducere uxorem. Imo id aperte negat legitime fieri posse; in hoc tamen totus vertitur controversiae nostrae cardo.

Sane ex accurata verborum Tertulliani inspectione habemus ipsum docuisse 1. Moysem ob duritiam cordis Hebraeorum indulsisse libellum repudii; 2. Christum aliquo cum temperamento seu prudenti oeconomia se gessisse, dum ex una parte permisit divortium fieri, nempe interveniente adulterio, ex altera vero negavit posse alteram duci; 3. hoc vero probare tum ex eo quod Christus revocaverit matrimonium ad primordialem suam institutionem, scilicet ad perfectam perpetuamque individuitatem, tum ex eo quod idem Christus absolute pronunciaverit, illum fore mocchum, qui dimissam quacumque ex causa duxerit. Ex quo 4. conclusisse iugiter matrimonium permanere, perinde ac si mulier fuerit indimissa; illudque *illicite* pro *illegitime* sumsisse, ut phrasaeologia tunc temporis recepta obtinebat; 5. adeoque Tertullianum hoc in loco sibi prorsus constantem esse patet, dum non aliud ab eo, quod in libro de Monoga-

(39) Ibid. 449 seq.

mia statuerat, docet, nimirum in causa adulterii solvi quidem coniugium quoad torum victumque, nulla vero ratione quoad vinculum, quod etiam hoc in casu perseverat (40).

Ex his animadversionibus facile nunc est sensum assequi illorum verborum, quibus adversarii omnes innituntur, ut Tertullianum ad suas partes pertrahant, scilicet: *Dico illum* (Christum) *conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem*, perinde ac si Tertullianus illud *conditionaliter* usurpasset ad significandum *sub conditione* adulterii Christum divortium permisisse; ast illa *conditio* ad solam dimissionem referri debet, non autem ad facultatem ducendi aliam uxorem, ut patet ex textu, quem immediate profert sine ulla clausula; sic etiam intelligimus, quo sensu ipse dixerit, *illicite dimissam proindimissa ducens, adulter est*, nempe *illegitime*, non modo, prout iam innuimus, ratione usus loquendi, qui tunc temporis obtinebat, sed insuper ex contextu; siquidem subdit Tertullianus:

(40) Atque hic castiganda est temeritas simul et inscitia Caroli Calvi, professoris emeriti in academia Ticinensi, propugnatoris divortiorum, dum in op. *Ricerche sul divorzio fra christiani*. Pavia 1790. scribere non dubitavit): « Che Tertulliano in questa testimonianza (lib. IV. *Contr. Marc.* c. 34. » ammetta l'adulterio come la sola ed unica eccezione della legge vietante il » divorzio, non è possibile il dubitarne, (ita ipse ex tripode). Non è però men » vero, che egli abbia cangiato opinione dopo di aver cangiato religione. Ciò » apparisce dal libro da lui scritto *sulla monogamia*. Ma dappoichè egli stesso » dichiara in quest'opera di non proporre, nè di sostenere altra dottrina fuor- » chè quella del suo seduttore Montano, *io non capisco con qual coraggio l'é-* » *ditore Pamelio e la maggior parte de' nostri theologi contendano eludere* » *l'autorità di Tertulliano cattolico, opponendo la contraria di Tertulliano* » *eretico*. » Ast *eruditus* vir ignoravit libros contra Marcionem a Tertulliano exaratos fuisse, cum iam Montanista esset effectus. En verba ipsius Tertulliani quae habentur lib. 1. *Contr. Marc.* cap. XXIX. quibus se et Montanistam et Montani doctrinae propugnatorem profitetur: « Sed et si nubendi iam mo- » dus ponitur, quem quidem *apud nos* (Montanistas) *spiritalis ratio*, *Para-* » *cleto auctore*, *defendit*, *unum in fide matrimonium praescribens*. »

Sed quod magis mireris est, eius antesignanum hac in sententia Launoium, in op. cit. *De regia etc.* loc. cit. inniti Tertulliani auctoritati ex libro *De monogamia* ad suam sententiam de dissolubilitate vinculi coniugalis ob adulterium tuendam. Quam praeclare eiusmodi auctores inter se conveniunt!

manet enim matrimonium, quod non rite diremptum est; atque, ut loquitur in libro *De monogamia: Nobis, etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit.* Sic ex dictis patet, immerito adversarios urgere adducta verba: *Manet enim matrimonium, quod non rite diremptum est,* ex quibus ipsi inferri vellent ex Tertulliano *non manere matrimonium, quod rite fuerit diremptum; rite* autem tunc seu *legitime* dirimi ob adulterium. Immerito, inquam, haec urgentur, et contra apertam Tertulliani mentem, qui hoc in loco de exceptione adulterii, de qua apud Matthaeum, necdum mentionem iniecerat, sed adhuc instabat textui Lucae, ut ostenderet adulterium patrari ab eo, qui *illicite dimissam pro indimissa ducens, adulter est,* quibus immediate subdit: *manet enim matrimonium, quod non rite diremptum est,* seu quod solutum tantummodo est quoad torum et habitationem; hoc vero confirmatur ex insequentibus eius verbis: *manente matrimonio, nubere adulterium est.*

Si itaque Tertullianus quoties de matrimonio locutus est, toties illud insolubile, seu ut ipse ait, *individuum* praedicat; si unicam dimissionis causam assignat, nimirum adulterium, propter quod dimissione etiam secuta, inculcat permanere coniugium; si insuper, cum haec scriberet, iam erat Montanista effectus, adeoque contendit neque post mortem posse iterari nuptias, mirum profecto est velle contra apertissimam eius mentem et doctrinam Tertullianum proferre tanquam approbantem matrimonium, quod post alterutrius coniugis adulterium contraheretur (41). Quapropter omnibus rite perpensis, merito

(41) Quae cum ita se habeant, mirari subest, quomodo Io Gerhardus loc. cit. § 579. in medium allato testimonio ex lib. IV. Tertulliani contra Marcion. c. 34. a nobis discusso, scribere potuerit: « Huius dicti *tanta est evidentia*, ut Six» tus Senensis lib. VI. Biblioth. adnot. 81. pag. 465. Tertullianum referat in » classem eorum, qui *certa et indubitata adsertione utriusque repudii, hoc est* » *a contubernio et a connubio, licentiam probarunt.* » Porro Sixtus Senensis non tamen ex propria sententia, quae hic afferuntur protulit, et quidem non sine magna haesitatione, ut eum legenti patebit. Non igitur *ea evidentia* permotus est, quam ei Gerhardus affingit.

nos eum inter testes et assertores locupletissimos catholicae doctrinae de indissolubilitate coniugii in lege evangelica adnumeramus.

Nunc tandem addo non solum Tertullianum, sed vel ipsum Marcionem testem esse doctrinae in Ecclesia receptae, quam propugnamus. Nam si Marcion Christum Moïsi contrarium effert ex eo capite, quod Christus prohibuerit, quod Moïses concesserat, scilicet perfectum repudium; ergo pro certo habuit doctrinam hanc ab Ecclesia catholica teneri ac doceri; secus enim nunquam potuisset inter se Christum et Moïsem committere, siquidem ambo eamdem facultatem Dei cultoribus dedissent, scilicet aliam post divortium ducendi uxorem, priore dimissa ob adulterii causam; imo longe magis progressus fuisset Christus, qui illo in casu permisisset divortium, in quo iuxta Moïsem fuissent morte mulctandi delinquentes.

§ V.

De Clemente Alexandrino.

Doctrinae catholicae assertorem pariter ac testem se praebet Clemens Alex. qui sensum exponit clausulae exceptionalis apud Matthaeum, dum eam ad separationem coarctat quoad torum ob adulterii flagitium indissolubili permanente coniugii vinculo. Sic enim scribit lib. II. *Stromat.* cap. XXIII. « Quod autem » consulit Scriptura uxorem ducere, et nec a coniugio *unquam* » *permittit discedere*, legem aperte constituit: *Non dimittes* » *uxorem praeterquam propter fornicationem* (42). Adulterium » autem existimat coniungi matrimonio, vivo altero ex separa- » tis.... Qui autem dimissam accipit uxorem moechatur, inquit: » *Si quis enim dimiserit uxorem, moechatur ipsam*, hoc est, » cogit eam moechari. Non solum autem qui dimisit, est eius » causa, sed etiam qui eam suscepit, praebens mulieri peccandi » occasionem: si enim non suscipiat, revertetur ad virum. Quid

(42) Οὐκ ἀπολύσεις γυναῖκα πλὴν εἰ μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας. Quibus patet, Clementem allegasse Christi verba cum particula εἰ secus ac vellent nonnulli critici biblici recentiores.

» vero Lex ? ut reprimat ad vitia propensionem, iubet de medio
» tolli eam, quae adulterata et adulterii fuerit convicta : sin autem
» fuerit uxor sacerdotis, iubet eam igni tradi. Obruitur autem
» adulter quoque lapidibus, sed non in eodem loco, ne mors qui-
» dem sit eis communis. Neque vero Lex cum Evangelio pugnat,
» sed ei consentit : quidni enim cum sit utriusque unus suppe-
» ditator Dominus? Quae enim est fornicata, vivit quidem peccato,
» mortua est mandatis : quae autem ducta est poenitentia, sed
» ut quae sit regenerata per vitae conversionem, habet vitae
» regenerationem, mortua quidem vetere fornicatrice, in vi-
» tam autem rursus ingressa ea, quae genita est per poeniten-
» tiam (43).

Ideo vero integrum licet prolixum exscripsi testimonium, quia plura in eo sunt, quae ad rem nostram apprime colligamus oportet. Ex eo enim constat 1. Scripturam, novi scilicet foederis, nunquam permittere, ut coniugium libere initum dissolvatur, imo id lege vetari ; 2. clausulam exceptionalem de fornicatione intelligendam esse de sola separatione coniugum sine diremptione coniugii, alioquin non foret adulter, quicumque dimissam duxerit, secus ac Clemens absolute affirmet ; 3. adulteram dimissam ac poenitentem ad *virum* suum posse reverti, adeoque per dimissionem non solvi matrimonium, alioquin non posset amplius ille, a quo dimissa est, vocari *vir suus* seu maritus; 4. hoc intercedere inter Legem et Evangelium discrimen, quod per Legem morte reali deberet adultera plecti ; contra vero in Evangelio utpote mitiori, solum morte spirituali ac mystica per poenitentiam, ut sic possit ad virum suum reverti, ab eoque recipi ; 5. haud posse, altero ex coniugibus vivente, ad novas nuptias aditum patere.

Haec adeo perspicua sunt in allato textu, ut mirum videri debeat, quomodo Launoius (44) eiusque asseclae potuerint Clementem Alex. inter assertores dissolubilitatis connubii propter adul-

(43) Ed. Paris. 1641. pag. 424 seq.
(44) Op. cit. *De regia etc.* pag. 826.

terium afferre. Unica ratio, quae eos movit ad ita se gerendum, est, quod ipse alleget textum Matthaei, pro certo assumentes, Christum fuisse ibidem de plena dissolutione locutum : quod tamen falso ab iis assumi ostendimus.

Possem alia eiusdem Clementis testimonia urgere, quae in idem conspirant, verum his praetermissis satis mihi erit, ea quae in insequente lib. III. Stromat. cap. VI. habet, in medium afferre, ubi scilicet scribit : « Hic ipse Dominus dicit : *Quod Deus* » *coniunxit homo non separet*... Illud autem : *Non omnes ca-* » *piunt verbum hoc ; et sunt eunuchi, qui sic nati sunt ; et sunt* » *eunuchi, qui castrati sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui* » *se ipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest* » *capere capiat:* nesciunt quod, postquam de divortio esset locu- » tus, cum quidam rogassent, si sic sit causa uxoris, non expe- » dit homini uxorem ducere, tunc dixit Dominus : *Non omnes* » *capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Hoc autem qui ro- » gabant, volebant ex eo scire, an, uxore damnata et eiecta prop- » ter fornicationem, concedat aliam ducere. Aiunt autem athle- » tas quoque non paucos abstinere a venere, propter exercita- » tionem corporis continentes. Quare nec castitas est bonum et » ex virtute, nisi fiat propter dilectionem in Deum... Idem au- » tem (apostolus Paulus) illa quoque scribit : *Alligatus es uxori,* » *ne quaeras solutionem. Solutus es ab uxore, ne quaeras* » *uxorem* (45). »

Animadvertendum porro est, Clementem hic totum esse in vindicanda nuptiarum honestate et sanctitate adversus haereticos illius aetatis illas uti turpes traducentes, non ideo propterea dixisse Christum sciscitantibus : *an uxore damnata et eiecta propter fornicationem concedat aliam ducere,* id concedere ; sed potius exinde laudandi vitam continentem occasionem sumit, contrarium omnino supponens, et hac de causa adducit Christi oraculum : *Quod Deus coniunxit homo non separet,* et verba Apostoli « *Alligatus es uxori etc. ;* » ac illustrat exemplo eorum, qui

(45) Ed. cit. pag. 446. 447. et in ed. Oxoniens. tom. I. pag. 534.

variis de causis continentiam professi sunt, ut hac ratione insinuet separatos coniuges haud debere gravate ferre continentiae institutum ac necessitatem, quando tot alii ipsum servant, non quidem ex Dei dilectione, sed ex motivis humanis.

Quum vero, qui sibi vindicant Clementem Alex. nil aliud afferant ex eo nisi textum, in quo Matthaei clausula continetur, nec nisi timide cunctanterque, argumento est non dubio auctorem hunc inter praeclariores doctrinae catholicae testes et àssertores esse recensendum (46).

§. VI.

De Origene.

Eamdem quam Clemens eiusdem discipulus Origenes consectatus est doctrinam circa absolutam coniugii christiani indissolubilitatem, etiam interveniente adulterii flagitio. Nam prius ipse dispescit, quae spectant ad dimissionem uxoris quacumque ex causa, deinde exponit, quae attingunt libellum repudii. De prima quaestione affirmat, non licere nisi ex causa fornicationis uxorem dimittere ad mentem Salvatoris; de altera, quae propius àttingit rem nostram, ita disserit, ut nihil desiderari sinat circa catholicam doctrinam.

Sic enim scribit tom. XIV. in Matth. «Propter Scripturae verba, » haec quoque insuper dicenda sunt, latas fuisse quasdam leges, » non quasi praestantia aliqua et excellentia praeditas, sed quasi » ad eorem, qui subditi sunt, infirmitatem accommodatas et compo» sitas; nam aliquid eiusmodi his verbis significatur: *Moyses ad* » *duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras;* » praecipua autem legis propter duritiam cordis latae, et praestan» tissima pars in istis proponitur: *Ab initio autem non fuit sic.* Et » in novo quidem testamento quaedam horum instar sancita sunt: » *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimit*» *tere uxores vestras;* nam quasi pro cordis eorum duritie id infir-

(46) Sane nec Sixtus Senensis, nec Moshemius, nec Calvi quidpiam mussitant circa Clementem Alex. cuius auctoritatem praetermittunt.

» mitatis gratia scriptum est : *Propter fornicationem autem unus-*
» *quisque suam uxorem habeat,et unaquaeque suum virum ha-*
» *beat :* et illud : *Uxori vir debitum reddat ; similiter autem et*
» *uxor viro.* His itaque subiungitur : *Hoc autem dico secundum*
» *indulgentiam, non secundum imperium.* Quin et illud : *Mulier*
» *alligata est quanto ; tempore vir eius vivit : quod si dormierit*
» *vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino,* pro du-
» ritie cordis et infirmitate apud Paulum nobis potiora dona sec-
» tari, et beatiores effici nolentibus dictum est. Iam vero contra
» Scripturae legem, mulieri vivente viro nubere quidam eccle-
» siae rectores permiserunt, agentes contra id, quod scriptum est,
» in quo sic habetur : *Mulier alligata est, quanto tempore vir*
» *eius vivit,* et contra illud : *Igitur vivente viro mulier vocabitur*
» *adultera, si fuerit cum alio viro ;* non omnino tamen sine ra-
» tione, haec enim contra legem initio latam et scriptam, ad vi-
» tanda peiora, alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse
» verisimile est. »

« Dicet vero fortasse Iudaïcus quispiam vir ex iis, qui Sospi-
» tatoris nostri doctrinae refragari audent, Iesum ipsum, cum
» dixit : *Omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicatio-*
» *nis causa, facit eam moechari,* repudiandae uxoris potestatem
» fecisse haud secus ac Moysen, quem pro duritie cordis populi
» legem tulisse dixit : et illud : *Quia foeditatem in ea invenit,* idem
» esse dicet ac fornicationis causam, propter quam iure mulier a
» viro repudiari possit : verum huic respondendum est, etiamsi
» ex legis mandato mulier adulterii rea lapidibus necanda sit,
» non ita foeditatem esse intelligendam ; nec enim propter adulte-
» rium, vel similem aliquam turpitudinem libellus repudii scri-
» bendus est, et coniugi in manus tradendus ; sed quodlibet for-
» sitan peccatum, foeditatem nuncupasse Moysem, quod si a vi-
» ro deprehensum erit in uxore, quae gratiam coram viro non
» inveniat, libellus repudii scribitur, et e viri domo emittitur ;
» *Ab initio autem non fuit sic.* Tum vero deinde Servator nos-
» ter haudquaquam connubii solvendi propter ullum aliud
» flagitium facultatem concedens, quam solam fornicationem in

» uxore deprehensam, sic ait : *Omnis qui dimiserit uxorem* » *suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Quaeri » autem potest an uxorem repudiare non liceat, nisi in adul- » terio deprehensa sit, verbi gratia, propter veneficium, vel » quod infantem ab utroque genitum, viro peregre profecto, in- » terfecerit, vel ob aliam quamlibet caedem : quin et si adulterii » quidem insons viri domum clam diripuisse et expilasse ani- » madversa sit, rogaverit aliquis an eiusmodi uxorem ex aequo » et bono repudiabit, utpote vetante Servatore, ne quis excepta » fornicationis causa, uxorem suam repudiet ; utrobique enim » aliquod apparet absurdum, quod an revera absurdum sit » ignoro ; tanta enim pati et tolerare flagitia, quae adulterio » et scortatione peiora censeri queant, plane a ratione videbitur » esse alienum ; rursum contra Servatoris praecepta agere, » nemo est quin impium esse confiteatur. Ac proinde in animo » meo id disputo, curnam non dixit : *Nemo uxorem excepta* » *fornicationis causa repudiet;* at ait : *Qui dimiserit uxorem,* » *excepta fornicationis causa, facit eam moechari ;* qui enim » uxorem adulterii minime ream repudiat, quantum in se est, » ansam ei adulterandi praebere, nullus est qui inficias eat ; » nam *si vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro,* » et repudiata ea occasionem illi dat iterum nubendi, per id » efficit sane ut adultera sit; at quae in veneficio oppressa est, vel » caedem patravit, dimittere, utrum excusationem habeat necne, » ipse disquires : nam praeter repudium alias etiam multas adul- » terandi causas uxori vir potest praebere, maiorem puta quam » par sit, ei licentiam concedens quaecumque vult agendi, et » cum quibus libitum fuerit viris amicitiam contrahendi ; nam » virorum simplicitas uxores saepe numero in huiuscemodi pec- » cata inducit : at utrum talibus viris in eiusmodi casibus sit » necne sui excusandi locus, id super quaestionibus hoc loco » propositis diligenter a te investigatum declarabis. Is quoque, » qui uxore abstinet, efficit saepe ut adulterium committat, cum » eius libidinem non explet, etiamsi maioris sanctimoniae, vel » castitatis specie ductus id faciat : et is fortasse maiori reprehen-

» sione dignus est, qui, quantum penes se est, efficit ut moeche-
» tur libidinem eius non explens, quam qui sine causa stupri,
» sed propter veneficum, vel caedem, aut gravius aliquod faci-
» nus eam repudiavit. Quemadmodum autem adultera est uxor,
» etiamsi viro alteri nupta videatur, priore etiamnum vivo ; ita
» et virum repudiatam duxisse visum, non tam ipsius maritum,
» quam adulterum esse dicendum, a Servatore nostro demon-
» stratum est (47). »

Nunc vero integrum hunc tractum analytice expendentes, ex eo deprehendimus, quod Origenes 1. ex praestituta paulo ante perpetua coniugii christiani indissolubilitate Salvatoris verbis : *Quod Deus coniunxit, homo non separet,* pergat occurrere illi exceptioni, quae petitur ex Moysis constitutione de libello repudii, quam imperfectam esse decernit, neque datam nisi ob duritiam cordis, seu infirmitatem, prout et in novo Testamento nonnulla pariter ob idem motivum indulta sunt, quaeque enumerat ; 2. hoc semoto obstaculo, illos reprehendit arguitque episcopos, qui *contra Scripturae legem, mulieri, vivente viro, nubere permiserint,* adductis ad id Pauli sententiis : *Mulier alligata est, quanto tempore vir eius vivit ; et, vivente viro, mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro,* idque indefinite, nempe utique quacumque ex causa, adeoque etiam ob fornicationem dimissa ; 3. Iudaïzantem quemdam inducit, qui clausulam exceptionalem *nisi fornicationis causa* obiiciat, perinde ac si idem ea significetur, quod Moyses in lege dixit *foeditatem,* qua permittebatur repudium ; solvit vero obiectionem ostendens Moysem voce illa minime *adulterium* designasse, sed aliud quodcumque vitium, quo mulier non invenerit gratiam penes virum suum ; 4. cum vero ab initio sic non fuerit, Christus ad unam fornicationis causam legitimam dimittendae uxoris facultatem coarctavit ; 5. post haec, varios casus problematice proponit, ob quos videretur posse iure dimitti uxorem, et in quibus praeberet vir uxori ansam adulterandi : 6. concludit, quaecumque demum sint aut esse credantur causae

(47) Opp. ed. De la Rue tom. III. pag. 646-649. n. 23. et 24.

iustae, ob quas vir possit dimittere uxorem suam, etiam adulterio graviores, fore semper adulteram mulierem illam, quae cum dimissa fuerit, alteri viro nupserit, vivo adhuc priore, a quo dimissa est.

Ex his patet, Origenem ceu thesin firmam inconcussamque constituisse, indissolubile prorsus esse in lege christiana matrimonii vinculum, ita ut si uxor quacumque demum de causa dimissa cum alio se copulaverit, ream se adulterii constituat. Ex hoc principio incipit, eoque pariter universam suam disceptationem concludit. Ac proinde, quod consequens est, neque per alias causas quascumque, neque per fornicationem dissolvi quoad vinculum coniugium, sed solum quoad torum et cohabitationem seiungi coniuges posse, Origenes constituit. Quocirca merito Origenem inter assertores ac testes locupletissimos pariter adnumeramus catholicae doctrinae in hac quaestione.

Quid ad haec adversarii? Iamdiu Erasmus contendit, Origenem eos solos damnasse, qui Iudaeorum more alias ob causas quamvis leves dimitterent uxorem suam ad aliam ducendam praeter unicam fornicationis causam a Christo assignatam (48). Tournelyus anceps haeret, ac iuxta ipsum Origenes videtur tria adstruere 1. Licere in nova lege propter adulterium dimittere uxorem, prout licebat in lege Mosaica propter foeditatem, adeoque per plenam coniugii dissolutionem; 2. ambigere num ob veneficium aliaque flagitia possit in nova lege uxor dimitti; quod quidem dubium nullum habuisset locum, si ipse de sola dimissione quoad torum et habitationem locutus esset; 3. docere, eum qui praeter adulterium uxorem dimittit, illam coniicere in occasionem peccandi, atque idcirco supponere uxorem ob adulterium dimissam posse alteri nubere (49). Alii censent, Origenem nomine *legis* significasse *consilium*, illosque episcopos reprehendisse, quod alias ob causas, quam ob adulterium, permiserint repudia-

(48) In annot. ad I. Epist. Corinth. cap. VII. Opp. ed. cit. tom. VI. p. 693 Neque ab Erasmo abludit Calvi, qui eamdem exceptionem adoptat.

(49) *Praelect. theolog. De matrim.* cap. V. sect. 4. Concl. arg. II.

tis uxoribus iterum nubere (50) ; quod alii, paucis mutatis verbis, repetunt (51).

Ast perperam ; si enim Origenes, ut contendit Erasmus, ea sola de causa reprehendisset episcopos illos, quod ob alias causas praeter adulterium dimissis mulieribus permiserint alia inire coniugia, non protulisset verba Apostoli adversus illos utpote agentes *contra Scripturae legem*, qua alligata viro mulier est, *quanto tempore vir eius vivit*, ac adultera denunciatur, quae *vivente viro fuerit cum alio viro*. Nec obest, quod Origenes Iudaïco viro obiicienti idem Christum permisisse, quod permiserat Moyses, responderit Christum ob solam fornicationem, Moysen vero ob quodcumque aliud flagitium praeter adulterium concessisse libellum repudii ; quasi nempe ex mente Origenis Christus solutionem coniugii quoad vinculum permiserit ad eum modum, quo Moyses illam concesserat ob alios sive physicos sive morales defectus. Nam cum praemiserit, sola viri morte mulierem liberam effici ad alias ineundas nuptias, adducens testimonium Apostoli; cumque episcopos dixerit egisse contra Scripturae legem ex eo, quod permiserint vivente adhuc viro mulieribus nubere alteri viro ; cum denique ingeminaverit Christi effatum *ab initio non fuit sic*, fieri nequit, ut Origenes comparaverit, seu potius aequaverit facultatem a Christo datam dimittendi uxorem in *causa fornicationis* cum facultate concessa a Moyse ob *foeditatem* dissolvendi coniugium quoad vinculum. Restat igitur ut comparaverit tantum quoad dimissionem, seu divortium a toro et cohabitatione, alioquin sibi haud constitisset. Hinc dicamus necesse est, Origenem parallelismum haud instituisse circa *effectus divortii* concessi a Moyse et a Christo, sed solum inter *causas divortii*, quae *plures* constitutae a Moyse fuerant, *unica* vero a Christo Domino. Sic omnia componuntur ac optime cohaerent.

Atque hac ratione iam solutum pariter est dubium primum, quo anceps factus est Tournelyus.

(50) Ita auct. op. Germ. *Harmonia legum civilium Bavaricar. indulgentium divortia cum sac. Scriptura et tradit.* Bamberg. 1819. pag. 18 seqq.

(51) Uti Socher in op. Germ. *De divortio in regnis catholicis.* Landshut 1814. pag. 125-136.

Ad alterum vero dubium petitum ex eo, quod Origenes ancipitem se praebuerit quoad alias causas faciendi divortium, cuiusmodi sunt veneficium aliaque flagitia, quod, aiunt, locum habere non posset, si ipse de sola dimissione quoad torum et habitationem locutus fuisset, respondeo exinde magis patefieri Origenem non assignasse fornicationem sive adulterium uti causam solutionis vinculi coniugalis. Siquidem, si ita sensisset Origenes, facile ipsi fuisset sine ulla dubitatione in casibus sibi propositis licitam ostendere dimissionem ac separationem quoad vinculum, simulque notare discrimen quod interponitur inter solutionem a Christo concessam propter fornicationem, quae in hypothesi foret quoad vinculum, et separationem tantum quoad torum et habitationem, quam causae illae veneficii atque infanticidii expostulare videntur. Attamen Origenes, cum pro certo sumat non aliam a Christo assignari causam separationis quoad torum praeter solum casum fornicationis, ideo anceps animo haesit quoad alias causas.

Circa tertium dubium, quod nempe videatur Origenes animo pendens, num docuerit Christus, quod si quispiam praeter adulterium uxorem dimiserit, eam coniiciat in occasionem adulterii, responsio in promptu est : ideo Christus docuit ex Origene illum, qui dimittit uxorem praeter adulterii casum, eam coniicere in adulterii occasionem perinde ac per alias causas, quas vidimus ab eo commemoratas, quae se tenent potissimum ex parte viri, quia ipse iniuste illam ac sine causa dimitteret ; sed si vir dimittat ob adulterium ab uxore patratum, non viro eam eiicienti, sed solius uxoris ita dimissae malitiae illa adulteria adscribenda forent, eo ipso quod vivente adhuc marito suo, a quo eiecta est, alteri nupserit ; hoc enim in casu vir ex doctrina Christi immunis erit a flagitiis uxoris. Talem vero admittendam esse doctrinae Origenis interpretationem non obscure fatetur Tournelyus ipse, qui concludit quod Origenes « Aliunde agnoscat et fateatur, legem » Christi esse, ut mulier vivente viro alteri non nubat, nisi velit » esse adultera. »

Porro asserere, ut aliqui faciunt, Origenem per *legem* Scrip-

turarum *consilium* significasse, est violentiam inferre textui, ac immutare Origenis sententiam. Nec aliter se gerunt, qui autumant, Origenem illos perstrinxisse episcopos, eo quod ob alias causas quam propter adulterium mulieribus secundas nuptias permiserint. Nam ideo eos suggillat, quod fecerint contra expressam Apostoli doctrinam, iuxta quam mulier adultera est, quae vivente viro, cui alligata est usque ad eius obitum, fuerit cum alio viro, nulla exceptione facta (52).

Atque ut iam absolvam, quae ad Origenem spectant, dico ipsum quidem affirmare ob solam fornicationem licere uxorem, et quidem in perpetuum, dimittere ; nunquam vero asserere uxori dimissae ob fornicationem licere alteri nubere, immo contrarium constanter adstruere iuxta catholicam doctrinam, cuius se assertorem et testem exhibuit (53).

§. VII.

De S. Cypriano.

De S. Cypriani mente non est quod ambigamus ; etenim praeter quam quod nuspiam affirmavit licere aliquando viro ita dimittere uxorem suam, ut possit alteram ducere, aperte quamcumque dissolubilitatis coniugalis vinculi causam excludit.

Et quidem in libro *Testimoniorum ad Quirinum*, in quo profitetur, se praecepta et sententias Scripturarum collegisse, cum pervenit ad exponendam Christi doctrinam circa matrimonium, eam paucis his verbis complexus est. « Uxorem a viro non rece-» dere, aut si recesserit, innuptam manere ; Paulus ad Corin-

(52) Apposite Nat. Alexand. *Theol. dogm.* lib. II. *De matr.* prop. 2. ad haec quae sibi obiecit Origenis verba, resp. « Verum Origenes priscos illos episcopos » contra Scripturam permisisse ait, *dimissis coniugibus adulteris*, aliis nu-» bere ; vel permiserunt, id est impunitum reliquerunt, ob graviora mala vitan-» da, sed tamen non approbarunt. »

(53) Hac forte de causa Io. Gerhardus inter patronos divortiorum Origenem non recensuit. Insuper ex dictis elucet, quam falso affirmet Launoius, « quod » Origenes matrimonium propter adulterii crimen dirimi putet iuxta Scriptu-» ram. » Nam Origenes oppositum praecise docet.

» thios : iis autem, qui nupserunt, praecipio non ego sed Domi-
» nus, uxorem a viro non separari, si autem recesserit, manere
» innuptam, aut reconciliari viro, et virum uxorem non dimit-
» tere (54). » Quibus ostendit omnem excludi solutionis vinculi causam, ac proinde ne meminit quidem clausulae exceptionalis de fornicatione, de qua apud Matthaeum.

Et haec ex Cypriano in rem nostram attulisse sufficiat, cum aliud quod ex ipso afferri solet testimonium depromptum ex libro *De disciplina et bono pudicitiae*, sit adscriptitium ; hic enim liber ex operibus genuinis S. Martyris in criticis editionibus illius operum penitus eliminatur (55).

Caeterum quod attulimus ad institutum nostrum satis est, ut eum inter doctrinae catholicae adsertores et testes accenseamus, eo vel magis, quod adversarii ipsi aut pro causa sua omittant, aut vix quidem de S. Cypriani mente disceptent (56).

§. VIII.

De Lactantio.

Prolixior necessario erit disceptatio de Lactantio, quem adversarii omnes ad causam suam fulciendam adducunt ; catholici vero circa eius mentem ancipites sunt, aliis ultro fatentibus ipsum dissolutionis coniugalis vinculi propter adulterium assertorem fuisse, aliis vero refragantibus. Promam candide, quae ex utraque parte proferuntur ; quid deinde verisimilius censendum sit, exponam.

Itaque prius praemittamus necesse est quae scripsit *Divinarum institutionum* lib. VI. c. 23. « Haec sunt, inquit, quae ad

(54) Lib. III. n. XC. ed. Maur. Paris. 1726. pag. 326.

(55) Cf. ed. Maur. pag. II.

(56) Reipsa neque Gerhardus, neque Calvi aut Launoius eius mentionem iniiciunt. In pagellis vero theologicis Ulmiensibus 1811. recursus habetur ad vetus Caietani inventum, quod S. Cyprianus loquatur *in regula*.

» continentiam praecipiuntur a Deo ; sed tamen ne quis divina » praecepta circumscribere se putet posse, adduntur illa, ut » omnis calumnia et occasio fraudis removeatur : adulterum » esse, qui a marito eiectam duxerit, et eum, qui *praeter* » *crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat.* Disso- » ciari enim corpus et distrahi Deus noluit (57) ; » sic in *Epi-* » *tome divin. institut.* cap. LXVI. rursum scribit : « Sed sicut » foemina castitatis vinculis obligata est, ne aliud concupiscat : » ita vir eadem lege teneatur, quod Deus ex viro uxorem » unius corporis compage solidavit. Ideo praecepit, non dimitti » uxorem, nisi crimine adulterii revictam, ut nunquam coniu- » galis foederis vinculum, *nisi quod perfidia ruperit, resolva-* » *tur* (58). »

Haec quidem hoc de argumento Lactantius, ex quibus, ut innuimus, plerique contendunt, eum vere exceptionem, quae occurrit apud Matthaeum de vinculi coniugalis diremptione, accipere. Siquidem in priori textu aperte loquitur de uxoris dimissione in ordine ad aliam ducendam ; ait enim, *qui dimiserit* UT *alteram ducat*, eum vero qui hac ratione se gerit, interveniente adulterii crimine, rite id facere Lactantius pronunciat. Id magis confirmatur ex eo quod paulo ante illa sola divortia damnaverit, quae ex causa intemperantiae et libidinis fierent (59). Nec aliter dicendum de posteriori adducto textu, ubi idem auctor affirmat nunquam licere coniugalis foederis *vinculum* resolvi, nisi quod perfidia, seu fidei coniugalis laesio iam ruperit.

Hi proinde fatentur hac in sententia Lactantium fuisse, ast non magni faciendam esse eiusdem auctoritatem, utpote illius, quem pronunciavit S. Hieronymus in superstitionibus gentilium refellendis solidiorem fuisse, quam in religionis christianae dogmatibus confirmandis (60).

(57) Opp. ed. Rom. 1757. pag. 278 seq.
(58) Eiusdem ed. 1758. pag. 302 seq.
(59) In eod. capite, segm. 15 seqq.
(60) Sic enim scribit S. Doctor de Lactantio « Lactantius quasi quidam flu-

Qui vero Lactantium a caeteris catholicae doctrinae adsertoribus minime discrepare contendunt, diversimode id efficiunt. Nam sunt, qui censent, Lactantium ita scripsisse respectu habito ad leges civiles, quae aetate illa contra ius naturale et divinum alias nuptias viro dimittenti uxorem suam ob fornicationem concedebant (61). At ex contextu contrarium apparet; siquidem ipse potius civilibus legibus opponit legem divinam. Alii autem forte probabilius arbitrantur, non aliud Lactantium adductis verbis significasse, quam quod Christus Matth. XIX. docuit, nempe non licere praeter fornicationem uxorem dimittere, quin tamen concesserit, uxore hac de causa dimissa, aliam ducere (62).

Nec desunt argumenta indirecta et directa, quae id suadere videantur. Indirecta quidem petuntur tum ex eo, quod nunquam Lactantius in suis operibus vel insinuet aliquando licere propter adulterium ita dissolvi coniugium, ut fas sit aliam ducere uxorem; tum ex eo quod idem disserens de civilibus legibus comparatis cum lege divina omnimodam coniugii adstruat firmitatem, scribens: « Non enim, sicut iuris publici ratio » est (63), sola mulier adultera est, quae habet alium: mari» tus autem, etiamsi plures habeat, a crimine adulterii solutus » est. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in » corpus unum, pari iure coniungit, ut adulter habeatur quis» quis compagem corporis in diversa distraxerit (64). »

vius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit. « Epist. LVII. ad Paulinum n. 10. Opp. ed Vallars. tom. I. col. 324.

(61) Ita Iacobi in resp. ad Braun in op. cit. *Indissolubilitas vinculi matrimonial.* Sect. II. cap. I. §. 6. pag. 76.

(62) Ita Nourry in *Apparatu ad Biblioth. maxim. Patrum*, tom. II. dissert. III. in Lactant. cap. 27. art. 5.

(63) Alludit ad *leg. Iuliam de adult.*, qua mulieri non permittitur in publico iudicio accusandi facultas, etiamsi propriam iniuriam adversus coniugem expostularet. Quod non solum Lactantius hic improbrasse videtur, sed etiam pseudo-Athanas. in *Quaest. ad Antioch. ducem* ad calcem opp. S. Athanas. ed Maur. tom. II, pag. 268. item Gregorius Nanzianz., Ambrosius aliique apud Cuiaccium eod. tit.

(64) Ibid. lib. VI. *Divin. institut.* cap. XXIII. n. 24 ed. cit. pag. 274 seq.

Directa autem desumuntur ex verbis ipsis Lactantii, quae, si attentius inspiciantur, duo significant : 1. nempe *adulterum esse, qui a marito eiectam duxerit;* 2. adulterum pariter esse eum, *qui praeter adulterii crimen uxorem dimiserit, ut alteram ducat,* quibus posterioribus verbis implicite significare voluit Lactantius, eum fore reum adulterii, qui fornicationis causa, ita dimittat uxorem, ut ducat alteram, eum vero innoxium, qui hoc in casu fornicariam uxorem tantummodo dimittat, quin aliam ducat. Quibus veluti digito indicat Matthaei testimonium XIX. 9. Sane hanc, nec aliam esse Lactantii mentem in obiecto loco, colligunt ex pericope, qua concludit, quod antea dixerat : *Dissociari enim corpus et distrahi Deus noluit.* Quae conclusio praepostera ac falsa esset, si, ut contendunt adversarii, Lactantius reipsa dissolvi quoad vinculum coniugium asseruisset ob adulterii flagitium. Congruit praeterea sententia Lactantii de sola dimissione quoad torum ob adulterium cum verbis, quae ex eo descripsimus : « Divina lex ita duos in ma-» trimonium, quod est in corpus unum, pari iure coniunxit, » ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa » distraxerit. » Haec enim, cum generalia sint, nullam exceptionem admittunt, seu verius exceptionem omnem excludunt. Siquidem reipsa corporis compago in diversa distraheretur, data facultate ob adulterium alterius coniugis, alium aut aliam ducendi. Et haec quoad primum textum ex lib. VI. c. 23. *Divin. institutionum.*

Quoad alterum vero allegatum ex *Epitome* cap. LXVI. animadvertunt eruditi 1. verbum *resolvi*, quo utitur Lactantius in sensu christianae antiquitatis, haud posse accipi ad significandam veram quoad vinculum diremptionem coniugii, sed solum ad dissociationem designandam quoad habitationem et torum. Cuius rei exemplum proferunt ex conc. Foroiuliensi, quod iisdem pene verbis utitur ad solam dissociationem quoad torum significandam. Ait enim can. X. « Item placuit ut, *resoluto* » *fornicationis causa iugali vinculo*, non liceat viro, quamdiu » adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adul-

tera. » (65) Animadvertunt 2. in editione Florentina an. 1515. huius operis sic efferri obiectum textum : « Praecepit Deus non » dimitti uxorem , nisi crimine adulterii devictam , et nun- » quam coniugalis foederis vinculum , *etsi* perfidia ruperit , » resolvatur (66). »

Quae quidem si ad invicem conferantur, patet longe verisimiliorem illorum sententiam esse, qui contendunt Lactantium de sola dissolutione quoad torum et cohabitationem esse locutum, in quorum sententiam et nos concedimus, utpote qui firmioribus argumentis fulti videantur. Quin etiam arbitramur, levius nimis nonnullos Lactantium inter contrariae doctrinae patronos recensere, eumque hac de causa deserere (67), cum nihil eos ad hoc cogat, quin potius plura suadeant eum inter assertores catholicae doctrinae adnumerare. Hinc Natalis Alex., vir in antiquitatis enucleanda solertissimus, Lactantii auctoritate utitur ad adstruendam catholicam veritatem (68).

§. IX.

De Concilio Illiberitano.

Quatuor in hoc vetustissimo concilio (69) editi sunt de matrimonio canones ; sunt autem VIII. « Item foeminae, quae nulla » praecedente causa, reliquerint viros suos et se copulaverint » alteris, nec in fine accipiant communionem. » IX. « Item fi-

(65) An. 791. celebrat. apud Harduin. *Acta concil.* tom. IV. col. 859.

(66) In ed. vero Basileae an. 1532. alia habetur lectio , scilicet : « Et nun- » quam coniugalis foederis vinculum , *nisi ruperit* , resolvatur ; » ubi deest *perfidia*. Cf. fol. 138. tergo.

(67) Inter quos sunt Collet in *Tract. de matrim.* cap. V. n. 297. Liebermann. Zenger aliique ex recentioribus apud Roskovàny §. 125.

(68) *Theolog. dogm.* lib. II. *De matrim.* prop. II. Cf. etiam Martorelli op. cit. pag. 319. seq. adversus Calvi. Nec non Fred. De Mendoza qui in can. IX. conc. Illiberit. late de Lactantio disserit, eumque strenue defendit. Cf. card. De Aguirre in *Collect. max. conc. Hisp.* tom. I. pag. 392 seq.

(69) Anno iuxta card. De Aguirre 305. Nempe XIX. imp. Diocletiani, urgente adhuc persecutione. Cf. dissertat. *De tempore celebrati* huius concilii.

» delis foemina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et » alterum ducit, prohibeatur ne ducat ; si autem duxerit, non » prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit, prius de » seculo exierit ; nisi forte necessitas infirmitatis dare compule- » rit (70). » X. « Si ea, quam catechumenus reliquit, duxerit » maritum, potest ad fontem lavacri admitti. Hoc et circa foe- » minas catechumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis, » quae ducitur ab eo, qui uxorem inculpatam reliquit, et cum » scierit illum habere uxorem, quam sine causa reliquit ; pla- » cuit huic nec in finem dandam esse communionem. » LXXII. « Si qua vidua fuerit moechata, et eumdem postea habuerit » maritum ; post quinquennii tempus, acta legitima poenitentia, » placuit eam communioni reconciliari ; si alium duxerit, relic- » to illo, nec in fine dandam esse communionem : vel si fuerit » ille fidelis, quem accepit, communionem non accipiat, nisi » post decem annos, acta legitima poenitentia, nisi infirmitas » coegerit velocius dare communionem (71). »

Ex his canonibus deprehendimus, Patres Illiberitanos adversus leges Romanas, quae divortia passim permittebant (72), con-

(70) Paulo aliter hunc canonem refert card. De Aguirre, scilicet : « Item fide- » lis foemina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, *et alterum duxerit*, » non prius accipiat communionem, quam is quem *reliquit*, de seculo exierit, » nisi necessitas infirmitatis dare compulerit. » Omissis etiam verbis : *prohi- beatur ne ducat*, et *si autem*, nec non particula *forte*.

(71) Apud Harduin. *Acta concil.* tom I. col. 251. et 258.

(72) Cf. hoc de argumento Carol. Sigonium lib. I. *De antiquo iure Romano* cap. 9. Plutarch. in *Comparat. Romuli et Thesei*, atque in *Problem. Rom.* cap. 13. Item late de divortiis ex iure Rom. agunt p. Gregor. lib. IX. *Syntagn. cap.* 15. Hieronym. Magius lib. II. *Miscell.* 22. Cuiaccius ad tit. C. de *Repud.* et in Novell. 22. ut alios praetercam. Sane adhuc extant L. *Si quis mihi* 12. *De ritu nuptiar.* L. *Nuptias* 30. in princip. I. penultim. §. *Uxor* ff. *Solut. matrim.* L. *Cum vir.* 25. ff. ad Trebell. Quum vero mulier dimissa ex causa adulterii, properaret secundas nuptias contrahere, ut effugeret adulterii accusationem L. *Si postulaverit* 27 ff. ad L. *Iuliam de adult.* Martial. lib. I. epigr. 17. et lib. VI. epigr. 4. Ideo legibus cautum est, etiam nubente post divortium adultera accusari adulterii posse L. *Adulter.* 29. ff. ad L. *Iul. de adult.* L. 3. Cod. Theodos. eodem tit.

stituisse inter Christianos eiusmodi vinculi dissolutionem nullo unquam in casu locum habere posse.

Etenim in can. VIII. perpetuae excommunicationi eas subiecit, quae *nulla praecedente causa* reliquerint viros suos, seque alteris copulaverint. Ideo vero clausula illa interiecta est : *nulla praecedente causa*, quod agatur de mulieribus, quae virum suum, quamvis infidelem reliquissent, ut alteris se coniungerent, quum vetitum illa aetate esset ab infideli recedere. Poterant autem esse causae, ob quas licite virum infidelem mulieres Christianae dimitterent, ex. gr. si noluisset infidelis pacifice cum ea vivere, ac sine contumelia Creatoris ; si ipse prius discessisset, si repudium uxori fideli dedisset. His causis demptis, si mulier ab infideli se separasset ad novas ineundas nuptias, utpote adultera, hoc canone gravissima poena plectitur (73).

In canone vero IX. omnino prohibetur, quominus fidelis foemina relicto fideli marito adultero, illo adhuc vivente, alteri nubat, sub perpetuae pariter excommunicationis interminatione, utpote adulterii rea, cum quoad vinculum prius adhuc coniugium perduret (74). Exinde itidem Patet Patribus Illiberitanis persuasum fuisse coniugia Christianorum ne in casu quidem adulterii disrumpi posse.

Quod vero spectat ad can. X. omissa prima eius parte, quae agit de catechumenis, in altera parte eadem poena plectitur mulier illa Christiana, quae cum catechumeno, de quo supra, postquam suam repudiarit uxorem, nuptias fecit, et non ignoravit priorem illam mulierem sine causa eiectam fuisse (75). Porro

(73) Cf. Albaspinaeum in not. ad hunc can. ad calcem opp. Optati et Facundi Hermian. Lutetiae Paris. 1676. tom. II p. 111. nec non card. De Aguirre *Collec. max. conc. hisp.* Romae 1693. tom. I. pag. 384 seqq.

(74) Notandum porro hic est, concedi a concilio mulieribus nubere viro adultero, cum quo vivente viro et legitimo marito, rem habuisset, quod nunc prohibitum est, accedente praevia promissione, ut ne quidem post mortem mariti mulier possit cum adultero suo nuptias legitimas facere, ob impedimentum dirimens ab Ecclesia postea constitutum, quod *criminis* vocatur.

(75) Cf. Albaspinaeum in not. ad hunc canon. l. c. p. 112 qui profitetur hunc canonem esse intellectu difficilem.

illa canonis verba : *quam sine causa reliquit,* intelligenda videntur de muliere, quae licet converti noluerit, tamen cohabitare sine contumelia Creatoris volebat, quaeque ducitur non ab alio gentili, (ut in primo huius canonis casu), sed a fideli, qui eam novit sine causa, sive inculpatam a catechumeno relictam fuisse, idcirco constituerunt Patres ipsum nec in fine accipere debere communionem, tum quia contraxit matrimonium cum ea, quae adhuc legitima erat uxor catechumeni, cum eius matrimonium non dissolveretur, donec post baptismum conversus novum iniisset coniugium, tum quia, cum esset fidelis , nuptias contraxit cum gentili, quae converti ad fidem renuebat (76). Verum quaecumque demum admittatur difficilis huius canonis interpretatio, illud firmum fixumque est ab Illiberitanis Patribus constitui coniugii Christiani plenam perpetuamque indissolubilitatem.

Neque ab hac doctrina deflexit concilium in can. LXXII, in quo agitur de uxore, quae adulterium perpetrat, et defuncto marito, cum ipso adultero matrimonium contrahit. Porro si haec ipsa mulier reliquerit maritum istum secundum, et cum alio matrimonium contraxerit, seu potius attentaverit, perpetua excommunicatione multatur. Siquidem relicto illo marito, cum quo etsi illicite, valide tamen matrimonium contraxerat, alterum coniugium, durante coniugio priori, inire praesumpsit. In postrema eiusdem canonis parte merito illi, qui quamvis illicite, valide tamen cum adultera coniugium contraxerat, poena iniungitur annorum decem, si fidelis fuerit (77). Novum igitur hoc ex canone argumentum eruitur de firmitate vinculi coniugalis, quam Patres Illiberitani adstruunt, dum neque in hoc casu de ducto criminis socio, legitime seu valide alterum coniugium, illo vivente, iniri permittunt, imo perpetua excommunicatione eam,

(76) Ita rem explicat Gonzales in notis ad conc. Illiberitan. apud card. De Aguirre l. c. p. 401. ubi alias suppeditat expositiones.

(77) Ita rursus Gonzales, cui expositioni congruit summarium, seu titulus huic canoni praefixus, qui ita in omnibus codicibus exhibetur : *De viduis mocchis, si eumdem postea maritum duxerint.*

quae eiusmodi facinus attentaverit, plectunt, etsi iuxta civiles leges illius aetatis impune ac legitime id fieri posset (78).

Quarto proinde seculo ineunte in possessione erat in Ecclesia catholica doctrina de plena indissolubilitate Christiani coniugii, ac germana interpretatio verborum Christi apud Matthaeum : *Nisi ob fornicationem, et excepta fornicationis causa*, quae ad solam dimissionem uxoris adulterae ea verba coarctat, quin facultas detur novas ineundi nuptias.

Cum adeo perspicui sint hac in re canones Illiberitani concilii, mirum est nonnullos etiam inter catholicos ceu adversos catholicae doctrinae eos abiicere (79), alios vero conniti, ut in sensum omnino alienum eos detorqueant, aut saltem ut omnem iis tollant vim ad coniugii indissolubilitatem comprobandam.

Quamvis iam fuerint praeoccupata, quae ab his in medium proferuntur, non abnuimus tamen ea ad trutinam revocare. Aiunt igitur 1. can. VIII. et IX. de mulieribus tantum, non autem de viris agere ; adeoque istis permitti, ut dimissa coniuge adultera, aliam ducant (80) ; 2. eosdem canones absolutae indissolubilitati repugnare, eo vel magis, quod in Ecclesia adulterium usque ad sec. VI. causam legitimam dissolvendi vinculi coniugalis praebuerit (81) ; 3. Addunt praeterea secundas nuptias post dimissionem contractas can. IX. illicitas quidem, ast non irritas decerni (82) ; 4. si haec inhaesisset Patribus Illiberitanis sententia de vinculi perpetuitate, iussissent profecto mu-

(78) Exinde ineluctabile habetur argumentum ad evincendum ab Ecclesia constituta fuisse iure proprio impedimenta dirimenta, et quidem contra vigentem principum legislationem. Hoc concilium fortasse primum fuit, quod leges statuerit ad coniugia christiana adversus leges civiles tunc temporis receptas moderanda ; uti animadvertit Gonzales l. c.

(79) Inter quos recensentur Didacus Covarruvias in 4. 2. part. §. 6 n. 23. nec non Sixtus Senensis *Bibl. sancta* ann. 81. errore decepti ex decreto Gratiani in cap. *Si quae mulier*. Causa XXXI. q. 1. qui tribuit conc. Illiberitano canonem conc. Wermeriensis.

(80) Uti Braun. in cit. dissert. *Utrum matrimonii vinculum* etc. apud Iacobi opp. cit. *Indissolubilitas* etc. p. 120 seqq.

(81) Uti *Scholiasta Tubingensis* in *Trimestr. recens. theologica* 1821.

(82) Ibid. 821. pag. 26.

lierem, de qua est sermo, ad priorem maritum reverti, quod tamen minime fecerunt.

Verum primum facile diluitur, si ratio habeatur aetatis, qua haec constituta sunt, XIX. scilicet anno imperii Diocletiani; iam vero hic imperator lege data an. 293. divortiis valde faverat constituens ad divortium legitime faciendum sufficere *si libellus repudii per mulierem scriptus sit*, etiamsi nondum marito traditus, imo etiamsi ille id ignoraverit (83). Ut proinde huic legi, quae licentiae mulierum et abusibus latissimum aperiebat campum, Illiberitani praesules sese opponerent, hos canones statuerunt, nulla virorum iniecta mentione. Caeterum ignorare non poterant sanctissimi praesules, aequale ius in coniugio tam viris quam uxoribus competere, ut constat ex Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. ac. 1. Cor. VII. 10. et quemadmodum postea scripsit S. Basilius : « Aeque viris et mulieribus convenit secundum sententiae » consequutionem, quod a Domino pronuntiatum est (84) ».

Sic alterum exploditur, cum contra rei veritatem assumatur, quod falsum est, sive nominatim quoad canones Illiberitanos, quasi nempe faveant divortio, sive generatim quoad Ecclesiae disciplinam, quod nimirum adulterium, usque ad saeculum sextum Ecclesiae, causam divortii faciendi praebuerit. Hoc cum historia pugnat.

Tertium pariter falsum deprehenditur ex tenore canonis IX. in quo dicitur, non posse mulierem alteri nubere, nisi prius, quem reliquerat, de seculo exierit, et ex poena perpetuae excommunicationis.

Quartum demum, quod ab adversariis desideratur, concilium Illiberitanum aequivalenter edixit, dum mulieribus interdicit, ne vivente dimisso viro, alteri nuberent, iuxta illud Apostoli : *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

(83) Lib. V. tit. 17. *De repudiis et iudicio* etc. C. L. 6. « Licet repudii libel- » lus non fuerit traditus, vel cognitus marito, dissolvitur matrimonium. » Dat. 18. kal. Ian. Nicomediae CC. an. 293.

(84) Epist. CLXXXVIII. can. IX. ed. Maur. tom. III. pag. 273.

§. X.

De Concilio Arelatensi.

Haud multo post concilium Illiberitanum celebratum est in Galliis conc. Arelatense, nempe an. 314. sub Constantino imperatore in causa Caeciliani. In hoc concilio reperimus eamdem catholicam doctrinam can. X. his verbis adstructam : « De his, » qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt » adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit ut in quan» tum possit consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, » licet adulteris, alias accipiant (85). »

Duas partes hic canon complectitur ; altera declarat ius, altera vero modum seu rationem servandam in illius executione. Quoad ius traditur iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam prohibitum esse aliam ducere uxorem, adultera dimissa, dum haec in vivis degit : *et prohibentur nubere*. Quoad rationem inducendi adolescentes fideles ad hanc doctrinam sancte servandam, statuunt huius concilii Patres, ut per *consilium*, seu per exhortationem eis suadeatur, ne per novas nuptias Christi doctrinam ac praeceptum violent obtentu legum civilium, quae divortium permittebant (86).

Hanc mentem esse concilii patet, tum ex sermonis tenore, tum ex titulo seu summario eiusdem canonis : *Ut is, cuius uxor adulteravit, aliam illa vivente non accipiat* (87) ; tum denique ex eo quod si *consilium*, cuius hic mentio fit, acciperetur de re libera, ut contendunt adversarii, concilii praesules sibi contradicerent, dum quod *absolute* prius affirmant *esse prohibitum*, idem deinde *liberum* pronunciarent.

Quae cum ita sint, concidunt sua veluti sponte quaecumque excogitarunt divortiorum patroni, ut huius canonis vim elude-

(85) Apud Harduin. tom. I col. 265.

(86) Has leges paulo ante attulimus.

(87) Hi tituli antiquissimi sunt, et in omnibus codicibus reperiuntur. Lib. VIII. *Decreti* Ivonis c. 258. sub hoc titulo effertur canon noster : *Ut quantumvis adolescentes , viventibus uxoribus suis , alias non ducant.*

rent, immo vero et in rem suam converterent. Launoio enim antesignano, contendunt praeceptum quondam impositum esse ne secundas nuptias adolescentes neophythi inirent ; ab huius autem concilii Patribus in consilium versum fuisse, quod qui sequerentur bene facerent, qui vero negligerent, immunes a piaculo essent (88). Hinc extollunt prudentiam sapientia plenam, moderationemque Patrum Arelatensium (89), qui aetate illa ausi non sunt perspicue orthodoxam doctrinam proponere, ne in aperta lucta cum civili imperio invenirentur.

Ast istorum error in eo versatur, quod *consilium*, in casu de quo agitur, iunioribus dandum a Patribus edicitur, referant sive ad doctrinam, sive ad rem disciplinarem. At in utroque decipiuntur. Decipiuntur, dum illud referunt ad doctrinam, quae aperte statuitur illis verbis : *Et prohibentur nubere ;* decipiuntur pariter dum, illud referunt ad disciplinam, quasi nempe in potestate istorum esset praesulum veritatem a Christo et ab Apostolo traditam temperare in praxi et abolere. Absit. Itaque, ut diximus, refertur unice ad modum suaviter inducendi neophytos ad doctrinam evangelicam opere exequendam ; eadem ratione qua Apostolus ad Titum scribebat : « Iuvenes similiter *hortare*, ut sobri sint (90). » Ecquis porro dicet sobrietatem rem esse liberam in iuvenibus ? Ut quod contendunt adversarii evincerent, ostendere deberent, quod si adolescentes illi consilio seu adhortationi sibi datae non paruissent, a poenis in bigamos latis fuissent immunes, quod quidem nunquam efficient.

Quae subtexuere auctores isti, nil aliud sunt quam gratuitae assertiones ex anticipatis eorum iudiciis deductae sine ullo prorsus fundamento ; siquidem nullam probationem attulerunt. Adeoque contemni debent.

(88) Launoii. op. cit. pag. 827. et 1029. Braun diss. cit. apud Iacobi *De indissol.* p. 120. Ren. Leonard. Werkmeister, Scholiasta Tubingens. apud Roskovàny op. cit. §. 128.

(89) Uti Nicol. München. in *Annal. philos. et theol. cathol.* Koblenz 1838. pag. 58.

(90) Cap. II. 6.

§. XI.

De S. Basilio.

Eo maiori diligentia expendenda a nobis sunt, quae hoc de argumento scripsit S. Basilius, quo et maior est eius apud Graecos auctoritas, et difficilior quorumdam locorum interpretatio, adeo ut Basilium pro se stare contendant, tum qui pro solutione coniugii in causa adulterii pugnant, tum qui pro omnimoda indissolubilitate coniugalis vinculi decertant. Prius igitur describemus eius verba prout iacent, deinde vero in eorum sensum analytice inquiremus.

Primus locus legitur in epistola I. canonica ad Amphilochium (91), can. IX. « Aeque viris et mulieribus convenit se» cundum sententiae consequutionem quod a Domino pronun» ciatum est, non licere a matrimonio discedere, nisi ob forni» cationem. Consuetudo autem non ita se habet, sed de mulie» ribus quidem multa accurate observari deprehendimus, cum » Apostolus quidem dicat, *quod qui adhaeret meretrici, fit unum* » *corpus*. Ieremias vero *quod si fuerit mulier cum alio viro, non* » *revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur :* et iterum : » *Qui habet adulteram, stultus est et impius*. Consuetudo autem » etiam adulteros viros et in fornicationibus versantes, iubet a » mulieribus retineri. Quare quae una cum viro dimisso habitat, » nescio an possit adultera appellari. Crimen enim hic attingit » mulierem, quae virum dimisit, quanam de causa a coniugio » discesserit. Sive enim percussa plagas non ferat, ferre satius » erat, quam a coniuge separari, sive damnum in pecuniis non » ferat, ne haec quidem iusta excusatio : sin autem, quoniam ipse » vivit in fornicatione, non habemus hanc in ecclesiastica con» suetudine observationem, imo vero ab infideli viro non iussa » est mulier separari, sed propter eventum incertum remanere. » *Quid enim scis mulier an virum salvum sis factura ?* Quare, » quae reliquit, est adultera, si ad alium virum accessit : qui » autem relictus est, dignus est venia, et quae una cum eo ha-

(91) Quae in edit. Maur. est CLXXXVIII.

» bitat, non condemnatur. Sed si vir, qui ab uxore discessit, » accessit ad aliam, est et ipse adulter, quia facit ut ipsa adul- » terium committat, et quae una cum ipso habitat, est adultera » quia alienum virum ad se traduxit. »

In epistola vero II. canonica (92), can. XXI. haec habet : « Si vir una cum uxore habitans, postea matrimonio non con- » tentus, in fornicationem inciderit ; fornicatorem eum iudica- » mus, ipsumque longius producimus in impositis poenis : sed » tamen canonem non habemus, qui eum adulterii crimini subii- » ciat, si in solutam a matrimonio peccatum commissum sit : » propterea quod *adultera quidem*, inquit, *polluta polluetur, et* » *ad virum suum non revertetur*, et *qui adulteram detinet, stul-* » *tus est et impius ;* sed qui fornicatus est, non excludetur quo- » minus cum uxore habitet. Quare uxor quidem a fornicatione » revertentem virum suum excipiet : vir vero pollutam e suis » aedibus eiiciet. Atque horum quidem ratio non facilis, sed » consuetudo sic invaluit. »

Rursum ibid. can. XLVIII. « Quae a marito, scribit, relicta » est, mea quidem sententia, manere debet. Si enim Dominus » dixit : *Si quis relinquat uxorem, excepta fornicationis causa,* » *facit eam moechari ;* ex eo quod eam adulteram vocet, praeclu- » sit ei coniunctionem cum alio. Quomodo enim possit vir qui- » dem esse reus, ut adulterii causa, mulier vero inculpata, quae » adultera a Domino ob coniunctionem cum alio appellata est ? »

Demum caeteris omissis, quae vel spuria aut saltem dubia sunt (93), vel directe ad rem praesentem non faciunt (94), in

(92) Cit. edit. epist. CXCIX.

(93) Cuiusmodi est liber inscriptus *De vera virginitate*, quem reiecit editor Maurinus, d. Garnerius, inter opera spuria adscripta S. Doctori in append. ad vol. III. pag. 589. In praemisso *Monito* concedit quidem opus istud antiquum esse, sed tum ex stylo, tum ex chronologia ostendit foetum S. Basilii non esse adversus Combefisium et Dupinium. Id ipsum iam praestiterat Tillemontius *Mémoires pour servir à l'histoire Ecclés.* tom. IX. note 90. *Sur le livre de la virginitée attribué à S. Basile* pag. 685 seq. Quod fusius deinde praestitit Ceillier *Hist. génér. des auteurs Ecclésiast.* tom. VI. pag. 341 seq.

(94) Prout est quod adduci solet ex homil. VII. in Hexaëmer. §. 5. ubi *in genere* asserit S. Pater indissolubilitatem coniugii.

Regula LXXIII. scribit : « Non licet viro uxore dimissa aliam » ducere , neque fas est repudiatam a marito ab alio duci » uxorem (95). »

Animadvertimus porro testimonium, quod ex Reg. LXXIII. attulimus, esse prorsus decretorium; ibi enim S. Basilius absque haesitatione et ambage profitetur, fore adulterum sive virum sive uxorem, qui altero coniuge dimisso alterum ducat, aut alii nubat, nulla prorsus exceptione apposita. Has vero regulas digessit S. Basilius ante suum episcopatum.

Difficultas igitur excutienda remanet, quae oritur ex can. IX., atque ex can. XXI. in quo eadem ferme repetit S. Doctor, quae constituerat in can. IX. qui ambo de eodem sunt argumento.

Ut, quae constituit S. Basilius, rectius intelligamus, praemittimus, S. Doctorem agnoscere 1. in lege evangelica par ius esse tum viris tum uxoribus, idque tamquam principium inconcussum constituit dicens : *Atque viris et mulieribus convenit secundum sententiae consequutionem quod a Domino pronunciatum est, non licere a matrimonio discedere, nisi ob fornicationem* (96). 2. Asserit nihilominus consuetudinem in praxi diversam obtinere, ut viri mulieribus praeferantur, quatenus viri mulieres adulteras possint dimittere, mulieres autem viros adulteros dimittere nequeant. 3. Fatetur eiusmodi consuetudinem cum evangelio minime consentire. 4. In can. XXI. constituit aliud discrimen intercedere inter virum et mulierem circa repudium, quod vir quidem in ipso matrimonio, si cum soluta et libera peccaverit, adulterii nomine non condemnetur, sed fornicationis ; contra vero uxor in eodem peccato certissime adultera sit. 5. In can. XLVIII. uxorem a marito dimissam ab alterius spe coniugii excludit, ipso superstite.

(95) Opp. ed. cit. tom. II. pag. 308.

(96) Nat. Alexand. agens de hac S. Basilii epist. ad sec. IV cap. VI. art. 19. §. 4. dicit : « Can. IX. agit de matrimonii indissolubilitate, et sola fornicationis » causa separationem coniugum quoad torum licitam esse, decernit secundum » sententiae dominicae consequentiam. »

Itaque hic iam quaeritur, utrum S. Basilius eiusmodi consuetudinem a lege civili inductam probaverit nec ne. Natalis Alex. cum aliis affirmantem sententiam amplecti visus est, scribens : « Quod autem hanc sententiam amplexus, (ut mihi quidem vi- » detur,) fuerit S. Basilius eo excusatione dignus est, quod lo- » quebatur in obscurissima quaestione, quae tunc temporis non- » dum erat liquido disceptata (97). » Alii vero id inficiantur, atque, ut nobis videtur, longe verisimilius.

In hanc autem sententiam adducimur 1. ex eo, quod non videatur probabile eum, qui clare adeo in eodem orationis contextu professus est aequalia iura inesse viris et mulieribus in matrimonio iuxta evangelium seu Christi ipsius verba, deinde probare voluisse consuetudinem, quam ab evangelio discrepare, imo et cum ipso pugnare fatetur; 2. ex eo, quod aperte contrariam pariter doctrinam S. Pater professus fuerit in Reg. LXXXIII., nempe fore adulteros, qui dimisso alterutro coniuge eoque vivente ad alias nuptias transirent, nullo interposito plane discrimine inter virum et mulierem; incredibile porro videtur ipsum ab hoc principio recedere voluisse, ut consuetudini faveret; 3. ex eo, quod non loquatur S. Basilius de consuetudine *ecclesiastica*, sed de *usu forensi*, iuxta leges editas a Constantino M., quibus licet hic imperator ius Romanum hac in re non parum emendarit, attamen in causa divortii adhuc plus favit viris quam mulieribus (98). Iam vero S. Basilium leges eiusmodi humanas adversantes legi divinae minime probasse exploratum est. Quod si visus est quadantenus huic consuetudini favere, veniaque dignos censere viros, qui ab uxore

(97) Loc. cit.

(98) Ed. Maurinus in nota ad can. IX. haec habet : « Sequitur in hoc canone » Basilius Romanas leges, quas tamen fatetur cum evangelio minus consentire. » Lex Constantini iubet *in repudio mittendo a foemina haec sola crimina inquiri,* » *si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulchrorum dissolutorem maritum* » *suum esse probaverit.* At eadem lege viris conceditur, ut adulteras uxores di- » mittant. » Sane nuspiam constat eiusmodi consuetudinem, de qua hic est sermo, in Ecclesia viguisse. Nullum documentum illius aetatis de eiusmodi consuetudine suppetit.

relicti novas ineunt nuptias, repeti id debet ex rationibus congruentiae, quibus cohonestare aliquo modo nisus est consuetudinem per leges civiles inductam. Sane gravior est in pari casu culpa mulieris fornicantis quam viri, tum quia reddit incertum patrem, tum quia haeredem extraneum cum legitimis patris filiis commiscet, tum quia ita receptum est in communi aestimatione : 4. ex eo, quod in can. XLVI. contrarium constituat dicens : « Quae viro ad tempus ab uxore derelicto insciens nup- » sit, ac deinde dimissa est, quod prior ad ipsum reversa sit, » fornicata quidem est, sed imprudens. A matrimonio ergo non » arcebitur, sed melius est, si sic permaneat (99). » In quae verba scribit Zonaras : « Quod prius coniugium solutum mi- » nime fuerit, alteram ducendo fornicatur (100). » Censuit igitur S. Basilius virum ab uxore derelictum, si aliam ducat, moechari, et secundam mulierem ex ignorantia adulteram esse, secus ac statuerit canone IX. in quo venia dignum dixerat virum, qui derelictus ab uxore aliam duxerit. Componi autem hi canones hac ratione possunt, si dicatur S. Doctorem illam consuetudinem non probasse (101).

(99) Ep. cit. ex ed. Maur. CXCIX. p. 296. quem etiam can. refert Arcudius op. cit. cap. XXI. *De matr.* pag. 503.

(100) In hunc can.

(101) Haud ignoro Balsamonem, Zonaram et Aristenum, prout adnotat editor Maurinus ad hunc can. XLVI. aliter rem componere; aiunt enim hoc in canone S. Basilium loqui de derelictione *ad tempus;* quod si penitus vir ille dimissus et repudiatus fuisset ab uxore, mulierem illam S. Doctor non condemnasset; sic enim statuit can. IX. Sed cum matrimonium minime dissolutum censeret, quia prima uxor *ad tempus* tantum discesserat; secundam uxorem in fornicationis peccatum inscientem imprudentemque incidisse pronunciat.

Ast ex hac expositione plura sequerentur incommoda; ac 1. videretur essentiam coniugii in eo reponi, quod uxor non se *in perpetuum* separet a marito, ita ut dimissio ad tempus vinculum non dirimat, dirimat autem dimissio perpetua; quasi nempe communi consensu non possent votum castitatis emittere, quin solvatur coniugium; 2. videretur separationem eiusmodi perpetuam haud posse scindere vinculum coniugale nisi ex parte solius viri, cum dicat in can IX : *Quare quae reliquit virum est adultera, si ad alium accessit virum.* At vero intelligi nequit, quomodo perduret vinculum in muliere, solutus autem ab eo sit vir, ut alia praeteream. Cf. Martorelli op. cit. pag. 309. seu potius

Ne igitur iniurii simus S. Basilio, nec secum eumdem committamus, fateamur oportet, S. Doctorem consuetudinem illam ex lege civili inductam minime probasse, adeoque, prout legitime sequitur, ipsum iuxta legem evangelicam reipsa censuisse nullatenus sive per adulterium viri, sive per adulterium uxoris solvi coniugii vinculum, ac utrumque fore adulterum, si post dimissionem ob eiusmodi flagitium novas inierit nuptias.

Et haec quidem ex communi interpretatione. Eusebius autem Amort novam praebet: assumendo enim quod S. Basilius disserat de *consuetudine ecclesiastica*, ita enarrat canonem IX., quo S. Pater respondet interrogationi sibi ab Amphilochio propositae: *An mulier se quoad torum non separans a viro adultero, eo ipso fiat adultera, eo quod fiat unum corpus cum adultero, sicque videatur ab eo participare denominationem adulterae?* Hoc dubium non fuisse prorsus imprudens ex eo colligit, quod a pluribus ex Patribus fuerit propositum, saltem circa viros, si uxores adulteras non dimitterent. Respondet ergo Basilius: spectata praecise sententia et mente Christi, mulierem quoad ius divortii in pari conditione cum viro iudicandam esse, quamvis consuetudo mulieri separationem a viro adultero non permittat. Caeterum quod ipsum dubium quaestionis directe attinet, contestatur, se non videre, quomodo mulier viro suo ob suum adulterium venia donato cohabitans possit propterea adultera vocari: nam culpa non cohabitantem viro, sed se ab illo separantem stringit, iuxta diversam videlicet causam, ex qua se separat, v. gr. si se a viro separet ob solam castigationem, vel ob solum damnum bonorum. Si vero separet se a viro adultero, non equidem dico eam peccare; attamen id in Ecclesia fieri non consuevit; immo adeo non favet Ecclesia eiusdem separationi, ut etiam non permittat talem separationem in casu longe urgentiore; dum mulier ne ab infideli quidem separari permittitur,

Arcudium De matr. lib. VII. cap. 21. ex quo Martorelli suas mutuatus est animadversiones, qui late hoc argumentum versat, ostenditque non pauca absurda, ex Zonarae caeterorumque, qui eum secuti sunt, interpretatione dimanare; pag. 523 seqq.

idque ob incertam spem illum convertendi. Dicendum itaque : mulierem in casu adulterii mariti, non fieri adulteram, si se separet, sed tunc primum, si alteri nubit : virum autem adulterum dignum esse ut mulier innocens illi condonet culpam, et ei reconcilietur ; et si sic donata adultero venia, iterum illi cohabitet, non est culpanda ; nec tamquam adultera habenda. Si vero vir uxorem deserat, et ad aliam accedat, cum paris sit conditionis cum uxore ex sententia Christi, et ipse adulter est, quia facit eam alteram secum moechari, et ea altera quoque erit adultera, quae alienum virum ad se traducit.

Hanc paraphrasim, prosequitur hic auctor, non approbantem, sed reprobantem secundas causa adulterii separatorum coniugum nuptias, menti d. Basilii conformem esse ostendo ex ipso integro textu fideliter traducto, qui sic habet : « Domini sententia, saltem ob paritatem rationis, aeque convenit viris ac foeminis, nempe non licere matrimonialem separationem nisi ob causam fornicationis. Verumtamen consuetudo non sic habet, nam de mulieribus multam sententiarum exactitudinem invenimus, dicente Apostolo : *Qui adhaeserit mulieri, fit unum corpus :* et Ieremina : *Si fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur ;* et rursus : *Qui habet adulteram stultus est et impius.* E contra consuetudo etiam viros adulteros et in fornicatione existentes iubet a mulieribus retineri. Itaque (ut respondeam ad quaesitum) non video quomodo mulier viro (suo) dimisso (causa adulterii, eidemque reconciliata denuo,) cohabitans possit adultera reputari : nam eatenus crimen (adulterii) mulierem se a viro separantem solum attingit, quatenus se habet causa, ob quam se separat a coniugio : nam si ideo, quod percutiatur, et plagas non ferat (se separet, fit adultera), perferre magis oportuit, quam separari a coniuge. Quod si non ferat detrimentum bonorum (quae maritus dilapidat), nec sic quidem excusatione dignus est hic praetextus. Si vero (ideo se separet) quia (martius) vivit in fornicatione, non habemus hoc in consuetudine ecclesiastica ; immo etiam a viro infideli discedere prohibetur uxor, sed iubetur permanere ob

» incertam spem eventus (iuxta illud Apostoli). *Quid enim scis* » *mulier an virum salvum sic facias?* Itaque derelinquens (in tali » casu maritum, solum tunc) est adultera, si ad alium virum ac- » cedat. Vir autem (adulter) derelictus dignus est, cui uxor ig- » noscat, nec si illi (reconciliato) cohabitet, condemnatur (tam- » quam adultera). Quod si vir ab uxore (adultera) discedat, et ad » aliam accedat, etiam ipse (aeque ac uxor a viro adultero disce- » dens ac alteri viro adhaerens) est adulter, quia facit eam moe- » chari, et mulier illi cohabitans est adultera, quia alienum virum » ad se traducit (102). »

Si haec admittatur expositio, certe difficultas omnis e radice convellitur, ac doctrina Basilii, nedum ulla ratione faveat divortiorum patronis, adversatur ipsis maxime, et consona efficitur non solum canoni XLVIII. sed praeterea Ecclesiae doctrinae. Nihil vero est, quod impediat quominus admittatur, cum violenta non sit, ac offerat potius sensum planum et obvium. Utra autem seligatur expositio, nobis perinde est, quia si S. Basilius loquitur de consuetudine a legibus civilibus inducta, certe illam non approbat utpote pugnantem cum Christi verbis, et cum doctrina a se iterum iterumque tradita, adeoque non favet divortio quoad vinculum ob adulterium; si vero loquitur de consuetudine ecclesiastica, tunc agit solum de separatione quoad torum, adeoque rursum nobis non adversatur; imo et

(102) *Demonstratio critica religionis catholicae.* Venet. 1744. part. I. quaest. XV. pag. 86 seqq. Qui, ut hypothesim suam reddat caeteris expositionibus probabiliorem, animadvertit, I. S. Basilium in hac epistola respondere ad varias interrogationes Amphilochii circa dubia, quorum nonnulla Basilii mentem antea non subierant, adeoque inexpectata. Ita enim testatur in ingressu epistolae hic verbis: « Certe et nunc cum *de interrogatis tuis nunquam hactenus sollicite cogitassem,* coactus sum diligenter attendere, et, si quid a senioribus audieram, recordari, et cognata iis, quae didiceram, per me ipse ratiocinari. » 2. Non extare ipsas interrogationes Amphilochii, sed eas tantum ex ipsa Basilii responsione verisimiliter colligendas esse. 3. Et illud certum esse versiones canonis huius controversi hactenus editas, ne in ipsa quidem editione Mauriniana exactas esse. His principiis verisimiliorem illam esse putat quam ipse subiicit, nosque retulimus interpretationem.

ipsum habemus adsertorem et testem doctrinae evangelicae et apostolicae (103).

Quod vero spectat ad can. XXI. is directe ad rem nostram non facit, exhibetque sententiam prorsus singularem, quod vir nempe matrimonio vinctus non se polluat adulterio, si cum soluta fornicetur. Canon vero XLVIII. continet aperte doctrinam de indissolubilitate coniugii in viro et muliere, inservitque canoni IX. rite exponendo (104).

§ XII.

De S. Gregorio Nazianzeno.

Brevius disseremus de S. Gregorio Nazianzeno cognomento theologo S. Basilii socio et amico. Nullum dubium quin ipse doctrinam de indissolubilitate coniugalis vinculi in casu adulterii propugnaverit. Hac de causa invehitur in leges civiles, quae se se indulgentiores exhibuerint erga viros, severiores vero erga mulieres.

Sic enim loquitur oratione XXXI. « Circa hanc (quaestionem) » plerosque male affectos cerno, ac legem eorum iniquam, nec » sibi constantem. Quid enim causae fuit, cur mulierem coërce- » ret, marito contra indulgeret eumque liberumrelinqueret? Et » mulier quidem, quae improbum consilium adversus viri sui » cubile susceperit, adulterii piaculo constringatur, acerbissi- » misque legum poenis excrucietur : vir autem, qui fidem uxori » datam per adulterium violaverit, nulli supplicio obnoxius » sit ? Hanc legem haudquaquam probo, hanc *consuetudinem* » (105) minime laudo. Viri erant, qui hanc legem sanxerunt,

(103) Immerito igitur Bingham *Origin. ecclesiast.* lib. XXII. c. 5. §. 1. pag. 352. Launoius, Calvi, Braun etc. inter adversarios indissolubilitatis coniugalis foederis S. Basilium ovantes recensent.

(104) Cf. Arcudium, qui loc. cit. S. Basilii testimonium quaqua versus expendit, etsi interdum non satis criticum se exhibeat.

(105) Atque hic obiter adnoto eodem in sensu *consuetudinem* commemorare S. Greg. Nazianzenum ac S. Basilium, scilicet forensem seu civilem, non autem ecclesiasticam.

» ac propterea adversus mulieres lata est ; quandoquidem et » filios paternae potestati subiecerunt , infirmiorem sexum in- » cultum atque incuratum reliquerunt. At Deus non sic (106).» Deinde ita prosequitur : « Enim vero Lex omnes ob causas li- » bellum dat repudii. At Christus non ob omnes , sed ab impu- » dica tantum et adultera uxore viro separari permittit : reli- » quis autem omnibus rebus animi aequitate ac patientia uti iu- » bet. Ergo impudicam quidem , quia genus corrumpit et adul- » terat , expellamus : caetera omnia patienter moderate et sa- » pienter feramus, aut , ut rectius loquar , sapienter et mode- » rate ferte , quicumque matrimonii iugum subiistis (107). »

Haec praecipua sunt, quae ex Gregorio Nazianzeno ad argumentum nostrum referuntur (108) : ex his vero discimus 1. ab eo improbari leges civiles , quae divortium viris indulgebant ; 2. eum affirmare quidem licite posse viros in causa adulterii uxores suas eiicere , seu se ab illis separare , sed neque hic neque alibi unquam adiicere, posse uxoribus ob fornicationem dimissis alias ducere ; 3. antithesin ab ipso institutam inter causas a lege Mosaica assignatas ad divortium faciendum , et unicam a Christo constitutam , coërceri ad causas dimissionis

(106) Opp. ed. Paris. 1630. tom. I. pag. 499-500.

(107) Ibid. pag. 501.

(108) Nam quae ex epist. CCXI. et ex carm : II. *De Virginib.* afferuntur, legum tantum civilium de divortio improbant sanctionem, ac in genere indissolubilitatem coniugii constituunt. Nam in epist. cit. legitur : « Equidem liben- » tissime consilium dedissem filio meo Upriano , ut multa eorum , quae in » medio interiecta sunt, praetercurreret , qui divortium ratum non faceret : » quod legibus nostris omnino displicet : tametsi Romanorum leges aliter iu- » dicent ; » quibus videtur S. Gregorius leges ecclesiasticas, quibus reprobantur divortia, legibus civilibus opponere, quae illa permittunt.

In carmine autem *De Virgin.* exponens coniugii incommoda , inter caetera canit :

Foemina non parva mercatur dote maritum ,
Quodque etiam gravius , vitiosum saepe et inertem.
Rursus emenda viro coniunx , nec moribus illa
Praedita saepe bonis, quaesita attractaque pestis,
Pestis, quam nulla liceat ratione fugare.

seu separationis a toro et cohabitatione, minime vero ad diremptionem coniugalis vinculi extendi. Exinde patet, Gregorium clausulam exceptionalem *nisi ob fornicationem* retulisse ad priorem partem, non autem ad posteriorem, *et alteram duxerit*.

Qui proinde, Launoio duce, S. Gregorium Nazianzenum ad suas partes trahere connituntur, eius abutuntur auctoritate et incautos fallunt (109). Cum enim ipse absolutam coniugii firmitatem constanter praedicet, nec unquam post alterutrius coniugis adulteri dimissionem, vel insinuet, quidem posse novum iniri coniugium, aperte contra eius mentem faciunt, qui eum ut divortii patronum vellent traducere. Praeterea addo, nonnisi praepostere ab adversariis dubium moveri, num ea antithesis inter veterem et novam legem ad causas dimissionis an vero ad causas perfecti divortii referatur, cum notum sit potius S. Doctorem rigidum forte plus aequo se patefecisse in secundis et tertiis nuptiis successivis permittendis, ut suo loco vidimus (110). Quanto magis itaque dicendum est eum alienum omnino fuisse a permittendo alio coniugio, vivente adhuc altero coniuge (111)? Cum autem adversarii hic timide agant, neque aliud ad affirmandam Gregorii theologi sententiam urgeant argumentum, ideo non est quod praeterea adiiciamus.

(109) Laun. op. et loc. cit. pag. 830. Braun Dissert. cit. apud Iacobi *Indissolubilitas vinculi matr.* pag. 79. 80. *Pagellae theolog. Linzenses* Linz. 1808. Contra vero maiori prudentia Sixtus Senensis, Gerhardus, Calvi eum omiserunt.

(110) Ubi descripsimus eius verba ex hac ipsa oratione deprompta, cum disserens de secundo, tertio et quarto successivo coniugio ait: « Primum lex » est, secundum venia et indulgentia, tertium *iniquitas*. Qui autem hunc nu» merum excedit *porcinus* plane est, utpote ne multa quidem vitii exempla » habens. »

(111) Cf. Arcudium loc. cit. nec non Nat. Alex. qui loc. cit. refert S. Gregorium inter propugnatores indissolubilitatis; idque merito: nam explorata eius sententia est.

§ XIII.

De S. Ambrosio.

Priusquam S. Doctoris proferamus sententiam, sedulo verum Ambrosium ab ementito Ambrosio sive Hilario diacono Luciferiano, qui sub Ambrosii nomine commentaria edidit in Pauli epistolas, secernamus oportet. Qua ratione alter hic auctor exponi debeat, postea dicemus; interim, quae de re nostra verus docuit Ambrosius, iam subiicimus.

In *Exposit. in Lucam* lib. VIII. his verbis mentem suam aperit : « *Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram,* » *moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Prius di- » cendum arbitror de lege coniugii, ut postea de prohibendo di- » vortio disputemus. » Exposita autem priori parte de coniugiis infidelium, ac fidelium cum infidelibus, quae a Deo non esse ait, adeoque posse aliquando dissolvi, pergit ad alteram partem dicens : « Ergo ubi nuptiae, harmonia ; ubi harmonia, Deus iun- » git. Ubi harmonia non est, pugna atque dissensio est , quae » non est a Deo, quia *Deus charitas est.* Noli ergo uxorem di- » mittere, ne Deum tuae copulae diffitearis auctorem. Etenim » si alienos, multo magis uxoris debes tolerare et emendare » mores. Audi quid dixerit Dominus : *Qui dimittit mulierem,* » *facit eam moechari.* Etenim cui non licet vivente viro, mutare » coniugium, potest obrepere libido peccandi. Itaque qui auctor » erroris, etiam reus culpae est.... Dimittis ergo uxorem quasi » iure, sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana » non prohibet : sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, » Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam, qui » leges ferunt : *Quae Deus coniunxit, homo non separet.* Sed non » solum hic coeleste praeceptum, sed quoddam etiam opus Dei » solvitur. Paterisne , oro , liberos tuos vivente te esse sub vi- » trico , aut incolumi matre, degere sub noverca? Pone, si re- » pudiata non nubat. Et haec viro tibi debuit displicere, cui » adultero fidem servat? Pone, si nubat. Necessitatis illius

» tuum crimen est : et coniugium quod putas, adulterium est. » Quid enim refert, utrum id aperta criminis confessione, an » mariti specie adulter admittas ; nisi quod gravius est legem » criminis fecisse, quam furtum ? Sed fortasse dicet aliquis : » *Quomodo Moïses mandavit dari librum repudii, et dimittere* » *uxorem?* Qui hoc dicit, Iudaeus est. Qui hoc dicit, christianus » non est. Et ideo, quia hoc obiicit, quod obiectum est Domino, » respondeat ei Dominus : *Ad duritiam,* inquit, *cordis vestri* » *permisit vobis Moïses dare librum repudii, et dimittere uxores ;* » *ab initio non fuit sic.* Moïses permisit, inquit, non Deus iussit : » ab initio autem Dei lex est. Quae est lex Dei? *Relinquet homo* » *patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt ambo* » *in carne una.* Ergo qui dimittit uxorem, carnem suam scindit, » dividit corpus... Tamen quia supra proposuit regnum Dei » evangelizare, et cum dixisset de lege unum apicem non posse » cadere, subiecit : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit* » *alteram, moechatur* (112). Recte admonet Apostolus dicens : » *Sacramentum hoc magnum esse de Christo et Ecclesia* » (113). »

Et iterum lib. I. *de Abraham* c. IV. « Sed et vos moneo, viri, » maxime qui ad gratiam Domini tenditis, non commisceri adul- » terino corpori, (qui enim se iungit meretrici unum corpus est), » nec dare hanc occasionem divortii mulieribus. Nemo sibi » blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium » est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quae » ab uxore debetur, castimonia. Quidquid in eam, quae non sit » legitima uxor, commissum fuerit, adulterii damnatur crimine » (114). » Alia omitto, quae in eumdem sensum ibidem scribit cap. VII. ubi expresse inquit : « Nulli licet scire mulierem prae- » ter uxorem. Ideoque, coniugii tibi datum est ius, ne in laqueum,

(112) Ex his Ambrosii verbis illustratur, quod superius animadvertimus, in Evangelio Lucae hanc sententiam cum praecedentibus, quae habentur, verbis Christi Domini connecti.

(113) Op. ed. Maur. tom. I. col. 1470-1472. a. n. 2. ad. 9.

(114) Ibid. col. 291. n. 25.

» incidas, et cum aliena muliere delinquas. Vinctus es uxori : » noli quaerere solutionem; quia non licet tibi, uxore vivente, » uxorem ducere. Nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, » crimen est adulterii, hoc gravius, quod putas peccato tuo auc- » toritatem lege querendam. Tolerabilior est, si lateat culpa, » quam si culpae usurpetur auctoritas. Nec hoc solum est adul- » terium, cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet » potestatem coniugii (115) »

Haec quidem S. Ambrosius, unde discimus 1. Eum loqui non de sola dimissione quoad torum, verum etiam de solutione quoad vinculum, quam quidem damnat eo quod adversetur Deo auctori coniugii. 2. Insuper ex Christi verbis inferre eum, qui sic propriam uxorem dimittit, reum esse criminis adulterii uxoris dimissae, si haec novas contrahat nuptias. 3. Leges civiles quae viris divortium permittunt, opponere legi divinae, quae illud prohibet, idque in utraque hypothesi sive dimissa uxor nubat, sive non nubat alteri. 4. Solvere difficultatem ex permissione Moïsis petitam dandi libellum repudii, quam obolitam in lege evangelica docet per revocationem coniugii ad primordialem Dei legem de indissolubilitate coniugii. 5. Idque demum confirmare tum absoluta Christi apud Lucam sententia, tum Apostoli effato de significatione, quam prae se fert coniugium, unionis Christi cum Ecclesia, quae est prorsus indissolubilis. In libro vero de Abraham eamdem confirmat S. Pater doctrinam, ubi insolubile in omni casu declarat coniugium, statuitque contra humanas seu civiles leges, paria iura sive in viro sive in muliere. Eius proinde mens non poterat clarioribus verbis exponi. Hinc patet quam improvide Erasmus, Launoius, caeterique divortii assertores pro causa sua Ambrosium laudent.

Verum quid dicendum de Hilario Diacono Luciferiano, qui Ambrosianus nuncupatur (116) ? Eius verba in comment. in 1.

(115) Ibid col. 301. 302. n. 59.

(116) Mirum est Erasmum alioquin sagacem et hypercriticum potuisse ad firmandam doctrinam suam ad hunc auctorem, quasi ad S. Ambrosium appellare in suis adnottat. in cap. VII. ep. I. ad Cor. pag. 690. cit. ed. scribens : « Divus »Ambrosius, sine controversia vir, non orthodoxus modo, verum etiam probatae

ad Cor. VII. haec sunt : « Postquam innuptis et viduis loqu-
» tus est (Apostolus), hos alloquitur, qui matrimonio iuncti
» sunt ore dominico : *Uxorem a viro non discedere; quod si dis-*
» *cesserit, manere innuptam.* Hoc Apostoli consilium est, ut si
» discesserit propter malam conversationem viri, iam innupta
» maneat. *Aut viro suo reconciliari.* Quod si continere se, inquit,
» non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro recon-
» cilietur; non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum
» suum causa fornicationis dimiserit, aut apostasiae, aut si illicita
» impellente lascivia, usum quaerat uxoris; quia inferior non
» omnino hac lege utitur qua potior. Si tamen apostataverit vir,
» aut usum quaerat uxoris invertere, nec alii potest nubere mu-
» lier, nec reverti ad illum. *Et virum uxorem non dimittere.*
» Subauditur autem *excepta fornicationis causa.* Et ideo non
» subiecit dicens, sicut de muliere : quod si discesserit, manere
» sic : quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem pec-
» cantem : quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier; ca-
» put enim mulieris vir est (117). »

Vix solliciti esse deberemus de huius pseudo-Ambrosii sententia, qui in pluribus aliis lapsus est (118). Verum cum agatur de auctore antiquo (119), cuius auctoritate non pauci veteres ad rem suam usi sunt (120), praestat in eius germanam

» sanctimoniae, tribuit viro ius ducendi alteram uxorem, ubi priorem ob culpam
» admissam repudiavit. Neque dubium est, quin is episcopus exercuerit in suis,
» quod recte iureque fieri scripsit. » Ac silentio pressit, quae verus Ambrosius in evang. S. Lucae contrarium omnino edixit.

(117) Op. cit. ed. tom. II. in append. col. 133.

(118) Cf. *Admonitionem* ab editorib. Maurin. praefixam his commentariis.

(119) Vixit enim sub Damaso Rom. pontifice, ut ipsemet profitetur in cap. III. epist. I. ad Timoth. dicens : « Cuius hodie rector est Damasus. » Porro Damasus vita functus est an. 384.

(120) Iam a sec. IX. Hincmarus, ecclesia Lugdunensis, concilium Aquisgranense III., Amalarius, Prudentius, Haymo, aliique passim ad haec commentaria provocaverunt. Eadem S. Ambrosio tribuerunt Gratianus, Petrus Lombardus, Ivo Carnotensis, S. Thomas ibid. Ita etiam Sixtus Senensis op. cit. loc. cit. qui propterea eum una cum Tertulliano inter auctores recenset, qui *certa et indubitata ratione* utriusque repudii, convictus scilicet et vinculi, licentiam probarunt.

mentem inquirere, dum affirmat : « Viro licet ducere uxorem, » si dimiserit uxorem peccantem. » Sunt, qui verba haec velint intelligenda esse de sola dimissione quoad torum; ast hunc sensum contextus excludit. Longe verisimilior illorum videtur interpretatio, qui illum loqui aiunt de eo quod permittebant tunc temporis civiles leges, ad quas etiam interdum Patres alludunt, quin tamen eas approbet, prout nec Patres approbarunt, imo illis constanter legem divinam opposuerunt.

Verisimiliorem hanc reddunt expositionem verba ipsius sive praecedentia sive subsequentia, ait enim : « Non permittitur » mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimi- » serit... quia inferior non omnino hac lege utitur qua potior » scilicet vir, tum ex insequentibus : « Quia non ita lege constrin- » gitur vir, sicut mulier, caput enim mulieris vir est. » Iam vero quaenam lex extitit praeter civilem, quae non permitteret mulieri, quod viris permittebat (121)? Profecto Christus Marc. X. in pari conditione constituit tum virum tum mulierem, prout aequalia iura utrique tribuit in coniugio Apostolus 1. Cor. VII. 3. 4. Hanc interpretationem pluribus adstruit eruditus vir Ferdinandus de Mendoza (122). Qua posita, omnis evanescit difficultas.

§. XIV.

De S. Epiphanio.

Dum oppugnatores catholicae doctrinae de S. Epiphanii auctoritate exultant, quod tandem aliquando assertorem suae sen-

(121) Talis erat lex *Iulia*, quae ius accusandi uxores adulteras, easque dimittendi maritis concessit, uxoribus vero accusandi maritos adulteros ius negavit, ut imperatores Severus et Antoninus rescripserunt ad Cassianum (in h. l. c. ad legem Iuliam *De adult.*) « Publico indicio, inquiunt, non habere mulieres » adulterii accusationes, quamvis de matrimonio suo violato quaeri velint, lex » Iulia declarat, quae, cum masculis iure mariti accusandi facultatem detulis- » set, non idem foeminis privilegium detulit. »

(122) *De concilio Illiberitano confirmando ad* Clementem VIII. libri tres. lib.

tentiae nacti fuerint, non pauci catholici scriptores aut fatentur aperte eum hac in re a veritatis tramite declinasse, aut saltem corruptum esse textum, qui ex eo affertur. Verum nec habent illi, de quo exultent sibique blandiantur, nec isti, quo S. Patrem debeant adversariis cedere, aut corruptum esse textum causari. Quod ut evincamus, prius iuxta methodum, quam hactenus tenuimus, integrum eius textum promemus, deinde analysin eiusdem instituemus, ut sinceram eius doctrinam cum evangelica et apostolica omnino consentire ostendamus.

Haec itaque sunt S. Epiphanii verba Haeres. LIX. « Ita profecto sese res habet, ut post Christi in orbem terrarum adventum eos omnes, qui post priores nuptias mortua uxore alteris se nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina reiiciat... In populo, propter eius imbecillitatem tolerari istud potest, ut qui uxore prima contenti esse non possunt, ea mortua, secundam sibi copulent. Quamquam qui unam dumtaxat habuit, maiori Ecclesiae iudicio honore dignus est. Sed cui mortua una non sufficit, cum occasione aliqua stupri adulteriique, aut alterius flagitii, cum ea divortium fecerit, is si alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum Litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit; neque ab Ecclesia aut aeterna vita reiicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat. Non ita tamen duas ut altera superstite uxores simul habeat, sed ut ab una separatus, alteram sibi legitime, si lubet, adiungat. Quamobrem erga eiusmodi hominem tam divinus sermo, quam Ecclesia Dei misericordiam adhibet; praesertim si caeteris in rebus religiosus ille sit, et ad divinae legis praescriptum vitae suae rationes accommodet. Quod nisi ita esset, nunquam viduis Apostolus dixisset: *Nubant, filios procreent, familiis praesint.* Sed neque de ho-

II. ad can. IX. cap. XX. in *Collect. max. conc. Hispan.* card. De Aguirre tom. I. pag. 389 seqq.

Necesse proinde non est ut cum Gratiano, Petro Lombardo, Bellarmino aliisque recurramus ad huius textus depravationem. Ipsi enim pro genuino S. Ambrosii foetu hos commentarios habuerunt.

» mine illo, qui patris uxorem duxerat, ob idque *Satanae in* » *interitum carnis traditus fuerat*, ita loqueretur; *Ut spiritus* » *salvus sit in die Domini*. Neque illud usurparet... *Cui aliquid* » *donastis, et ego : Quoniam si quid donavi, propter vos donavi* » *in facie Christi, ne circumveniamur a Satana, neque enim il-* » *lius astutias ignoramus*. Vides ut poenitentiae locum etiam » post delicta concedat (123)? » Deinde paulo post subdit : « Illud quidem constat : nemini fraudi esse poenitentiam, ne- » que quem peccatorum omnium poenitet, reiici aut excludi. » Quanto ergo magis idem ei tribuendum est, qui cum altera » uxore legitimis sese nuptiis illigarit? Nam ut prima uxor a » Deo constituta est, ita imbecillitati hominum posterior indulta. » Quod si alteram praeterea sibi copulet, huius hac in parte to- » leratur infirmitas. Scriptum est enim : *Mulier alligata est* » *nuptiis, quanto tempore vivit vir eius : sin autem mortuus* » *fuerit vir, libera est ; cui vult nubere*. Quo quidem declarat, » post viri obitum ab omni illam peccato liberam esse : adeo ut » contradicere nemo possit. Quod hoc addito significavit, *in* » *Domino*, quasi minime a Domino sit aliena, quae post viri » obitum alteri se viro coniunxerit : ut nec illum vicissim, qui » uxore mortua sese ad secundam applicarit. *Tantum in Do-* » *mino*, ait Apostolus. Addit tamen : *Beatior autem est, si sic* » *manserit*. Illud autem *in Domino*, idem est ac non in stupro, » aut adulterio, violationeque matrimoniorum : sed in fiducia, » et honestis nuptiis persistere (124). »

Ut pateat adversariis nulla ratione eiusmodi textum favere, satis est animadvertere ad scopum, quem S. Epiphanius sibi proposuit. Agit adversus Catharos seu Novatianos, qui tum poenitentiam denegabant lapsis in graviora peccata post baptismum, tum secundas nuptias post obitum alterius coniugis damnabant. Totus proinde est S. Epiphanius in utroque errore refellendo. Praeterea, cum iam obtineret in aliquibus Occidentis ecclesiis, et propagaretur pedetentim apud Orientales rigidior

(123) Ed. Petav. cap. IV. pag. 496 seq.

(124) Ibid. cap. VI. pag. 498. seq.

disciplina, qua poenitentiam solemnem obeuntibus facultas denegabatur novas nuptias ineundi, quamdiu haec perduraret, aut etiam in perpetuum, si perpetuae poenitentiae fuissent addicti (125); hinc S. Epiphanius ostendit laicis hominibus indiscriminatim omnibus, post prioris coniugis mortem interdictas non esse secundas nuptias, ne iis quidem exceptis maritis, qui ob propriam sive adulterii sive alterius flagitii culpam a sua priori coniuge separati fuissent, aut stadium publicae poenitentiae percurrerent.

His notionibus praemissis, ex allato testimonio comperimus S. Epiphanium docere 1. Solis presbyteris et diaconis interdictas fuisse secundas nuptias post prioris uxoris obitum; 2. has vero, spectata communi fragilitate, hominibus laicis indultas esse; 3. et hoc etiamsi alteruter coniux adulterio aut alio crimine se commaculaverit, ac divortium ab altero fecerit, poenitentiaeque fuerit addictus, post mortem alterius coniugis; 4. ast altero adhuc superstite novas iungere nuptias nefas esse; 5. atque haec evincere auctoritate Apostoli, qui viduis permittit novum coniugium, et incesto Corinthio veniam ac poenitentiam post delicta indulget; 6. confirmat demum hanc doctrinam et praxim ecclesiae orientalis praesertim, aliis argumentis, quibus ostendit, ita fieri ex quadam erga humanam infirmitatem indulgentia, ne in stupra ac adulteria ex Novatianorum duritie quis incideret, adeoque ita explicare illud *in Domino* eiusdem Apostoli.

Ex his patet verba illa, quae prima fronte difficultatem facessere videntur : *Cum occasione aliqua stupri adulteriique, aut*

(125) Cf. Morinum *De poenitentia* lib. V. c. 18. 19. 20. 21. ubi fuse ostendit iam a sec. IV poenitentibus nuptias fuisse prohibitas, praesertim in ecclesia Latina, non tamen in ecclesia Graeca. Caeteris praetermissis conc. Arelatense II. cap. 21. statuit : « Poenitentes, quae defuncto viro, alii nubere praesumpserint, cum eodem ab Ecclesiae liminibus arceantur. Hoc etiam de viro in poenitentia posito placuit observari. » Celebratum porro est hoc concilium an. 330. adeoque ante Epiphanium. Itaque facile potuit Epiphanius, qui in ecclesia Graeca florebat, et in qua eiusmodi disciplina non obtinebat, ad hunc ecclesiae occidentalis rigorem alludere, eumque in adducto loco arcere ab ecclesia Graeca.

ulterius flagitii cum ea divortium fecerit etc. intelligi debere de divortio antea facto cum coniuge, quae dein est defuncta, ut declarant, quae immediate praecedunt : *Si cui mortua una non sufficit :* sic pariter alia verba : *sed ut ab una separatus, alteram sibi legitime, si lubet, adiungat*, intelligenda esse, altero defuncto, cum expresse praemiserit : *Non ita tamen duas ut altera superstite uxores simul habeat.* Hinc sensus exurgit : *Ubi ab una separatus* (per mortem) *alteram sibi legitime, si lubet, adiungat.* Ita omnia plana sunt, congruit scopus, orationis series, ac testimonia biblica ab ipso allegata (126).

Id agnoverunt vel ipsi doctrinae catholicae adversarii, cuiusmodi sunt Io. Gerhardus celebris Lutheranus, qui cum exposuisset S. Epiphanium de solutione coniugii propter adulterium, adiecit : « Neque tamen huic Epiphanii loco admodum confidi- » mus (127); » et Fridericus Liebetrut, qui Ludovico Gieseler e loco Epiphanii pro praxi ecclesiae Lutheranae dirimendi coniugia argumentum depromenti, calculum suum non adiecit (128).

Quapropter, ut innuimus, necesse non est, ut cum Petavio confugiamus ad corruptionem textus, aut ad eius emendationem, qua contra S. Patris mentem potius statueretur coniugii dissolubilitas, quam ab eo eruditus vir reipsa eum doceri censuit (129). Cuius animadversionis praetextu Io. Batz cum nonnullis

(126) Cf. Amort Op. cit. pag. 87.

(127). Op. et loc. cit. pag. 148. Ubi etiam notandum hunc auctorem, ut ad suam sententiam Epiphanium pertraheret, praemisisse locum prout iacet esse corruptum, eiusque verba non *coniunctim* sed *divisim* accipi debere, « Quod » licitum sit, ut ipse loquitur, secundum matrimonium, si *vel morte, vel propter* » adulterum matrimonium fuerit solutum ; alias verba illa : ἕνεκεν πορνείας » χωρισθοῦ γενομένου, continerent limitationem, quasi tum demum post mor- » tem uxoris licitum sit matrimonium, si ob fornicationem facta fuisset sepa- » ratio. »

(128) In op Germ. *Matrimonium iuxta naturam suam, et historic. explicat.* Berolin. 1831. p. 205. apud Roskovàny op. cit. 238.

(129) Sic enim scribit vir doctus tom. II. pag. 254. inanimadv. ad hunc loc. Baeres. LIX. « Depravatus sine dubio iste locus est. Nam quae proxime sequun- » tur, evidenter demonstrant id Epiphanium velle : licere non modo post con- » iugis mortem; sed eo quoque superstite, si causa legitima quaepiam interces-

aliis concludit, Petavium corrigendo Epiphanii locum, eumdem pro divortiis classicum effecisse (130). Alii emendatione quidem hunc ipsum Epiphanii textum egere fassi sunt, sed diverso prorsus sensu, nempe ad declinandam difficultatem, quam ipsius S. Patris verba prae se ferre videntur contra sanam Ecclesiae doctrinam (131). Verum his non indigemus, cum ex dictis, S. Epiphanius nullatenus ab evangelica et apostolica doctrina discrepet, eiusque mens satis aperta sit; eo vel magis quod in adversariorum sententia non solum a scopo ipse aberrasset, sed agens adversus Novatianos nova nec necessaria aliarum nuptiarum libertate, vivente adhuc altero coniuge, illos insectatus fuisset, qui ab hac libertate adeo abhorrebant, ut nollent quidem, post mortem alterius coniugis, superstiti secundum coniugium permittere.

» serit, alteras inire nuptias. Nam si de secundis dumtaxat post mortem ageret, » quorsum haec adiicerit : *ob aliquam stupri, adulterii, vel alterius flagitii cau-* » *sam?* Quocirca non dubito quin ita corrigendum sit : τελευτησάσῃ ἢ ἕνεκέν » τινος etc. Ut duo sint digamiae genera : primum uxore mortua, secundum post » divortium, altera sibi copulata. » Ast evidens potius contrarium esse deprehenditur. Ratio vero quare S. Pater adiecerit *ob aliquam stupri, adulterii vel alterius flagitii causam*, a nobis assignata est. Alioquin nimis probaret Epiphanii textus, quam vellent adversarii, nimirum praeter adulterii crimen alias causas fore, ob quas dirimi coniugii vinculum posset.

(130) Batz op. cit.

(131) Marcellinus Malkenbuhr existimat solam parenthesim fuisse interpolatam. Henricus Klee censet interpolationem provenisse ex nota marginali, quae in textum irrepserit. Ibid. p. 285.

Arcudius op. et loc. cit. pag. 615. non admodum a nostra expositione abludit; etenim S. Epiphanii textum ita enarrat, ut sensus sit : qui non sat habuit unam duxisse uxorem, quae iam sit mortua, ob aliquam scortationem, aut adulterium, id est, quod timeat ne fiat adulter, si a novo coniugio abstinuerit, iste poterit cum secunda coniungi, neque divina Scriptura eum in hac re accusat, vel reprehendit.

Nourryus in *Apparatu ad Biblioth. SS. Patr.* Dissert. IV. art. 24. etsi fateatur difficultatem in loco Epiphanii contineri, tamen verisimilius esse censet Epiphanium de nuptiis post coniugis mortem disputare. Tom. I. pag. 67.

§. XV.

De S. Ioanne Chrysostomo.

Accurate expendenti doctrinam, quam constanter S. Io. Chrysostomus tuetur de plena ac perpetua coniugalis vinculi firmitate, atque indissolubilitate omnimoda, illico apparebit, eum merito accensendum inter praecipuos catholicae, quam adstruimus, doctrinae propugnatores et assertores. Quamvis enim adversarii maxime vellent eum facultatem ineundi novas nuptias post dimissionem adulterii causa concedere, nuspiam tamen ac nunquam id in eius scriptis reperire potuerunt, nobisque obiicere. Quin potius invenimus S. Doctorem ea principia constituere, ut oppositam doctrinam de dissolubilitate excludant.

Praecipui eius textus hac in re sunt qui sequuntur: 1. ex Homil. XVII. in Matth. ubi scribit: « Perpende autem illum » (Christum) semper ad virum sermonem referre. *Qui dimittit,* » inquit, *uxorem suam, facit eam moechari; et qui dimissam* » *ducit, moechatur.* Ille enim etsi alteram non duxerit, hoc ipso » se criminis reum constituit, quod eam adulteram faciat; hic » vero, quod alienam ducat, moechus et ipse fit. Ne mihi enim » dicas, ille eiecit. Nam eiecta adhuc manet eiicientis uxor. » Deinde ne totum coniiciens in eiicientem, arrogantiorem fa» ceret uxorem, ipsam accipere volenti ianuam claudit dicens: » *Qui dimissam duxerit, moechatur*, uxorem vel invitam pu» dicam reddens, et ad alium virum aditum ipsi claudens, nec » permittens simultatis ansam praebere... Non hoc vero tan» tum, sed alio quoque modo legem fecit levem. Nam relin» quit ei unum repudii modum, dicens; *excepta causa fornica*» *tionis*. Siquidem in eadem perstat decori ratione. Si enim » iussisset cum pluribus mixtam retinere, rursus in adulterium » res convertebatur (132). »

(132) N. 4. pag. 227. 228 ed. Maur.

2. Homil. LXII. in Matth. « Tu vero, inquit, mihi consideres velim interrogationis malignitatem. Non enim dixerunt ei : iussisti uxorem non dimittere ; iam enim de hac lege diseruerat... Quomodo ergo illis respondet ? *Non legistis, quia qui fecit hominem, masculum et foeminam fecit eos ? et dixit : Propterea relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Vide sapientiam Magistri : interrogatus enim, *si licet*, non statim dicit, non licet, ne perturbarentur. Sed antequam sententiam diceret, per apparatum illum id liquido statuit, ostendens Patris sui esse praeceptum, nec Moysi adversantem se hoc praecepisse... Sicut ergo carnem secare scelestum est, ita et uxorem dirimere iniquum. Neque hic stetit, sed Deum quoque attulit dicens : *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*, ostendens illud et contra naturam et contra legem esse ; contra naturam, quia una caro dissecatur ; contra legem, quia cum Deus coniunxerit, et iusserit non separare, vos id facere tentatis (133). »

3. Sumitur testimonium ex Serm. de libello repudii : « Igitur quaenam est lex illa, quam nobis Paulus posuit ? *Mulier*, inquit, *alligata est legi :* oportet igitur ut minime separetur vivente viro, neque alium superinducat maritum, neque secundas nuptias adeat. Et vide quanta cum diligentia verborum usus sit proprietate. Non enim dixit, cohabitet viro, quoad vixerit ; sed, *mulier alligata est legi, quanto tempore vixerit vir illius:* atque adeo etiamsi libellum repudii det, etiamsi domum relinquat, etiamsi ad alium abeat, legi adstricta adulteraque est... Nam quemadmodum servi fugitivi, etiamsi domum herilem relinquant, catenam secum trahunt : ita et mulieres etiamsi viros relinquant, legem habent pro catena, se persequentem et adulterii accusantem, accusantem etiam eum, qui duxerit, ac dicentem : adhuc superest

(133) N. 1. 2. pag. 620 seq.

» maritus , et facinus hoc adulterium est. *Mulier enim adstric-*
» *ta est legi , quoad vixerit maritus illius. Et omnis qui dimis-*
» *sam duxerit , moechatur.* Quando igitur licebit illi secundas
» nuptias contrahere ? Quando ? Tunc ubi a catena liberata
» fuerit, quando vir morietur... Quae autem serva est, ac sub-
» dita legi , etiamsi millies libellum repudii accipiat , adulterii
» tenebitur lege... Ne mihi leges ab exteris conditas legas ,
» praecipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim iuxta
» illas iudicaturus est te Deus in die illa , sed secundum eas ,
» quas ipse statuit. » Ad legem deinde Moïsis accedens de li-
bello repudii , subdit : « Quapropter et Christus Iudaeis rogan-
» tibus et dicentibus : *Quomodo igitur Moïses permisit dare*
» *libellum repudii ?* Ostendens quod non contrariam suae legem
» ferens ita scripserit, dixit : *Moïses iuxta duritiam cordis ves-*
» *tri loquutus est, ab initio autem non erat sic ; sed qui*
» *fecit ab initio , masculum et foeminam fecit illos.* Si hoc
» bonum fuisset , inquit , non unum virum et unam mulie-
» rem fecisset , sed uno Adam condito duas fecisset mu-
» lieres , si quidem voluisset unam quidem eiici , alteram
» vero induci. Nunc vero ipso formationis modo legem induxit ,
» quam ego nunc scribo. Et quaenam est illa ? Haec utique.
» Eam sibi quisque uxorem servet semper, quam initio sortitus
» est. Haec lex antiquior , quam illa de libello repudii , et tanto
» quanto Adam ipso Mose... Nam et qui dimiserit absque causa
» stupri , et qui eiectam vivente viro duxerit , cum eiecta illa
» punientur. Propter quod oro , obsecro et supplico, ne
» viri mulieres eiiciant , neque mulieres viros relinquant , sed
» audiant Paulum dicentem : « *Mulier adstricta est legi , quan-*
» *to tempore vixerit vir eius. Si autem dormierit vir , liberata*
» *erit cui volet nubere , tantum in Domino.* Qualem enim habe-
» bunt veniam , qui Paulo etiam secundas permittente nuptias
» post mortem coniugis , et tantam concedente copiam , ante
» mortem audent talia facere (134) ? » Caetera his similia
mitto (135).

(134) Opp. cit. ed. tom. III. n. 1. et 2. pag. 203-206.

(135) Ut in lib. *De virginit.* In 1. Cor. VII. et alibi passim.

Interim ex his colligo S. Io. Chrysostomum 1, identidem affirmare licitum esse in casu adulterii dimittere uxorem, ita tamen, ut nunquam asserat, post eiusmodi dimissionem posse quempiam, altero adhuc vivente, iterum nubere (136). 2. Quinimo absolute statuere mulierem a viro dimissam semper uxorem permanere illius a quo dimissa est; 3. Virum illum fore adulterum, qui mulierem ab alio dimissam ac in vivis adhuc agentem duxerit; 4. illum insuper, qui uxorem alia quam adulterii de causa dimiserit, reum se adulterii constituere, quod mulier ab alio ducta patraret; 5. tunc solum maritum participem adulterii uxoris suae non esse, cum haec flagitiosa vita sua causam dederit dimissioni, ac ultro se alieno viro tradiderit: 6. affirmare mulierem, licet ob adulterium dimissam, nefas esse novum matrimonium contrahere, quoad vivat vir eius, et Dominum ideo hanc legem posuisse, ut sic obviaret mulierum lasciviae, quia etsi ob eiusmodi crimen dimissae fuerint, tamen nequeant alii viro nubere, quo fit, ut ipsae adhuc teneantur maritum, a quo dimissae sunt, amare, cum *eiectae licet, maneant eiicientium uxores.*

(136) Ne iis quidem exceptis locis, quos affert Launoius pro causa sua *De regia* etc. pag. 871. ex Hom. XXVI. in Genes. « Audi ipsum Christum di» centem discipulis : *Dico enim vobis, omnis qui dimiserit uxorem suam, ex» cepta causa stupri, facit eam adulterari.* Quam excellens benignitas ! » Etiamsi infidelis fuerit vel pagana, retine : si autem in te peccaverit, et foe» derum obliviscatur, et magis aliorum praetulerit communionem, licet tibi » eiicere et expellere. »Deinde in cap. III. Isaiae « Ei vero, qui habeat fornica» riam uxorem permisit a se repellere ; ei vero qui gentilem coniugem habe» ret, non item concessit, etiamsi peccatum perfidiae gentilis in ipsum redun» det, illud vero resiliat in hominem. » Denique ex Homil. XVII. in Matth. « Siquidem reliquit viro unum expulsionis modum, dicendo, excepta causa » fornicationis, alioquin in eandem rursus turpitudinem remearet. » Quibus prolatis veluti ovans concludit : « Haec tria Doctoris tanti loca funiculum tri» plicem efficiunt, qui ne a magistris nodum in scirpo quaerentibus facile » obrumpetur. » At tantum abest ut eiusmodi triplicem funiculum tria haec loca efficiant, ut ne attingant quidem quod sibi doctor hic Sorbonicus probandum proposuit! Nos tertii loci integrum textum attulimus, ex quo perspicue patet, S. Io. Chrysostomum indissolubilitatem vinculi coniugalis adstruere. Idem dic de aliis locis in contextu perpensis.

Verum , quod caput est, in eo insistit vehementer S. Doctor, quod abolitus sit a Christo libellus repudii. Porro certum est , per libellum repudii dirimi consuevisse coniugium, ac ita dirimi , ut posset dimissa alteri se iungere foedere coniugali ; si igitur iuxta S. Chrysostomum haec uxorem dimittendi , seu clarius adhuc , haec ita dirimendi coniugia facultas per Christum abolita est , aperte consequitur matrimonii christiani vinculum iugiter , etiam interveniente adulterio , perseverare. Hoc argumentum validius adhuc est adversus eos , qui contendunt a Moïse per *foeditatem* adulterii flagitium fuisse significatum.

Nec obstat Chrysostomum de viris tantum fuisse locutum ; siquidem certum est, ipsum quoad ius matrimoniale parem utrumque coniugem agnovisse , ut inter caetera patefaciunt quae scribit Hom. XIX. in I. Cor VII. « Alibi certe magnam » dat marito praerogativam et in novo et in veteri Testa- » mento dicens : *Ad virum tuum conversio tua , et ipse tibi do-* » *minabitur*. Paulus vero sic dividens et scribens : *Viri diligite* » *uxores, uxor autem timeat virum*. Hic vero non ultra maius » aut minus ponit ; sed unam potestatem. Quare ? Quia de » castitate sermo ipsi erat. In aliis quidem praerogativam , in- » quit , habeat maritus ; ubi autem de continentia agitur , non » item. *Vir potestatem sui corporis non habet, neque uxor.* » Multa est aequalitas , et nulla praerogativa (137). »

Multo vero minus adversarii S. Io. Chrysostomum sibi favere arbitrari possunt , quod in cit. serm. *De libello repudii* scripserit : « Nam si is , qui mortui coniugis , cuius uxorem accepit , » imaginem recumbentem viderit , afficitur aliquo modo , et » graviter fert ; ac si viventem maritum videat eius , quae sibi » cohabitat (138) , qualem vitam aget ? Quo pacto ingredietur

(137) N. 1. ed. Maur. tom. X. pag. 159 seq.

(138) Ad clariorem huius loci intelligentiam , animadvertendum est , quod ea, quae hic dicit S. Io. Chrysostomus de defuncti viri imagine, allata sint similitudinis gratia ; ut animi sensa exprimat illius , qui viderit mulierem a se dimissam ob adulterium , in alterius potestatem venisse.

» domum ? Quo animo, quibus oculis videbit illius uxorem » suam ? Imo neque illius, neque suam iuste quis talem appel- » let : *adultera enim nullius est uxor* (139). » Ex quibus postremis verbis concludunt, iuxta S. Doctorem, reum quidem illum fieri, qui uxorem praeter causam fornicationis dimiserit ; contra vero si hac de causa eam repudiaverit, immunem esse prorsus a crimine, etsi aliam duxerit, quia id Dominus fieri posse hoc in casu edixit. Verum si expendamus orationis seriem, patebit, ideo S. Ioannem Chrysostom. mulierem adulteram nullius uxorem dixisse, quod nec prioris proprie sit uxor, qui eam dimisit, nec alterius, qui post illam dimissionem adulterii causa eamdem duxerit. Non prioris, quia eam a se repulit, neque amplius uti uxorem agnoscit, aut cum ea cohabitare sustinet ; non alterius, quia iuxta christianam legem, qui dimissam, vivente adhuc dimittente, duxerit, moechatur. Atque ita fit, ut neutrius sit uxor, non unius *de facto*, non alterius *de iure*.

Quin potius ex his verbis novum exurgit argumentum pro genuina S. Chrysostomi sententia de absoluta indissolubilitate coniugii etiam in casu adulterii. Si enim ipse arbitratus esset, propter adulterium vinculum coniugale reipsa dirimi, nunquam dixisset mulierem adulteram a priore dimissam non esse alterius legitimam uxorem ; soluto quippe matrimonio, mulier libera est, et qui eam ducit, legitime ducit. At hoc inficiatur S. Chrysostomus; imo docet eam esse *adulteram* et *adulterum* illum, qui eam duxerit. Censuit itaque, et in hoc casu vinculum coniugale integrum permanere. Qua propter concludebat post obiecta verba · « Fefellit pacta, quae cum illo habuit, *et ad te cum honestis legi-* » *bus non venit.*»

§. XVI.

De Theodoreto.

Nec dissentit a Io. Chrysostomo Theodoretus in omnimoda vinculi coniugalis asserenda firmitate etiam interveniente adul-

(139) Loc. cit. ex tom. III. n. 3. pag. 207.

terio, quamvis adversarii eum pro causa sua adducere non vereantur. Sane tria a Launoio ex eo proferuntur, quibus suadeat, episcopum Cyrensem, quem merito doctum atque in Scripturis exercitatissimum vocat, suae sententiae adstipulari : sunt autem :

I. Ex lib. V. *Haeretic. fabular.* c. XVI. ubi haec leguntur : « Antiqua (lex) eum, qui uxorem odio habebat, dimittere » illam iussit ; nova autem adulterium appellat repudium citra » fornicationem. *Qui enim*, inquit, *uxorem suam dimittit*, » *excepta fornicationis causa, moechari eam facit, et qui di-* » *missam duxerit, moechatur* (140). »

II. Ex eiusdem libri cap. XXVI. *De matrimonio :* « Ipse au- » tem Dominus non solum non prohibuit matrimonium, sed et » in nuptiis convivatus est, et vinum sine cultura productum » nuptiis donum dedit. Legem porro matrimonii adeo confirma- » vit, ut eum, qui excepta fornicationis causa matrimonium » solvere velit, alia lege inhibeat : *Quicumque*, inquit, *uxo-* » *rem suam dimittit, nisi ob fornicationem, facit eam moe-* » *chari* (141). »

III. Ex serm. IX. *De legibus* : « At naturae opifex, quia hu- » manam creans naturam unum principio virum et foemi- » nam unam formavit, etiam solvi matrimonium vetat, uni- » camque huius dirimendi causam adsignavit eam, quae mari- » talem copulam vere divellit. *Omnis enim*, ait, *qui dimittit* » *uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moe-* » *chari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* Quibus verbis » caetera uxoris vitia ferri iubet, seu loquax sit illa, seu temu- » lenta, seu convitiosa : sin vero nuptiarum leges transiliat, » in aliumque procax intendat, tunc denique copulam solvi » iubet (142). »

Quibus Braun alium textum adiecit ex comment. in I. ad Cor.

(140) Op. ed. Paris. 1642. tom. 4. pag. 289.
(141) Ibid. cap. XXV. pag. 308, non autem cap. XXVI. ut allegat Launoius.
(142) Ibid. pag. 619 seq.

VII. ubi scribit: « Statuit hoc loco tantum separationis legem, » quam, qui alia quam fornicationis causa discesserunt, » coniuges servare debeant (143). »

Haec quidem ipsi. Verumtamen si recte ea dispiciantur, non modo divortii perfecti causae haud favere, sed eidem potius adversari, quae tanto apparatu iactantur Theodoreti testimonia ex illorum analysi sobrius quisquam sibi persuadebit.

Etenim 1. Nihil de suo statuens Theodoretus, se refert ad Matth. V. 32. et XIX. 9. textus : adeoque tota resolvitur controversia ad intelligentiam textuum Matthaei. Iam vero suo loco nos critice et exegetice ostendimus, illos haud intelligi posse de solutione coniugii quoad vinculum, ita ut fas sit post uxoris adulterae electionem aliam ducere. Idem proinde dicendum de Theodoreti sententia.

2. Quamvis in allegatis testimoniis Theodoretus aperte loquatur de *repudio*, de *solutione* matrimonii, de *divulsione copulae coniugalis*, de *diremptione*, quae voces, ut notum est, in usu loquendi Patrum aeque intelligi possunt de dissolutione perfecta ac de imperfecta ; nunquam tamen docet posse virum, citra adulterium, aliam ducere uxorem post eiusmodi repudium, solutionem, divulsionem aut diremptionem. Quod tamen necesse foret, ut is suffragari adversariorum thesi dici deberet.

His animadversis, ad textus Theodoreti expendendos iam accedimus.

Itaque ad primum quod attinet, Theodoretus affirmat, novam Legem vocare *adulterium* (144), repudium citra fornicationem, quatenus adulter efficitur, tum qui citra fornicationis causam uxorem dimittit, tum qui quacumque de causa dimissam ducit, ut patet ex verbis evangelicis ab ipso adductis : *et qui dimissam duxerit, moechatur*, quae postrema verba Lau-

(143) Ita in cit. Dissert. *De matrim.* qui non verba, sed sensum Theodoreti, ut ipse autumat se retulisse profitetur. Alibi autem prout iacent, retulit Launoius.

(144) Graece enim est μοιχείαν.

noius omisit ; aut quatenus in causa est vir quod uxor citra fornicationem dimissa, adulteret. Nec tamen exinde sequitur non fore adulterum ex mente Theodoreti, qui in casu fornicationis, adultera dimissa, aliam duxerit, aut qui hac de causa dimissam mulierem duceret. Hoc porro esset ostendendum, quod tamen ex verbis Theodoreti adversarii non efficiunt.

Nec alium sensum prae se ferre alterum textum liquet ex orationis serie, et ex iis quae postea subiicit. Etenim immediate post allegata verba ita prosequitur Cyrensis praesul : « Deinde, » cum dixissent pharisaei, veterem legem iussisse dari libellum » repudii, interpretatus est (Christus) illis scopum legis. Dixit » enim : *Ob duritiam cordis vestri legem hanc scripsit vobis :* » *ab initio autem creationis, masculum et foeminam fecit illos* » *Deus. Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhae-* » *rebit uxori suae, et erunt duo illi caro una.* Ita cum primam » legisset legem, quam ipse dederat, subiunxit : *Itaque iam* » *non sunt duo. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*» Sub finem vero eiusdem capitis prolata Apostoli sententia : *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt etc.* pergit dicens : «Tantum abest, ut prohibeat matrimonium, ut etiam eum, » qui *dissolvit* (145), dominicis legibus cohibeat. Non enim, » ego, inquit, hanc legem scribo, sed Dominus Deus, qui » in evangeliis divinis adiecit, et eam, quae separata fuerit, in- » nuptam manere iussit, hac ratione cogens redire ad vi-

(145) Hac occasione adnoto quamnam potestatem voces *dissolvere*, *dirimere* etc. habeant penes antiquos. Certum enim est hic a Theodoreto verbum *dissolvere*, accipi in sensu separationis partialis, seu quoad torum et habitationem. Quod quidem confirmatur alio exemplo, quo sensu veteres quandoque vocem *dissolvere* accipiant, non ad significandam plenam coniugii dissolutionem, sed ad partialem tantum, nimirum ex Patribus concilii Gangrensis, qui in Synodica epist. sua aiunt iuxta veterem versionem : « Unde factum est, ut multae mu- » lieres eos (Eustathianos) secutae, relictis propriis viris, et viri, uxoribus » destitutis, *vinculum coniugale dissolverent*, continentiam profitentes, quam » cum retinere non possent, *adulterium* commiserunt. » Iam vero quanam ratione adulterium perpetrare potuissent, si prioris coniugii solutum erat vin-

» rum (146). » Quibus verbis quamcumque coniugalis vinculi solutionem absolute excludit.

In tertio textu, cum afferat integra Salvatoris verba : *Et qui dimissam duxerit, adulterat;* satis ostendit, se non admittere vinculi solutionem; dum vero profert verba illa : ob fornicationem *solvi copulam iubet,* aperte innuit se loqui de unica causa intrinseca separationis quoad torum; quod apertius constat ex voce *iubet,* quae indicat obligationem, qua vir tenetur ad dimittendam uxorem, quae maneat in adulterio, ne eius delicti se participem faciat iuxta illud Prov. *Qui tenet adulteram stultus est et impius,* ab antiquis saepe laudatum.

Quod demum omne depellit dubium est textus, quem Braun veritus est integrum adducere, contentus sensum eius evertere, ut illum ad rem suam accommodaret. Itaque in comment. in 1. ad Cor. VII. 10. 11. in ea verba : *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt etc.* Theodoretus haec scripsit : « Evangelicam le» gem revocat in memoriam. Dominus enim in sanctis evan» geliis dixit : *Quicumque dimittit uxorem praeter quam* » *causa fornicationis, facit eam moechari.* Propterea adiecit, » *Non ego, sed Dominus.* Hoc autem, *maneat innupta, vel viro* » *reconcilietur,* non est contrarium illi : *Nolite fraudare invi*» *cem nisi forte ex consensu* Illa enim dicta sunt iis, qui non » propter aliam causam, sed propter solam continentiam sepa» rantur : hic autem iis legem statuit, qui de aliis rebus conten» dunt. Et conatur quidem infractum servare matrimonii vin» culum : condescendens autem imbecillitati, ei, qui separatur, » continentiam praecipit, hac etiam ratione prohibens matrimo» nii disiunctionem. Cum enim alteri coniungi prohibet, utram» que partem ad prius matrimonium redire compellit (147). » Hic quisque intelligit Theodoretum non modo verba Pauli, verum etiam ipsius Christi de perfecta indissolubilitate exposuisse, ita ut de fornicationis causa ne mentionem quidem iniecerit.

culum ? Celebratum est autem hoc concilium circa an. 324. in Paphlagonia. In collect. ampliss. concil. Venet. 1753. tom. II. col. 1097.

(146) Ed. cit. pag. 309.

(147) Op. ed. cit. tom. III. pag. 159.

Ut igitur paucis perstringamus, quae de Theodoreto hac super re diximus, ex eo habemus, nunquam ipsum locutum esse de facultate alterius ducendae uxoris, priore etiam propter adulterium dimissa, in quo tamen consistit controversiae cardo; habemus insuper, ipsum ubique summam praedicare coniugalis vinculi firmitatem, atque exinde occasionem cepisse commendandi prae Mosaico instituto legem evangelicam (148.)

§. XVII.

De Asterio Amaseno.

Asterius, Amasae in Ponto episcopus, qui floruit sub finem quarti, aut sub initium sec. V. (149), in *Homil. in locum evangeli secundum Matth. An liceat homini dimittere uxorem suam*, scribit : « Hoc ratum ac omnino persuasum habete, excep» tis morte ac adulterio, nulla ex causa matrimonium dirimi » (150). »

Haec porro verba persuadere videntur, S. Asterium in ea fuisse sententia, quod coniugium adulterio non secus ac morte quoad vinculum dirimatur. Alloquitur enim eos, qui tunc temporis summa facilitate uxoribus nuncium remittebant. Siquidem haec ait : « Qui autem nexu tam arcto iuncti sunt, *iam non* » *sunt duo, sed una caro : quod ergo Deus coniunxit homo non* » *separet*. Sane quidem haec pharisaeis tunc dicta fuere : ve-

(148) Nimis proinde facilem se praebuit Tournelyus, dum Theodoretum, non secus ac Asterium, de quo mox dicturi sumus, adversariis dimisit. Ast Colletus in *Continuatione* Tournelyi in tract. *De matrim.* cap. V. n. 197. et 198. utrumque vindicavit, et quidem iure meritoque.

(149) Bellarminus *De script. eccles.* hunc auctorem retulit ad an. 400. Eidem assensit Labbeus in *dissert. historica* ad hunc Bellarmini locum. Huius Asterii quinque homilias omnium primus reperit vulgavitque Rubenus S. I. Antwerpiae 1607. Quibus deinde alia eiusdem opera adiecit et vulgavit Cotelerius in op. *Veterum monument.* Paris 1681. tom. II. p. 1. seqq. In quinque illas homil. priores Cf. notas Frontonis Ducaei; in posteriores vero notas eiusdem Cotelerii pag. 516. ubi plena invenitur Asterii notitia.

(150) In *Bibl. max.* PP. Lugd. 1677. tom. V. pag. 818.

» rum nunc quoque vos horum institores audite; qui ceu vestes » subinde uxores mutatis; qui thalamos tam saepe ac facile, » atque nundinarum tabernulas, struitis; qui dotem ac bona du- » citis, coniugesque ad quaestum ac negotiationem habetis; » qui levi statim offensione, repudii libellum conscribitis; qui » in vivis hactenus agentes, viduas plures relinquitis (151). »

Attamen non desunt, qui Asterium de sola quoad torum et habitationem dissolutione exponant. Quod quidem suadere posse videtur 1. ex eo quod nunquam in toto hoc sermone affirmet licitum esse post coniugii dissolutionem aliam ducere uxorem; 2. ex eo quod arguat eos, qui Romanis legibus confisi libellum repudii scribebant, quibus leges divinas opponit dicens : « Si » autem Romanis auscultantes legibus permissam esse scorta- » tionem (viris), ac crimine vacare existimant, gravem sane er- » rorem errant, ignorantque leges divinas ab humanis nimium » quantum distare doctrinis ac placitis 3. Quod de eiusmodi eiectione a domo disserat : « Laudabo eum, inquit, qui fugerit » insidiatricem; qui abruperit vinculum, quod cum aspidi, » quod viperae copulavit. Huic enim primus indulget ipse uni- » versorum Auctor, tamquam iusto dolore percito, meritoque » domus pestem ac exitium domo exigenti (152). » 4. Demum ex eius exhortatione ad castitatem, qua suum sermonem claudit, et ex eo quod pares viros foeminis facit, quibus certe a legibus indultum non erat propter adulterium divortium (153).

(151) Ibid. Ex his verbis non absurde nonnulli colligunt S. Asterium non solos catholicos alloqui, penes quos nunquam viguit, illa praesertim aetate, tanta facilitas in uxoribus commutandis, sed promiscuam alloqui multitudinem, quae constabat etiam paganis et haereticis, praesertim Arianis. Animadverti etiam debet in sensu, ut aiunt, accommodo pro diversa substrata materia intelligi posse obiecta verba : *Exceptis morte et adulterio*, adeo ut priora referantur ad dissolutionem perfectam, posteriora ad dissolutionem imperfectam seu quoad separationem a toro et cohabitatione. Cf. Martorelli op. cit. p. 312.

(152) Ibid. pag. 820.

(153) Cf. Amort. Op. cit. pag. 87.

§. XVIII.

De S. Hilario Pictaviensi.

Huius S. Patris pro causa sua in medium protulit testimonium Launoius tamquam peremptorium (154). Ast si accurate Hilarii verba expendamus, patebit, ipsum contrariam omnino tenuisse sententiam.

En eius verba ex cap. IV. in S. Matth. n. 22. « *Dictum est* » *autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi repu-* » *dium* etc. Aequitatem in omnes concilians, manere eam » maxime in coniugiorum pace praecepit : legi addens plura, » nihil demens. Nec sane profectus argui potest. Nam cum lex » libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc » marito fides evangelica non solum voluntatem pacis indixit, » verum etiam reatum coactae in adulterium uxoris imposuit, » si alii ex discessionis necessitate nubenda sit : nullam aliam » causam desinendi a coniugio praescribens, quam quae virum » prostituae uxoris societate pollueret (155). »

Quae verba hunc fundunt sensum : Christus, prout pollicitus erat, hoc documento non solvit legem, sed adimplevit eam perficiens, quatenus libellum repudii abolevit, ac merito pacem cum uxore sua indixit, praecipiens cum ea iugiter permanere. Ita vero eiusmodi cum uxore perseverantiam indixit, ut si quacumque de causa eam repudiaret, se reum constituat adulterii, in quod ob eius derelictionem ipsa incideret, si alteri nuberet. Unicam assignavit causam iustae dimissionis , nempe uxoris fornicationem seu prostitutionem, et quidem dimissionis a toro et cohabitatione. Siquidem hoc in casu iustae dimissionis. si uxor dimissa alteri se copulaverit, sibi soli imputare debet

(154) Scribit enim op. cit. pag. 828. « Periodus tota, quid Hilarius sentiat, » facile ostendit. Scripturam intelligit quomodo illa intelligendam se praebet, » licere videlicet marito, dimissa propter adulterium uxore, aliam ducere. »

(155) Opp. ed. Maur. Veronae 1730. tom. I. pag. 686.

adulterii reatum, in quem ipsa inciderit, a quo maritus dimittens immunis est.

Iam vero concors haec est, ut vidimus, Patrum doctrina, a qua profecto Hilarius nulla ratione dissentit, quin potius eam confirmat. Hinc merito editores Maurini in nota ad hunc Hilarii locum scripserunt « Qui ex hoc loco volunt Hilarium non modo » uxorem adulterii ream dimittendi, sed et alteram ducendi li- » centiam tribuere, aliud ei attribuunt, quam quod dicit aut » sentit, cum maritum uxoris adulterae ab illius societate dum- » taxat absolvat. »

§. XIX.

De Chromatio Aquileiensi.

Quae de hoc argumento scripsit S. Chromatius, episcopus Aquileiensis, (156) habentur Tractatu IX. in cap. V. S. Matthaei ubi praemissis verbis Salvatoris : *Ad duritiam cordis vestri* etc. in hunc modum prosequitur : « Unde nunc non immerito Do- » minus ac Salvator noster, sublata illa licentia, antiquae con- » stitutionis suae praecepta restaurat. Iubet namque matrimo- » nii castum coniugium indissolubili lege servari, ostendens » coniugii legem a se esse primitus institutam. Ipse enim ait : » *Quod ergo Deus coniunxit in unum, homo non separet.* » Quo dicto et passivam Iudaeorum licentiam, et stultam ac » miserabilem Manichaeorum praesumptionem, qui negant a Deo » esse coniugia, huius sententiae pronunciatione damnavit, di- » cens : *excepta causa fornicationis* uxorem non licere dimitti : » aperte demonstrans, eum contra Dei agere voluntatem, qui » matrimonium a Deo iunctum illicita divortii separatione te-

(156) De huius sancti antistitis gestis et scriptis cf. Iustum Fontaninium episcop. Corcyrensem in *Historia litteraria Aquileiensi.* Romae 1744. libri tres cap. 3. et 4. Nec non Bernard. Mariam De Rubeis *De monumentis ecclesiae Aquileiensis commentario illustratis.* Argentinae (seu Venitiis) 1740. cap. 10. seqq.

» merare praesumpserit. Unde non ignorent, quam grave apud » Deum damnationis crimen incurrant, qui per effrenatam li- » bidinis voluptatem (absque fornicationis causa), dimissis » uxoribus, in alia volunt transire coniugia. Quod idcirco se cre- » dunt impune committere, quia humanis et saeculi legibus » id videtur permissum, nescientes, in hoc se gravius ac magis » delinquere, quia humanas leges divinis praeferant; ut quod » illicitum Deus esse constituit, ideo licitum credant, quia ab » homine sit libere permissum. Sed sicuti uxorem caste ac pure » viventem dimittere fas non est; ita quoque adulteram dimit- » tere permissum est, quia ipsa mariti consortio tecit se indig- » nam, quae in corpus suum peccando, Dei templum ausa est » violare (157). » Hactenus ille.

Ex hac postrema periodo nonnulli contenderunt Chromatium ita de divortio loqui, ac si novum matrimonium, dimissa uxore adultera, contrahi posse existimarit, uti Dupinius (158). Ast Tillemontius ei refragatur dicens S. Chromantium verbis uti evangelicis, quin aliquid praeterea de suo adiiciat, cum forte neque prae oculis eiusmodi quaestionem habuerit (159); refragatur pariter Ceillierius (160), nec non Sixtus Senensis (161), aliique passim adversus neotericos, qui id ipsum inficiantur (162).

(157) *Sancti Chromatii episcopi Aquileiensis scripta sive opuscula.* Utini 1823. pag. 49. 50.

(158) *Nouvelle bibliothèque des auteurs ecclésiast.* Paris 1690. tom. III. *Des auteurs du cinquième siècle*, première partie pag 269. ubi scribit: « En » expliquant ce qui est dit dans l'Evangile du divorce, il parle comme s'il » croyait que l'on pût épouser une autre femme après avoir fait divorce pour » l'adultère. Mais il condamne ceux, qui quittent leur femme pour d'autres » causes, et ensuite se remarient, quoiqu'il avoue que les loix humaines » le permettent.

(159) *Mémoires etc.* tom. XI. note II. *Sur saint Chromace* page. 367.

(160) *Hist. générale des auteurs sacrés*, tom. XIII. pag. 86.

(161) *Biblioth. sanct.* lib. VI. annot. LXXXI. ed. Neap. 1747. una cum Milante tom. II. pag. 782.

(162) Cf. Iustum Fontaninium op. et loc. cit. cap. IV. n. IV. et editores. Opp. S. Chromatii Utinens. in praef. pag. XL. seqq.

Sane, ut constat ex istius tractatus lectione, S. Chromatius eum in duas partes dispescit; in priori unice proponit textum Matthaei V. 32. quin ei quidpiam adiiciat. Adeoque de hac parte nihil attinet dicere. In posteriori eos arguit, qui Romanarum legum obtentu divinam constitutionem de coniugii religione solvebant; quique inde etiam crimen suum augebant, quod leges humanas divinis sanctionibus anteferrent. Iam vero affirmat quidem Chromatius sub finem huius tractatus posse viros adulteras, quae fidem coniugalem violarunt, depellere, non tamen adiecit, illis dimissis, novum posse inire coniugium. Hoc porro necesse foret, ut adversariorum sentiae eum adstipulari diceremus.

§ XX.

De S. Hieronymo.

Doctrina Hieronymi adeo aperta est, ut mirum videri possit Chemnitium aliosque ausos esse eum inter divortii patronos recensere.

Occasionem hi nacti sunt ex iis, quae S. Doctor in epistola ad Oceanum adiecit extenuandi causa gravitatem culpae, quam Fabiola repudiando adulterum maritum, seque cum alio iungendo, admiserat. Ast perperam; ita enim prosequitur S. Hieronymus: « Igitur et Fabiola, quia persuaserat sibi, et » putabat a se virum iure dimissum; *nec Evangelii vigorem* » *noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus* » *viris, foeminis amputatur,* dum multa diaboli vitat vulnera, » unum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis et » antiquis moror, quaerens excusare culpam, cuius poenitentiam ipsa confessa est? » Refert deinde acerbam ac publicam Fabiolae poenitentiam (163).

Nec minus perspicua sunt, quae scribit in epist. ad Aman-

(163) Ed. Vallars. Opp. tom. I. epist. LXXVII. n. 3. 4. col. 455.

dum presbyterum : « Reperi iunctam epistolae et commenta-
» riolo tuo brevem chartulam, in qua haec indita ferebantur:
» Quaerendum ab eo, id est a me, utrum mulier, relicto
» viro adultero et sodomita, et alio per vim accepto, possit
» absque poenitentia communicare Ecclesiae, vivente adhuc eo,
» quem prius reliquerat . . . . Responde itaque sorori, quae
» a nobis super suo statu quaerit, non nostram, sed Apo-
» stoli sententiam : *An ignoratis fratres . . . . Ergo vivente*
» *viro, adultera erit, si duxerit alterum virum*, et in alio loco :
» *Mulier alligata est* etc. Omnes igitur causationes Apostolus
» amputans, apertissime definivit, vivente viro adulteram
» esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris
» violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, pro-
» pinquorum catervam, servorum insidias atque contemptum,
» damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licet adulter sit,
» licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore
» propter haec scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui
» alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus haec propria
» auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, Christi
» verba sequutus est, qui ait in Evangelio : *Qui dimittit uxo-*
» *rem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari;*
» *et qui dimissam acceperit, adulter est :* Animadverte quid
» dicat : *qui dimissam acceperit, adulter est.* Sive ipsa di-
» miserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam
» acceperit . . . . Ergo et ista soror, quae, ut dicit, vim passa
» est, ut alteri iungeretur, si vult corpus Christi accipere, et
» non adultera reputari, agat poenitentiam : ita dumtaxat, ut
» secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, a tempore
» poenitentiae non copuletur (164). »

Haec adeo decretoria sunt, ut supervacaneum censeam alia eiusdem S. Doctoris adferre testimonia, in quibus eamdem de omnimoda indussolubilitate matrimonii orthodoxam doctrinam inculcat.

(164) Ibid. epist. LV. n. 3. et 4. col. 295 seq.

Operae potius pretium est, subdolas atque contortas Launoii caeterorumque eius asseclarum evasiones praecludere. Iuxta Launoium « Hieronymi sententia est, ut patet, viri et uxoris » conditionem parem non esse, in eo, quod attinet adulterium; » ac viro liceat, dimissa propter solum adulterium uxore, aliam » ducere; sed uxor, viro propter adulterium demisso, non » potest alteri, quamdiu dimissus vivit, nubere. Atque istud » quod observatione summa dignum est, ecclesiarum magis- » trum dixisse *nusquam*, maritum illum, qui, dimissa prop- » ter fornicationem uxore, aliam ducit, adulterum esse, cum » toties dixerit, uxorem, quae, dimisso ob fornicationem » marito, alteri nupserit, adulteram esse (165). » Ergo si fidem iungamus Launoio *nusquam* S. Hieronymus dixit *maritum illum, qui, dimissa propter fornicationem uxore, aliam ducit, adulterum esse;* si illa esset Hieronymo mens, quorsum dixisset in descripto ex epistola ad Amandum testimonio : « Animadverte quid dicat (Christus), *qui dimissam acceperit,* » *adulter est; sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa* » *sit, adulter est qui eam acceperit.* Quibus verbis eamdem » significat esse tum viri tum uxoris dimittentis conditionem, » ita ut uterque adulter evadat hoc in casu, sive vir sive » mulier. » In Epist. vero ad Oceanum « Quidquid viris iubetur, » inquit, hoc consequenter redundat in foeminas. Neque enim » adultera uxor dimittenda est, et vir moechus tenendus. » Ex quibus patet S. Hieronymum non modo aequivalentibus verbis de viris affirmare quod de foeminis adstruit, sed praeterea ex virorem potius conditione arguere conditionem uxorum, quae ob adulterium dimissae sunt, adeoque legem evangelicam immediate viros afficere, et, cum par sit utriusque coniugis hac in re conditio, afficere etiam mulierem. Talis est magistri ecclesiarum doctrina, non autem commentum, quod Launoius excogitavit ad eius eludendam auctoritatem.

Idem est ferendum iudicium alterius effugii ab aliquibus

(165) Op, ed. cit. pag. 892. et 893.

in eumdem finem quaesiti, dum aiunt, S. Hieronymum distinxisse inter adulterium probatum et adulterium praesumptum ; atque in adulterii quidem praesumpti, sed non probati casu denegasse facultatem novas ineundi nuptias, eam vero concessisse adulterio probato, viris praesertim. Hoc vero paradoxum evincere adnituntur illis verbis, quae leguntur in eius Commentar. super Matt. XIX. 9. « Sola fornicatio est, quae » uxoris vincat affectum : immo cum illa unam carnem in » aliam diviserit, et se fornicatione separaverit a marito, non » debet teneri ; ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente » Scriptura: *Qui adulteram tenet, stultus et impius est.* Ubicum- » que est igitur fornicatio et fornicationis suspicio, libere uxor » dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam » faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum, veteri » crimen impingeret, sic priorem dimittere iubetur uxorem, » ut secundam, prima vivente, non habeat (166). » Verum ecquis in adductis verbis deprehendet, a S. Doctore distinctionem fieri inter adulterium probatum et non probatum? Insuper concedi viris dissolutionem quoad vinculum, cum expresse affirmet ita iuberi dimittere uxorem fornicantem, ut *secundam prima vivente non habeat?* Aut etiam disparitatem inter virum ac mulierem hoc in casu significari, cum aperte contrarium doceat illis verbis : « Apud nos, quod non licet » foeminis, aeque non licet viris : *et eadem servitus pari conditione censetur* (167)? »

Eodem in pretio habenda sunt, quae alii autumarunt, nimirum S. Hieronymum perinde ac S. Io. Chrysostomum veram suam studio celasse sententiam (168); aut non satis sibi constitisse aut delectatum esse nimium ideis monasticis (169). Haec enim omnia, hisque similia patefaciunt huiusmodi scrip-

(166) Ita Braun cit. Dissert. pag. 35 seq.

(167) *Epist.* LXXVII *ad Ocean.* n. 3. col. 455. ed. cit. tom. I.

(168) Ita auct. op. German. *Tentamen theolog. statist.* nota 683. pag. 188.

(169) Uti Ios. Batz in op. Germ. *Harmonia novissim. legum Bavariae circa divortium etc.* pag. 13.

tores, qui talia comminiscuntur, haud sibi sincero animo proposuisse veritatem persequi, sed iuxta anticipatam sententiam velle vel invitos ad se pertrahere, obluctarique iis, qui contrarium docent. Haec perpetua est istorum ars, ut si quaedam obscure dicta videantur, ea illico arripiant ac pro se adducant, ea vero, quae clara sunt, secus ac ipsi optarent, tenebris offundere nitantur.

§. XXI.

De S. Augustino.

Hipponensem praesulem sibi adversari divortiorum patroni sentiunt ac ultro fatentur; quinimo ipsum veluti primum huius doctrinae assertorem de indissolubilitate coniugalis vinculi, etiam interveniente adulterio, traducunt. Sane Chemnitius audacter asserit, quaestionem hanc post Augustini tempora coepisse *horridius disputari*, Patres vero eodem Augustino antiquiores, *non adeo*, inquit, *fuerunt asperi, duri, horridi et immanes*, ut coniugi innocenti alterum ineundi connubium facultatem denegaverint, *sed docuerunt rectius, praestantius et perfectius esse, si etiam ille, qui ab adultera separatus est, vel maneat sine coniugio, vel reconciliatam uxorem rursus recipiat* (170). Verum quid senserint Patres Augustino antiquiores ab aetate apostolica ad S. Augustinum usque, ex allatis ipsorum testimoniis abunde liquet. Ideo vero S. Doctorem primum huius doctrinae auctorem faciunt, quod data opera quaestionem hanc omni sub aspectu discusserit in duobus praesertim *De coniugiis adulterinis* ad Pollentium libris.

Hic quippe S. Augustinum hac de quaestione consuluerat, ac se in eam sententiam propensum patefecerat, nimirum posse coniugem innocentem, dimisso adultero coniuge, alteri se copulare: quo sensu se intelligere Apostoli textum I. Cor. VII. professus est.

(170) *Examin. conc. Trid. in can.* VII. *sess.* XXIV.

S. Augustinus a cap. I. ad VIII. eiusmodi interpretationem refellit; deinde cap. IX. ita aggreditur praecipuum Pollentii argumentum, quod pariter est Achillis omnium adversariorum evangelicae et apostolicae doctrinae, atque ita dissolvit: « Cur » ergo, inquis, interposuit Dominus causam fornicationis, et » non potius generatim ait: *Quicumque dimiserit uxorem* » *suam, et aliam duxerit, moechatur*, si et ille moechus est, » qui, dimissa fornicante muliere, alteram ducit? Credo, quia, » illud quod majus est, hoc Dominus commemorare voluit. » Maius enim adulterium esse quis negat, uxore non fornicante » dimissa, alteram ducere, quam si fornicantem quisque di- » miserit, et tunc alteram duxerit? Non quia et hoc adulterium » non est; sed quia minus est, ubi fornicante dimissa altera » ducitur.... Quemadmodum igitur si dixerimus: Quicumque » mulierem a marito praeter causam fornicationis dimissam » duxerit, moechatur, procul dubio verum dicimus; nec » tamen ideo illum qui propter causam fornicationis dimissam » duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque moechos » esse minime dubitamus: ita eum, qui praeter causam for- » nicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, moechum pro- » nunciamus; nec ideo tamen eum, qui propter causam for- » nicationis dimiserit et alteram duxerit, ab huius peccati » labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero gravius, » moechos tamen esse cognoscimus . . . Sed si hoc evangelista » Matthaeus, quia expressa una specie alteram tacuit, facit » ad intelligendum difficile; numquid non alii generaliter id » ipsum ita complexi sunt, ut de utroque posset intelligi? » Adductis porro Marci et Lucae textibus parallelis, ita prose- quitur: « Qui ergo nos sumus, ut dicamus, est qui moe- » chatur, uxore sua dimissa alteram ducens, et est qui hoc » faciens non moechatur? Cum Evangelium dicat omnem moe- » chari, qui hoc facit (171)? » Et cap. XII. « Nam et illud quod » etiam secundum Lucam sequitur, *Qui dimissam a viro*

(171) Ed. Maur. Opp. tom. VI cap. IX col 391-393.

» *ducit, moechatur*, quomodo est verum? Quomodo moechatur,
» nisi quia illa, quam duxit, eo vivente, a quo dimissa est,
» adhuc uxor aliena est? Si enim iam suae, non alienae mi-
» scetur uxori, utique non moechatur; moechatur autem;
» aliena est ergo, cui miscetur. Porro si aliena est, hoc est,
» eius a quo dimissa est; *etiamsi propter fornicationis causam*
» dimissa est, nondum emittentis uxor esse cessavit. Si autem
» illius esse cessavit, iam huius est, cui alteri nupsit; et si
» huius est, non moechus iudicandus est, sed maritus. Sed
» quia non eum maritum dicit Scriptura, sed moechum; adhuc
» illa illius est, a quo etiam *causa fornicationis* abiecta est.
» Et ideo quamcumque etiam ipse illa dimissa ducit uxorem,
» quia cum alieno marito concumbit, adultera est (172). »

Lib. II. excludit S. Doctor difficultates a Pollentio propositas, ut ostenderet adulterium morti esse aequiparandum, quo sensu exponebat illud apostoli: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit* etc.; cumque absurdam mentique Apostoli contrariam eiusmodi interpretationem patefecisset, concludit S. Augustinus: « Haec verba Apostoli totiens
» repetita, totiens inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt,
» plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit,
» nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris,
» si moriatur vir eius, non si fornicetur. Licite itaque dimit-
» titur coniunx ob causam fornicationis; sed manet vinculum
» prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit
» etiam ob causam fornicationis (173).

Cum nequeant adversarii haec adeo perspicua Augustini testimonia eludere, indirecte saltem moliuntur eius auctoritatem hac in re imminuere. Aiunt itaque 1. Augustinum ipsum in sua sententia dubium ac ancipitem fuisse, eo quod in hoc ipso de coniugiis adulterinis opere scripserit: « His ita
» pro meo modulo pertractatis atque discussis, quaestionem

(172) Ibid. cap. XII. n. 13. col. 394.
(173) Ibid. lib. II. cap. IV. col. 406.

» tamen de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse » non nescio. Nec audeo profiteri omnes sinus eius, vel in hoc » opere, vel in alio me adhuc explicasse, vel iam posse, si » urgear explicare (174).» Quo pariter referunt quae S. Pater scripsit in libro *De fide et operibus:* « Et in ipsis divinis sen- » tentiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine » dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, » si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi » quisque fallatur. (175). » Aiunt 2. alibi contrarium docuisse, licere videlicet plenum divortium in adulterii casu, ad quod persuadendum proferunt quod S. Augustinus scripsit in lib. *De bono coniugali:* « Qui enim dimittit uxorem suam excepta » causa fornicationis, facit eam moechari. Usque adeo foedus » illud initum nuptiale cuiusdam sacramenti res est, ut nec » ipsa separatione irritum fiat; quandoquidem vivente viro, » et a quo relicta est, moechatur, si alteri nupserit, et ille » huius mali causa est, qui reliquit. Miror autem, si quem- » admodum licet dimittere adulteram uxorem, ita liceat ea » dimissa alteram ducere. Facit enim de hac re S. Scriptura » difficilem nodum, dicente Apostolo, *ex praecepto Domini* » *mulierem a viro non debere discedere, quod si discesserit,* » *manere innuptam aut viro suo reconciliari:* cum recedere » utique et manere inupta, nisi ab adultero viro non debeat, » ne recedendo ab eo, qui adulter non est, faciat eum moechari. » Reconciliari autem viro vel tolerando, si se ipsa continere » non potest, vel correcto, forsitan iuste potest. Quomodo » autem viro possit esse licentia ducendae alterius, si adul- » teram reliquerit, cum mulieri non sit nubendi alteri, si » adulterum reliquerit, non video . . . Quod nequaquam puto » tantum valere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac in- » firma mortalitate hominum quoddam sacramentum adhibe- » retur, quod deserentibus hominibus atque id dissolvere

(174) Ibid. lib. I. cap. XXV. n. 32. col. 403.
(175) Cap. XIX. n. 35. col. 185.

» cupientibus, inconcussum illis maneret ad poenam. Siquidem » interveniente divortio, non aboletur illa confoederatio nup- » tialis, ita ut sibi coniuges sint, etiam separati; cum illis » autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post » suum repudium copulati, vel illa viro vel ille mulieri. Nec » tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto eius, talis » est causa cum uxore. Caeterum aliter se habere iura genti- » lium, quis ignorat, ubi interposito repudio sine reatu aliquo » ultionis humanae, et illa, cui voluerit, nubit, et ille, quam » voluerit, ducit. Cui consuetudini simile aliquid, propter » Israelitarum duritiam, videtur permisisse Moyses de libello » repudii. Qua in re exprobatio quam approbatio divortii » magis apparet (176). » Item quod ait *Tract.* IX. *in Io:* « In » qua responsione, si meministis, hoc ait (Christus): *Quod* » *Deus coniunxit, homo non separet.* Et qui bene eruditi sunt » in fide catholica, noverunt quod Deus fecerit nuptias, et » sicut coniunctio a Deo, ita divortium a diabolo sit. Sed » propterea in causa fornicationis licet uxorem demittere, quia » ipsa esse uxor prior noluit, quae fidem coniugalem marito » non servavit (177). »

Verum neque ancipitem se in hac doctrina S. Doctor aut dubium exhibuit in obiectis locis, multo vero minus sibimet-ipsi contrarium.

Etenim adversarii in priori textu ex lib. *De adulter. coniugiis*, pro certo assumunt, S. Augustinum nominatim ad quaestionem de solutione coniugalis vinculi propter adulterium allusisse; attamen, uti patet ex recitatis eius verbis, ipse illa protulit generatim de quaestione coniugii universa, quam nemo negaverit unquam talibus obnoxiam esse difficultatibus, quae nonnisi aegre solvuntur, nec hactenus forte solutae sunt. Materia enim matrimonialis difficilis est iuris utriusque peritis, difficilis moralis disciplinae institutoribus, difficilis Bibliorum

(176) Cap. VII. et VIII. loc. cit. pag. 523 seqq.
(177) Opp. tom. III. n. 2. col. 360 seq.

expositoribus, difficilis theologis, difficilis iuris naturalis interpretibus, ut patefaciunt innumera prope volumina hac de re exarata, et quaestiones theoreticae ac practicae, quae in dies excitantur. Ad hos igitur nodos alludit S. Augustinus, praesertim cum Pollentius non hanc solam, qua de agimus, quaestionem Augustino solvendam proposuerit, sed alias plures; num matrimonium inter christianos et infideles licitum sit? Num liceat fideli dimittere mulierem infidelem? Num idem dicendum sit de nuptiis in infidelitate initis, ac de iungendis inter fidelem et infidelem ob adulterium coniugis infidelis? Quid si haec promittat christianam religionem amplecti? aliasque eiusmodi (178). De quibus cum fuse egerit, profitetur, se haud certum esse, num rite nodos hos omnes expedierit. Contra vero quod attinet ad praesentem quaestionem, omni sub respectu illam agitat, et tuto ac fidenter solvit, ut vidimus, nihil haesitans.

Ad alterum vero textum, qui obiicitur ex libro *De fide et bonis operib.*, animadvertendum est hunc librum scriptum ab Augustino fuisse ante libros *De coniugiis adulterinis* (179). Fieri utique potuit, ut S. Doctor hac super re tunc animo haeserit, quam cum postea data opera expendisset, dubium omne excussit, ac ita sentiendum esse luculenter ostendit.

Nunquam vero S. Augustinus contrarium docuit, vel in ipsis libris, quos ante opus *De coniugiis adulterinis* scripsit. Sane tantum abest, ut in libro *De bono coniugali* (180) dissolubile in causa adulterii praedicet matrimonium, ut potius firmiter indissolubilitatem stabiliat, eamque in Christi Ecclesia unice consistere affirmet ob sacramenti significationem, quam in se christianae nuptiae praeseferunt. Quod si insinuare videtur dissolubilitatem matrimonii non omnino adversari natu-

(178) Lib. I. capp. I. XIII. XV. XVI. XVII. etc.

(179) Sane uti ostendunt editores Maur. *In Admonitione* praevia, hic liber editus est ab Augustino an. 413.; libri vero ad Pollentium *De coniugiis adulterinis* exarati sunt an. 419. adeoque sex fere post annos.

(180) Hunc librum vulgavit S. Augustinus an. 401.

rae iuri, accipi id debet de naturae iure primario, quod et nos concedimus; alioquin Deus in veteri lege divortium minime permisisset. Nos vero agimus de eo iure, quod obtinet ex lege divina Christi.

Quid autem habet S. Doctor in tract. IX. in Evangel. S. Ioannis (181) quod faveat adversariis? Nihil prorsus; quia quamvis dicat in causa fornicationis licitum esse dimittere uxorem, quod centies alias docuit, et nos cum illo profitemur, immo et contendimus; attamen nunquam docuit posse virum, dimissa uxore fornicationis causa, aliam, ea vivente, uxorem ducere, quod tamen necesse foret, ut adversariorum causae eum patrocinari dicere deberemus.

Nec refert quod Augustinus agat contra Pollentium non tamquam haeresiarcham, sed tamquam agonisten, ut scribit Erasmus (182); nobis satis est quod tueatur doctrinam evangelicam et apostolicam. Quis autem contendit quaestionem hanc tunc temporis iam definitam ab Ecclesia fuisse solemniter, ut Pollentius contrarium sentiens, seu verius dubia proponens, tamquam haereticus traduci potuerit?

§. XXII.

De S. Innocentio I.

Neque ab Augustino dissentit summus pontifex Innocentius I. ipsi coaevus. Quamvis enim difficultatem aliquam prae se ferre videantur, quae ipse scripsit in epist. ad Probum (183), et hac de causa illum pro se adversarii indissolubilitatis allegent; certum tamen est, summum hunc pontificem pro omnimoda coniugii firmitate stetisse. Quod ut evincamus, praemittimus, quae in cit. epistola ad Probum scripsit; tum ea expendemus, quae adversariis favere videntur ex collatione eorum, quae

(181) Hi tractatus anno plus minus 415. aut 416. habiti sunt.
(182) In annot. in I. ad Cor. VII. Opp. cit. ed. tom. VI. col. 694.
(183) Epist. XXXVI. apud Coustant. col. 909.

idem pontifex hac super re decrevit; eadem denique directe explicabimus.

Sic porro in epist. ad Probum scribit : « Conturbatio procellae barbaricae facultati legum intulit casum. Nam bene constituto matrimonio inter Fortunium et Ursam captivitatis incursus fecerat naevum, nisi sancta religionis statuta providerent. Cum enim in captivitate praedicta Ursa mulier teneretur , aliud coniugium cum Restituta Fortunius memoratus iniisse cognoscitur. Sed favore Domini reversa Ursa nos adiit, et nullo diffitente, uxorem se memorati perdocuit. Quare, domine fili merito illustris, statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod erat primitus gratiae divina fundatum; conventumque secundae mulieris, priore superstite, *nec divortio eiecta*, nullo pacto posse esse legitimum. » Ex clausula illa : *Nec divortio eiecta*, inferunt adversarii; ergo, Innocentio auctore, non solum morte, verum etiam divortio dimiri vinculum coniugale potest.

Verumtamen si haec conferantur cum iis, quae ipse respondit Exsuperio, Tolosano episcopo, qui cum hac de re interrogaverat, omnis de eius mente dubitatio evanescit : « De his etiam, inquit, requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hae personae, quibus tales coniunctae sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur secundum illud , quod legimus in Evangelio : *Qui dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam, moechatur ; similiter et qui dimissam duxerit, moechatur*. Et ideo omnes a communione fidelium abstinendos (184). » Iterum in epist. ad Victricium Rotomagensem. cum praemisisset : « Item quae Christo spiritaliter nupserunt, et velari a sacerdote meruerunt , si postea vel publice nupserint, vel se clanculo

(184) Ibid. Epist. VI. n. 12. col. 794 seq.

» corruperint, non eas admittendas esse ad agendam poeniten-
» tiam, nisi is, cui se iunxerant, de seculo recesserit, » eiusmodi instituit Innocentius argumentum : « Si enim de omnibus haec
» ratio custoditur, ut quaecumque vivente viro alteri nupserit,
» habeatur adultera, nec ei agendae poenitentiae licentia conce-
» datur, nisi unus ex eis defunctus fuerit ; quanto magis de illa
» tenenda est, quae ante immortali se sponso coniunxerat, et
» postea ad humanas nuptias transmigravit (185)? »

Ex his duabus epistolis duo habemus ineluctabilia documenta ad rem nostram. Siquidem Innocentius in epist. ad Exsuperium, qui eum interrogaverat directe hac super re, respondit absque ulla exceptione, adulterum eum esse habendum, qui vivente adhuc priori uxore alteram duxerit. Loquitur autem tamquam de re compertissima ac indubia dicens : *manifestum est*. Iam vero si casum de repudio propter adulterium voluisset excipere, id expresse significare debuisset : atque eo magis ea responsio generalis dicenda est excludere etiam causam adulterii, quod de hoc solum casu moveri potuerit dubium. Cum enim in religione christiana exploratum esset, excepta adulterii causa, nullam prorsus dari legitimam dimissionis causam cum facultate aliam uxorem ducendi, si quod dubium excitari poterat, id erat tantum de causa fornicationis ob clausulam, quae apud S. Matthaeum occurrit, ac proinde de hoc solum eum potuit Exsuperius interrogare pontificem. Cum vero hic absolute quemvis casum excluserit, pronunciaritque esse reum adulterii, qui vivente adhuc uxore aliam duxerit, hoc ipso exclusit ipsam etiam causam fornicationis. Huc accedit Innocentium saepius dicere foeminam alteri nubentem fore adulteram, *etsi repudium acceperit* a vero marito, etsi *dissociatum sit coniugium*, et similia. Ex quibus multo magis patet, si dimissionem propter adulterium excipiendam iudicasset, necesse omnino fuisse, eius mentionem facere. Haec erant a nobis animadvertenda ad Launoii tergiversationes preoccupandas, qui cum senserit se Innocentii

(185) Ibid. Epist. II. n. 15. col. 754 seq.

auctoritate premi, omnem se in partem vertit, ut eam eludat; quem alii etiam secuti sunt, sed perperam (186).

His non contentus Innocentius clarius adhuc mentem suam declarat in epist. ad Victricium, in qua unicam causam solutionis coniugii ad caeterarum omnium exclusionem, nempe mortem assignat. Decretoria siquidem sunt eius verba : *Ut quaecumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi unus ex eis defunctus fuerit.* Hinc factum est, ut Launoius hoc testimonium dissimulaverit, ac reliqui pariter cum ipso silentio illud premant, eo quod nullam illius vis eludendae viam invenerint.

Quae cum ita se habeant, reliquum est ut inquiramus, quid sibi voluerit Innocentius per verba illa incidentia in epist. ad Probum : *nec divortio eiecta.* Auctores in illorum interpretatione in diversas abierunt sententias. Eruditus Gonzales censet ea « referenda esse ad casum, quo matrimonium nullum de» claretur, quia celebratum fuit in gradu consanguinitatis aut » affinitatis, seu cum alio impedimento irritante ; nam cum ma» trimonium nullum declaretur, recte possunt coniuges ad aliud » transire ; tunc autem late id per divortium dicitur fieri, cum » vere matrimonium non extiterit (187) » Dr. Moy eadem verba

(186) Etenim Launoius op. cit. part. III. cap. V. pag. 821. concludit, Innocentium subintellexisse clausulam Matth. *excepta fornicationis causa*, quia alioquin vim eidem intulisset ; quia insuper *novitati* alioquin studuisset ; quia respondit Exsuperio ipsum interroganti de repudio ob alias causas, quam propter adulterium dato ; quasi nempe ignoraverit Exsuperius quod omni legenti Evangelium et epistolas Pauli notissimum erat, ob solam causam adulterii posse dimitti uxorem.

Calvi adiecit, Innocentium respondisse Exsuperio sciscitanti de causis repudii concessis a legibus Romanis. Verum si ita esset, cum leges Romanae inter has causas recensuerint adulterium, debuisset Innocentius respondere causas ad faciendum divortium a Rom. legibus assignatas omnes illicitas esse praeter *casum adulterii.* Tales sunt sapientes Ecclesiae doctrinae impugnatores !

(187) Emman. Gonzales Tellez *Commentaria perpetua in singulos textus Decret.* Gregorii IX. Francofur. ad Moenum 1690. tom. IV. cap. I. in tit. XIV. *De divortiis* n. 13. allegatque pro sua interpretatione Glossam verbo *eiecta*, eamdemque amplexus est Turriscremata. Cf. etiam Martorelli op. cit. pag. 325.

intelligi debere existimat hoc sensu : Quod coniugium secundae mulieris, superstite priore, *nec divortio eiecta*, id est, ne tum quidem locum habeat, quum prior coniux ob adulterium dimissa sit (188). Qui sensus eo verisimilior videtur, quod ei faveat orationis series, faveantque principia eiusdem pontificis aperte alias constituta, alioquin deberet secum ipse pugnare. Adeo verum est haud contendisse Innocentium citatis verbis aliqua ratione divortio favere, ut ad eius auctoritatem ne Launoius quidem confugerit, quod certe facere non omisisset, si causae suae esse patrocinatorem eum fuisset suspicatus (189).

§. XXIII.

De Concilio Milevitano II.

Sanctis Augustino et Innocentio addimus postremo loco auctoritatem concilii Milevitani, ut sic praeoccupemus technas, quas invexit Launoius, ut aliquo modo, si fieri posset, eius vim enervaret. Siquidem hoc concilium, cui interfuit S. Augustinus, canonem edidit, qui tribuitur etiam concilio Africano IV., Carthaginiensi XI., legiturque totidem verbis in codice Africano (190). Hic canon, qui est XVII. concilii Milevitani II., sic effertur : « Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disci-
» plinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito,
» alteri coniungantur : sed ita maneant, aut sibimet reconcilien-
» tur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In
» qua causa legem imperialem petendam promulgari (191). »

Celebris hic canon, qui nobis exhibet sententiam totius ecclesiae Africanae circa perfectam matrimonii indissolubilitatem, eo

(188) In op. cit.

(189) Sed neque ad Innocentium recurrerunt sive Chemnitius, sive Io. Gerhardus, neque eum sibi obiecit Sixtus Senensis.

(190) Cf. adnotat. Mansi in *Collect. max. concilior.* Florentiae seu potius Venet. 1760. tom. IV. col. 315. et col. 331.

(191) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 1229. celebratum est autem hoc concilium an. 418.

pluris faciendus est, quod hanc doctrinam repetat ex *disciplina evangelica et apostolica*, ac proinde nobis suppeditat genuinam tum evangelii Matthaei, tum apostoli Pauli intelligentiam, ac sensum praeterea traditionalem, et Ecclesiae praxim. Mirum proinde non est, si machinas omnes admoveant adversarii, ut nobis eripiant tam perspicuum orthodoxae doctrinae documentum.

Ac primo miratur Launoius, Patres Milevitanos petiisse legem imperialem, cum nondum annus centesimus esset expletus, ex quo legem Constantinus imperator hac de re tulerat (192); miratur, quod iidem Patres eamdem legem non viderint, aut si viderint, eiusdem recordati non fuerint. Negat praeterea, Patres Milevitanos novis sive auctoritatibus sive rationibus canone citato communivisse, et ab omni *impetitione* indissolubilitatem absolutam coniugii defendisse. Invehitur demum in Bellarminum eo quod asseruerit, canones Milevitani concilii Augustino praecipue auctore compositos editosque fuisse ; qua in re Bellarminus, iuxta ipsum, prodit, se ne torvis quidem oculis illos Augustini commentarios aspexisse, ex quibus testimonia sat multa, inquit, in medium adduximus (193). Alii optaverunt, ut canon adulterii speciatim mentionem fecisset, quo probandi vi gauderet. Nonnulli interpretati sunt postulationem concilii de lege imperiali, ut ea illicitum divortium, vivente altero coniuge, declararetur aliis praeter adulterium causis factum, ad abusus praecavendos (194).

Ast ex his ipsis, quae obiiciunt adversarii, magis confirmatur vis documenti, quod pro catholica doctrina exhibet concilium Milevitanum.

(192) Op. cit. *De regia* etc. pag. 835.

(193) Ibid. pag. 836. ubi contendit, S. Augustinum suam doctrinam, quam adstruxerat in libris ad Pollentium, aut retractasse aut saltem emollivisse. Nos contrarium ostendimus, neque profecto eiusmodi retractationem evincunt verba, quae hic ex Augustini lib. I. et II. *Retract.* a Launoio adducuntur: *Licere propter fornicationem, quae in stupris continetur, dimittere uxorem, nulla quaestio est.* Certe de hoc *nulla quaestio est*; ast quaestio est de facultate ducendi alteram uxorem post prioris dimissionem; quod constanter negavit S. Augustinus.

(194) Ita Batz et Brunquell apud Roskovàny p. 300.

Etenim tantum abest, ut imperator Constantinus hac de re centum plus minus ante annos legem tulerit, ut potius praeter adulterii crimen plures alias causas faciendis divortiis assignaverit (195). Lex vero, quam Launoius a Constantino datam commemorat, est de alio argumento, nimirum de gradibus consanguinitatis et affinitatis (196), adeoque nihil commune habet cum eo, quod constituerunt Patres Milevitani can. XVII., et nedum ipse mirari possit de his Patribus, quod legem hanc non viderint, aut eius recordati non fuerint, mirari potius nos possumus, Launoium ipsum recordatum non esse, legem a se laudatam de alia omnino re latam fuisse. Certe Patres Milevitani illam legem nec viderunt, neque eius recordati sunt, eo quod nunquam extiterit, aut si qua extitit, contraria prorsus erat ei, quam ipsi expetebant.

Quod vero negat, concilium Milevitanum communivisse ac defendisse absolutam coniugii indissolubilitatem etiam exclusa adulterii causa, pro arbitrio suo et immerito negat, ut ostendimus.

Sic certe Bellarminus Augustini commentarios, ex quibus Launoius tot eruit testimonia, ne torvis quidem oculis aspexit, oculis scilicet ac mente Launoii, ad illorum sensum intorquendum (197).

(195) Ea legem quam Constantinus sanxit an. 331. qua certas ob causas liceat libellus repudii: « In repudio mittendo a foemina haec sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulchrorum dissolutorem, maritum suum esse probaverit, ut ita demum laudata omnem suam dotem recipiat... In masculis etiamsi repudium mittant, haec tria crimina inquiri convenit, si *maecham*, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit. » In cod. Theodos. lib. III. tit. XVI. *De repudiis* cum comment. I. Gothofred. Lugduni 1665. tom. I. pag. 310.

(196) Sane Launoius hanc legem retulerat in 1. part. sui tractatus *De regia etc.* art. III. cap. 3. pag. 731. Quod si legem etiam Constantini *De divortiis* retulit part. III. pag. 828. in alium finem id praestitit.

(197) Reipsa plura ex Augustino Launoius testimonia adducit ex libris partim ante, partim post celebrationem concilii Milevitani conscriptis. Illa omnia singillatim expendi, ac ne unum quidem reperi, quod faciat pro causa sua, imo quod ipsi non sit contrarium; etenim constanter in iis sermo est de licita

Ad illud, quod alii se optare professi sunt, ut nempe Patres Milevitani specialem mentionem adulterii fecissent, quo vim probandi haberet ipsorum canon, facile est reponere, nullam fuisse causam, ob quam nominatim de adulterio mentionem iniicerent, cum, ut alias animadvertimus, exploratum esset apud omnes in lege evangelica nullam certe divortii seu repudii causam admissam esse, praeter adulterium. Satis enim erat ad hoc cognoscendum evangelia et epistolas Pauli legisse. Igitur cum unice ex adulterii causa ob Matthaei incisum, quispiam potuisset aliquam dubitandi rationem ingerere, Patres Milevitani ad unicam hanc excludendam causam divortii suum canonem ediderunt. Quod etiam magis confirmatur ex eo quod, Augustino maxime auctore, hic canon editus sit, qui energice adeo in duobus suis ad Pollentium libris contrariam sententiam convellerat.

Absonum demum est asserere postulationem concilii de lege imperiali eo spectasse, ut lege declararetur illicitum esse divortium, coniuge adhuc vivente; quasi nempe ab actis imperatorum penderet bonae aut malae actionis natura, atque ab imperiali declaratione res aliqua licita aut illicita decernenda foret. Porro hoc in mentem venire non poterat praesulibus Milevitanis, qui iuxta *evangelicam et apostolicam disciplinam* sanxerunt neque dimissum ab uxore, neque dimissam a marito alteri coniungi posse, sed ita manere, aut sibimet reconciliare debere. Quibus verbis alludunt ad 1. Cor. VII. 11. Itaque unica et vera causa, quare Patres legem illam efflagitarunt petieruntque, fuit ad communiendum sanctione imperiali, quod a concilio iuxta evangelicam et apostolicam disciplinam constitutum fuerat, adeoque ad eiusdem conciliaris sanctionis executionem.

uxoris dimissione propter adulterium, quod nemo unquam catholicorum inficiatus est; sed aliud est dimittere uxorem adulteram, aliud vero post dimissionem, eaque vivente, ducere aliam; et hoc est quod nunquam docuit Augustinus, immo quod expresse fieri posse semper negavit.

§. XXIV.

Documentorum e primis quinque Ecclesiae seculis de indissolubilitate coniugii in causa adulterii, et difficultatum, quae opponuntur, epicrisis.

Percurrimus hactenus maiori, qua per nos fieri potuit, diligentia quinque priorum seculorum Patrum et conciliorum testimonia, singulorumque analysim instituimus, ut genuinam ipsorum mentem assequeremur. Nunc praestat in unum colligere ea omnia, quae praemissa sunt, atque critica lance librare, ut inde verus traditionalis Ecclesiae sensus in hac adeo agitata quaestione appareat. Quod eo libentius praestamus, quod aetate hac nostra liberior sentiendi agendique ratio circa matrimonii dissolutionem longe lateque ex protestantium praesertim prava hac in re doctrina et exemplo diffundatur et invalescat. Adeo ut nec defuerint olim, neque hodie adhuc desint inter ipsos catholicos, qui, non obstante concilii Tridentini sanctione, veriti non sint propugnare contrariam doctrinam.

Ideo vero in quinto seculo consistimus, quia, ut vidimus, Chemnitius aliique cum eo fassi sunt post S. Augustinum *horridius* disputari *hac de re coepisse*, quasi nempe Hipponensis praesul omnium primus, sin minus novam in Ecclesiam de indissolubilitate coniugalis vinculi intulerit doctrinam, saltem hactenus ancipitem ac dubiam, veluti certam adstruxerit. Si proinde semel constiterit, Augustinum et cum eo concilium Milevitanum non proposuisse nisi doctrinam seculis anteactis ubique theoretice ac practice propagatam ac traditam, pronum erit inferre, tum Augustinum, tum Milevitanos Patres filum traditionis fuisse insecutos, adeoque iure concilium Tridentinum sanxisse, Ecclesiam non errasse, dum docuit ac docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, matrimonium ob adulterium alterius coniugis non posse dissolvi.

Caeterum quod attinet ad monumenta posteriorum seculorum, ne longior, quam par sit, nostra elucubratio evadat, ea veluti in compendium mox redigemus, potissimum vero quae a ve-

ritatis tramite deflectere visa sunt, exegeticis et criticis animadversionibus expendemus.

Ut igitur nunc in documentis priorum quinque consistamus seculorum, hinc Patrum doctrinam, inde vero adversariorum exceptiones perpendemus. Alii itaque ex Patribus aperte et absque ambage docent in nullo casu, atque idcirco ne interveniente quidem adulterio, dissolvi coniugium posse, ita ut, vivente adhuc altero coniuge, absque adulterii facinore, nemini fas sit alteri se copulare.

Tales porro sunt, ut vidimus, Hermas, vir apostolicus ac Romae degens, Athenagoras, Iustinus, Tertullianus, Clemens Alex., Origenes, Cyprianus, quibus addere possumus ex tertio seculo auctorem canonum, qui vulgo *apostolici* vocantur (198). Siquidem in can. XLVIII., vel iuxta recensionem ac versionem Dionysii exigui can. XL. absolute, seu absque exceptione ulla statuitur: « Si quis laicus uxore sua » eiecta, aliam acceperit, vel ab alio dimissam, segregetur. » Quo quidem canone vera verborum Christi et eorum communis ea aetate intelligentia exhibetur Ecclesiaeque praxis. Nil proinde mirum, si allegati Patres docuerint unanimi consensu non licere dimissam propter adulterium duci, cum omnes, uno Herma excepto, post editos canones illos floruerint (199). Item inter apertos plenae indissolubilitatis assertores recensentur Patres Illiberitani, nec non Patres Arelatenses, S. Ambrosius, S. Epiphanius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Io. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Innocentius I., concilium Milevitanum II.

(198) De auctoritate et antiquitate horum canonum cf. Guil. Beveregium: *Iudicium de canonibus apostolicis* n. X. ubi scribit: « Quamquam eos vel ab » ipsis Apostolis conscriptos esse, vel Clementi tamquam amanuensi dictatos » affirmare non ausim, nec cum Damasceno eos inter canonicos sac. Scriptu- » rarum libros recensendos iudicarim; nullus tamen dubito, quin a viris apo- » stolicis, hoc est, secundo labente et incunte tertio a Christi nativitate seculo » constituti passim deinceps innotuerint. »

(199) Cf. Beveregium loc. cit.

Alii vero docent quidem posse coniugem innocentem adulterum vel adulteram dimittere, quandoque etiam debere; sed nunquam docent post dimissionem licitum esse alterum ducere aut alteri nubere.

Tales sunt S. Hilarius Pictaviensis, Theodoretus, S. Chromatius Aquileiensis, S. Asterius Amasenus, S. Basilius.

Adeoque, quod singulari animadversione dignum est, ex quinque prioribus seculis, quamplures reperiuntur Patres, qui directe conceptisque verbis tradiderint, nefas omnino esse dirimere propter adulterium coniugium, ac si fiat, in crimen adulterii, qui id auderent, ex Domini et Apostoli sententia cadere. Plures item reperiuntur, qui etsi copulam coniugalem per adulterium divelli, dirimi, seiungi affirmarint, tamen nuspiam dicunt, posse quempiam post dimissionem adulteri vel adulterae absque piaculo cum altero coniugium inire, vivente adhuc priore coniuge. At ne unus quidem reperitur in tota antiquitate ex iis omnibus, quorum scripta ad nos pervenerunt, quem divortiorum patroni ut suae sententiae certo faventem commemorare possint. Dixi *ex iis quorum scripta ad nos pervenerunt;* nam, ut suo loco vidimus, pro istorum placito steterunt episcopi illi, quos ut ignavos ac divinae ignaros legis acriter obiurgat Origenes, quique proinde eos erroris ob hanc sententiam et praxim arguit. Item Pollentius, ad quem suos libros de adulterinis coniugiis direxit S. Augustinus; quamquam nec is proprie iisdem favere dicendus sit, cum nonnisi problematica ratione, atque, ut aiunt, academico more dubia sua proposuerit, quae discutit ac plane diluit Hipponensis doctor (200).

Equidem haud ignoro, nonnullos interdum etiam catholicae veritatis assertores aliquot ex Patribus atque ecclesiasticis scriptoribus contrariae parti dimisisse, perinde ac si reipsa adstruxerint novas ineundi nuptias facultatem post adulterae eiectionem.

(200) Immerito igitur Io. Gerhardus op. et loc. cit. intulit ex dubiis peculiaribus Pollentii, saltem dubiam tunc temporis in Ecclesia fuisse doctrinam, quam propugnamus.

Id sane vidimus de Sixto Senensi, de Tournelyo, de Colleto, de Druinio, aliisque. Verum id factum esse puto ob apparentem difficultatem, quam textus a suo contextu avulsi ac per se spectati, sine respectu ad scopum et finem auctoris totiusque orationis seriem, prae se ferebant. Quod si intimius eosdem textus una cum relatione ad integram orationem, atque adiuncta omnia spectassent, profecto ex ea persuasione recessissent.

Verum quidquid de hoc sit, certe aut falluntur aut fallere volunt doctrinae catholicae adversarii, dum fidenter adeo affirmant, *plures* numero Patres pro perfecto divortio in casu saltem fornicationis, quam pro indissolubilitate sententiam dixisse (201) ; aut cum asserunt testimonia Patrum et conciliorum sec. III. et IV. nihil ad probandum valere, spectatis huius doctrinae, ut ipsi loquuntur, *monumentis practicis*, sed ad traditionem evincendam primos Patres atque scriptores ecclesiasticos proferri debere, cuiusmodi sunt Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, Papias, qui tamen hac de re alte silent. Quasi nempe Hermas vir non fuerit apostolicus, caeterique debuerint, non oblata ipsis occasione aut necessitate, de omnibus scribere. Quodnam fidei dogma firmum consisteret, si hac regula uteremur (202) ?

Alii gravi supercilio parum valere autumant Patrum testimonia, eo quod ad instar peculiarium opinionum aut sententiarum haberi debeant, quae comparatae atque exactae ad normam recentioris philosophiae, historiae, philologiae, et criticae sublimioris cedere debeant sanioribus doctrinarum principiis (203).

(201) Ut auctor *Epistolar. de indissolubilitate matrimonii.*

(202) Notum est Augustinum adversus Pelagianos *undecim* Patres laudasse; synodum vero oecumenicam Ephesinam duodecim attulisse, eosque citimos adversus Nestorium, quos sufficere ad reddendum testimonium fidei Ecclesiae existimarunt. Cf. Petavium *De incarnat.* lib. XIV. c. XV. n. 2 seqq. ubi ostendit luculentissime, consuevisse concilia et Patres non ab *antiquissimis*, sed ab *citimis* potius et recentis memoriae doctoribus probationes et testimonia afferre. Quod adductis oecumenicarum Ephesinae, Chalcedonensis, quintae et sextae synodorum exemplis, nec non Augustini, Theodoreti, Cyrilli Alex., Gelasii pontificis in dogmatum propugnatione adversus haereticos evincit.

(203) Ita auct. op. Germ. *Legalit. divortii civilis in Bavaria* Monachii 1810. pag. 24 seqq.

Nimirum ex istorum sensu veteres omnes pygmei sunt, si novis hisce gigantibus comparentur, qui Ecclesiae doctrinae adversantur. Alii vero Patribus hac in re detrahunt, quod monastico spiritu imbuti, nimis asceticis ideis indulgerent (204). Alii demum non verentur adstruere parum fidendum testimoniis veterum, sive quod universalia et conformia non sint; sive quod loquantur *in regula*, nulla facta exceptionis mentione; sive quod cunctanter animum suum aperiant, sive quod quatuor priorum seculorum vacillet traditio documentis inter se decertantibus (205).

Ast haec commemorasse ac refellisse unum est, nec aliud ea evincunt, quam spiritum systematis, ut vocant, eorum, qui destinata opera contendunt quavis ope propria adstruere. Siquidem ex adductis, alia non sunt nisi merae assertiones omni destitutae fundamento, alia iniuriosa sunt universae antiquitati, quam despiciunt utpote sibi adversam, produntque intolerabilem tumorem, quo se super veteres omnes extollunt praeferuntque; alia ex dictis sunt aperte falsa. Falsum enim est Patres in diversas abiisse hac in re sententias, adeo ut se invicem collidant; siquidem ne unus quidem est, qui aperte permittat alteri coniugium, dum adhuc in vivis est pars ob adulterium dimissa. Falsum item est cunctanter ac animo quasi pendentes Patres fuisse locutos; falsum insuper vacillare veterem traditionem ob documenta inter se decertantia, uti ex singulorum analysi ostendimus.

Nunc vero addimus ad pleniorem istorum confutationem, ne unum quidem suppetere ex integra quinque priorum seculorum periodo exemplum alterius matrimonii impune contracti post

(204) Ut Bernard. Sauer in *Dissert. circa quaest.*: *Est ne solutum vincul. coniug. ob adulterium iuridice definitum*? Manheim 1830. pag. 22 seqq.

(205) Uti Carol. Lassaulx in op. Germ. *Concordia leg. civil. Gallican. de divortio cum verbo Dei scripto et tradito.* Koblenz et Hadamar. 1816. pag. 98 seqq. Item Maurus Hagel in op. Germ. *Demonstratio relig. christiano-cathol.* tom II. August. Vindel. 1832. pag. 210.; nec non Thom. Dolliner, canonista Austriacus, in op. Germ. *Illustratio ration.* capitis II. codic. *Univers. civilis* a §. 3. ad 122. seu *Processus matrimon.* II. part. Vindob. 1835. pag. 6. apud Roskovàny op. cit. pag. 190-191.

prioris coniugis ob adulterium dimissionem. Omissis enim illis, qui annuentibus nonnullis ignavis episcopis, ita se gesserunt, qui propterea ab Origene graviter vapulant, non habemus nisi factum Fabiolae relatum a S. Hieronymo in epistola ad Oceanum. Ast eam poenituit adeo facinoris sui, ut non dubitaverit se ream inclamare in ingressu basilicae Lateranensis, universo clero populoque Romano spectante. Ex quo facto deprehendimus, quam inveterata ac firma fuerit in ecclesia Romana de omnimoda indissolubilitate coniugalis vinculi, etiam interveniente adulterio, doctrina ac traditio.

His igitur dimissis, ut incoeptum resumamus iter, recolenda nobis supersunt documenta, quae a seculo VI. et deinceps afferuntur sive pro absoluta coniugii firmitate, sive contra eamdem.

Articulus II. De sensu traditionali circa indissolubilitatem christiani matrimonii in causa adulterii a seculo VI. et deinceps.

Haud diffitemur, salebrosam et scopulis obsitam nos ingredi viam, dum documenta ecclesiastica de proposita quaestione expendere aggredimur. Certum siquidem est pleraque testimonia, quae de hoc argumento a sexto Ecclesiae seculo et deinceps sese exhibent, aperte pro avita doctrina decertare : verum nec desunt documenta, quae aut gravem facessunt difficultatem contra indissolubilitatis doctrinam, aut etiam illi penitus adversari videntur. Ea qua par est sedulitate singula ad trutinam revocabimus. Perspicuitati studentes in duas veluti classes documenta haec partiemur, nempe in certa et in dubia. Sed prius ea afferemus, quae certo pro antiqua stant sententia, tum vero ea sive dubiae auctoritatis, sive dubiae interpretationis, quae ideo nos minime contraria, sed potius dubia appellamus.

§. I.

De documentis certis pro indissolubilitate vinculi coniugalis a seculo VI. et deinceps.

Agmen istorum ducat ven. Beda. Is in commen. in 1. Cor. VII. exponens illud Apostoli : *Iis qui matrimonio iuncti sunt* etc. ita scribit : « Potest fieri, ut (uxor) discedat ea causa, qua » Dominus permisit.... quod causa fornicationis permittitur, » maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori ?.... Quia et qui » dicit, non licet dimittere uxorem nisi causa fornicationis, cogit » retinere uxorem, si causa fornicationis non fuerit. Si autem » fuerit, non cogit dimittere, sed permittit, sicut dicitur. Non » liceat mulieri nubere alteri, nisi viro mortuo. Si ante viri » mortem nupserit, rea est. Si post viri mortem nupserit, » non est rea. Non enim iussa est nubere, sed permissa. » Dominus ergo ad illud confirmandum, ut non facile uxor » dimittatur, solam causam fornicationis excepit, caeteras » vero universas molestias, si quae forte extiterint, iubet » pro fide coniugali, et pro castitate fortiter sustineri, et » moechum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quae soluta est » a viro. Cuius rei Paulus apostolus terminum ostendit. Quia » tamdiu observandum dicit : quamdiu vir eius vivit. Illo » autem mortuo, dat nubendi licentiam. Hanc enim etiam re- » gulam ipse tenuit, et in ea non suum consilium, sicut in » nonnullis monitis, sed praeceptum Domini iubentis ostendit, » cum ait : *Eis autem, quae nuptae sunt, praecipio non ego, sed* » *Dominus, mulierem a viro non discedere; quod si discesserit* » *manere innuptam, aut viro suo reconciliari, et vir uxorem* » *non dimittat.* Credo simili forma, ut si dimiserit, non ducat » aliam, aut reconcilietur uxori. Fieri enim potest, ut dimittat » uxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse » voluit. Iam vero si nec illi nubere conceditur vivo viro, a quo » recessit, neque huic alteram ducere viva uxore, quam dimisit, » multo minus fas est, illicita eum cum quibuslibet stupra com-

» mittere (206). » Ex his habemus tum ipsius Bedae sententiam, tum interpretationem textuum Matthaei et Apostoli de perfecta indissolubilitate, non obstante coniugis alterutrius fornicationis flagitio.

Huic adnectimus quod a concilio Herufordiensi in Anglia sub Theodoro, archiepiscopo Cantuariensi, an. 673 celebrato cap. X. constitutum est, atque a Beda ipso refertur : « Nullus coniugem » propriam nisi, ut sanctum evangelium docet, fornicationis » causa relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit co- » niugem legitimo sibi matrimonio coniunctam, *si christianus* » *esse recte voluerit,* nulli alteri copuletur : sed ita permaneat » aut propriae reconcilietur coniugi (207). » Quo indicatur non de re mere disciplinari hoc in canone agi, sed de eo quod ex religionis christianae professione tenendum omnino agendumque sit.

Concilium item Parisiense VI. quod ex quatuor provinciis Remensi, Senonensi, Turonica ac Rotomagensi collectum est an. 829., quod proinde nobis exhibet quatuor Galliae provinciarum doctrinam lib. III. cap. II. ita loquitur : « Quod hi, qui causa » fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, Domini sen- » tentia adulteri esse notentur (208). »

Sic pariter conc. Namnetense coactum an. 895. singularem canonem hunc XII. edidit : « Si cuius uxor adulterium perpe- » travit, et hoc a viro deprehensum fuerit et publicatum, di- » mittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem : illa vero » septem annis publice poeniteat. Vir vero eius illa vivente nul- » latenus aliam accipiat. Quod si voluerit adulteram sibi recon- » ciliare, licentiam habeat; ita tamen, ut pariter cum illa poeni- » tentiam agat; et exacta poenitentia, post septem annos ad » communionem uterque accedat. Similis forma et in muliere

(206) Opp. ed. Basileae tom. VI. col. 418.

207) *Hist. ecclesiast. gentis Anglor.* lib. IV. cap. V. cit. ed. tom. III. col. 125.

(208) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. IV. col. 1355.

» servabitur, si eam vir eius adulteravit (209); » hoc est adulterio polluit.

Accedit concilium Foroiuliense sub S. Paulino Aquileiensi an. 791. celebratum quod cap. X. ita quaestionem hanc dirimit : « Item placuit, ut, resoluto fornicationis causa iugali vinculo, » non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, » licet sit illa adultera; sed nec adulterae, quae poenas gravis- » simas vel poenitentiae tormentum luere debet, alium accipere » virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, » marito. Nam etsi legatur in sacris evangelicis paginis, sola » fornicationis causa dixisse Dominum, dimittere virum uxorem » suam; non tamen legitur concessisse aliam, vivente illa, in co- » niugio sibi sociare : prohibuisse quidem modis omnibus non am- » bigitur. Ait enim : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob* » *fornicationem, et aliam duxerit, moechatur : et qui dimissam* » *duxerit, moechatur.* Qua de re ita diffinire prospeximus, ut » iuxta Domini mellifluam vocem, nemo haec interdicta violator » inculcare praesumat. Sed quoniam in medio ambiguus inter- » ponitur sermo, idest, *nisi ob fornicationem;* quaeri nimirum » potest, utrum ad solam licentiam dimittendi uxorem, *qui di-* » *miserit uxorem nisi ob fornicationem*, an etiam ad utrumque » dictum refertur, hoc est, ad aliam, vivente illa, accipiendam. » quasi dixerit : Qui dimiserit uxorem suam, et aliam, nisi ob » fornicationem, duxerit, moechatur. Et idcirco peritissimi viri » beati Hieronymi libellum commentarium recenseri nobis stu- » diose mandavimus, anxie utique cognoscere festinantes, qua-

(209) Ibid. Tom. VI. Par. I. col. 460. seq. Hic canon extat etiam lib. VII. Capitularium cap. 298 : et in canonibus Isaaci Lingonensis tit. 5. cap. 2. In hunc canonem rite observat Cotelerius in nota ad Mandatum IV. lib. II. Hermae Pastoris : « In praedicto canone Namnetensi praecipitur, ut coniux insons pariter » cum sonte agat poenitentiam; non insolito olim ecclesiasticae disciplinae vi- » gore, cuius rationes esse videntur hae : metus ne immunis a flagitio, causa » aliquatenus vel occasio extiterit adulterii; suspicio incontinentiae in repos- » cente coniugem, et comprobatio verae reconciliationis. » Quibus aliae adiici facile possent. Interim his frangitur audacia Launoii, qui censura perstrinxit huius concilii Patres, quia sibi adversantur.

» liter idem sanctissimus doctor haec sacrata dominica verba, » iuxta capacioris ingenii sui subtilitatem, sensisse monstrare- » tur. Cuius nimirum sensum sagaciter explorantes, in promptu » nihilominus patuit, ad solam dimittendi uxorem licentiam per- » tinere. Nam cum more suo vir sanctus huius capituli sum- » matim seriem exponendam transcurreret, inter caetera et post » pauca sic ait : Et quia poterat, inquit, accidere, ut aliquis » calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nup- » tiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere iube- » tur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat. Non » enim debet imitari malum adulterae uxoris, et si illa duo, » immo unam carnem, per scissuras fornicationum divisit in » tres, dividat in quatuor. Unde patenter datur intelligi : quam- » diu vivit adultera, non licet viro, nec potest impune secundas » contrahere nuptias (210). » Hoc vero capitulum nonnullis ca- nonibus exponendis inserviet.

Inter capitula selecta canonum Hibernensium lib. XLIV. le- gitur canon S. Patricio adscriptus his verbis expressus : « Si » alicuius uxor fornicata fuerit cum alio viro, non ducat aliam » uxorem, quamdiu viva fuerit uxor prima. Si forte conversa » fuerit, et agat poenitentiam; et suscipiet eam, et serviet ei, » quamdiu viva fuerit in vicem ancillae, et annum integrum in » pane et aqua per mensuram poeniteat, nec in uno lecto perma- » neant (211). »

Pariter concilium Triburiense in Germania an. 895. habitum, can. XLVI. decrevit : « Maritus, quamdiu ipsa (adultera) vivit, » nullo modo alteram ducat (212). »

Eadem constituta leguntur in capitulo LXXXVII. libri VI. Capitularis Caroli M. et Ludovici Pii, ubi canon X. concilii Heru-

(210) Apud Harduin. *Acta concil.* Tom. IV. col. 859 seq.

(211) Apud Luc. D'Acherium : *Veterum aliquot scriptorum spicilegium* Paris. 1669. tom. IX. cap XXXIII. pag. 43. nec non apud Wilkins *Concilia magnae Brittanniae et Hiberniae.* Londini 1737. pag. 6. sub hoc titulo : *Canones S. Patricio adscripti ex opusculis S. Patricii per Iacobum Weraeum pag.* 39.

(212) Apud Harduin. *Acta concil.* tomi VI. par. I. col. 454.

fordiensis repetitur (213). In capitulo autem CXCI. eiusdem libri constituitur : « Adnuntiet unusquisque presbyterorum pu» blice plebi ab inlicitis connubiis abstinere, et secundum Do» mini mandatum, legitimum coniugium nequaquam posse ulla » occasione separari, excepta causa fornicationis, nisi consensu » amborum, et hoc propter servitutem Dei (214), » quibus firmitas omnimoda coniugalis vinculi adstruitur; siquidem separatio permittitur causa fornicationis eadem ratione, qua mutuo permittitur amborum consensu pietatis causa; iam vero per mutuum consensum profecto vinculum non dirimitur, adeoque neque propter fornicationis causam.

Sic etiam lib. VII. cap. LXXIII. dicitur : « Qui, interve» niente repudio, alio se matrimonio copularunt, quos in utraque » parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vi» vente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam » copulam festinarunt, nec possunt adulteri non videri, in tan» tum ut etiam hae personae, quibus coniuncti sunt, adulteri » esse monstrentur (215).»

Id ipsum apud Graecos ipsos aliquando obtinuisse haud obscure patefacit documentum, quod suppeditat ius Graecoromanum in responsionibus Nicetae, metropolitani Heracleae, ad Constantinum episcopum. In *interrogatione secunda*. « An puellam opor» teat accipere alium virum, cum vir eius est in extraneam re» gionem profectus, ibique concubinam nactus : et ipsa viri » reditum tribus annis expectavit. Resp. Hic quidem a concu» bina discedet, nec ab uxore separabitur : sed nec ipsa ad alias

(213) Cf. *Capitularia regum Francor.* ed. Stephani Baluzii. Paris. 1677. tom. I. col. 936.

(214) Ibid. col. 955-956.

(215) Ibid. col. 1041. Hoc autem capitulum desumptum est ex Innocentio I. Cf. de hac capitularium collectione eruditam praefationem Stephani Baluzii, in qua ipse ostendit, eam conflari maxima ex parte ex decretis Rom. pontificum et conciliorum sive generalium sive particularium. Hi libri numero septem collecti et editi sunt ab Ansegiso abbate an. 827. sub imperio Ludovici I. eiusque filii, ut constat ex praefatione ad librum I. Ibid. pag. 697.

» festinabit nuptias. Libera enim est, (ut inquit Apostolus,) viro » mortuo, non autem eo vivente. » *Interrog.* 3. « Puella quae- » dam virum accepit, et sponsaliorum facta est precatio et be- » nedictio : cum carnalis non intervenisset copula, vir in suam » socrum prolapsus est, gravidam fecit, quid faciendum est? » Resp. De hac specie et prius respondimus : nunc autem quod » suppetit, respondebimus : licere viro suam uxorem habere : » sed procul a socru removendum esse, ob malam consuetu- » dinem, ne amplius ab ea pelliciatur (216). » In utroque pro- posito casu tum de adulterii, tum etiam de incesti flagitio agitur alterius coniugis ; negatur tamen sive nocentem partem sive innocentem posse alias inire nuptias, atque aperte quoque nup- tiae excluduntur, vivente adhuc altero coniuge, ex auctoritate Apostoli.

Huc pariter spectat epistola LXIV. Ioannis papae VIII. ad Ederedum archiep. Anglorum, in qua scribit : « His autem, quos » asseris uxores proprias contra praeceptum Domini relinquere, » praecipimus, neque virum ab uxore, neque uxorem a viro, » nisi causa fornicationis, discedere : quod si *ob hoc* discesserit, » manere innuptum, vel innuptam, aut sibi mutuo reconciliari : » quoniam dicente Domino, *Quod Deus coniunxit, homo non* » *separet;* et ideo cum priorem legitimo sibi matrimonio iunc- » tam quisque descrere nequeat, *nulla ratione illi prorsus* con- » ceditur aliam vivente priore conducere : quod si fecerit, et » non emendare sub satisfactione studuerit, ab Ecclesiae con- » sortio maneat separatus (217). »

(216) *Iuris Graecoromani tam canonici quam civilis.* Io. Leunclavii. Francofurt. 1596. tom. I. lib. V. pag. 310.

(217) Apud Labb. tom. IX. pag. 52. et in *collect. maxima concil.* Mansi. Venet. 1772. Tom. XVII. col. 55. Hic est famosus textus quem Launoius ut traheret ad rem suam foede corrupit, substituens ad illud *ob hoc, ob aliud.* deinde delens illa verba : *nulla ratione prorsus.* Tales sunt catholicae doctrinae impugnatores!

§. II.

De documentis dubiis circa indissolubilitatem vinculi coniugalis a sec. V. VI. et deinceps.

Inter dubia documenta refero canonem concilii Hibernensis II. quod sub S. Patricio celebratum perhibetur, qui est numero XXVI. atque ita legitur : « Audi Dominum dicentem : » *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur*. Item, *adultera* » *lapidetur* : id est, huic vitio moriatur, ut desinat crescere, » quae non desinit moechari. Item, *si adulterata fuerit mulier*, » *numquid revertitur ad virum suum priorem?* Item, *non licet* » *viro dimittere uxorem, nisi ob causam fornicationis*, ac si dicat » *ob hanc causam* : unde si ducat alteram velut post mortem » prioris, non vetant (218). »

Canonem hunc inter documenta dubia retuli, non quod eius verba satis aperta non sint quoad facultatem, quae viro praebetur post adulterae dimissionem alteram ducendi, sed ideo quia incertae auctoritatis est documentum. Etenim, uti rite animadvertit Amort, non potest hoc vocari concilium, cum nullam concilii praeferat formam, sed compilationem quamdam verius vocaveris ab imperito consarcinatore confectam, qui varias collegit sententias forte traditione spuria S. Patricio attributas. Imperitia praeterea huius consarcinatoris se prodit ex sola huius canonis inspectione. Nam in primis haec verba : *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur*, non sunt verba Christi Domini, sed Apostoli; secundo haec verba : *adultera lapidetur*, praeterquam quod biblica non sunt, non habent hunc sensum : *vitio moriatur*. Tertio non cohaerent cum *morte vitiorum* sequentia : *ut desinat crescere, quae non desinit moechari*. Si enim loquitur de ea, quae vitiis moritur, quomodo componuntur haec cum ea, quae non desinit moechari? Quarto nullum inter se nexum habent quinque allati biblici texus, qui

(218) Apud Harduin. *Acta* etc. tom I. col. 1796.

tamen coniunguntur per illud *item* (219). Accedit nullam synodi formam, ut innuimus, eiusmodi collectionem exhibere, praesertim si cum synodo praecedente comparetur; mendosissimum insuper esse unicum exemplar quod omnium primus reperit Sirmondus (220). Demum addo, quod in vera S. Patricii synodo contrarium potius constitui videatur can. XIX. qui ita effertur : « Mulier christiana, quae acceperit virum honestis » nuptiis, et postmodum discesserit a primo, et iunxerit se adul» tero; quae haec fecit, excommunicationis sit (221). » Et clarius adhuc lib. XLIV. cap. XXXIII. decrevit synodus : « Ut mulier » iuncta alii viro causa adulterii excommunicata fiat definimus, » donec poenitentiam agat; et post poenitentiam reconcilietur » viro suo (222); » in quo doctrina traditur superiori plane contraria.

Dubius quoad significationem in re nostra est canon LXXXVII. concilii Trullani an. 692. « Quae maritum reliquit, est adultera, » si venerit ad alium, ut vult sacer et divinus Basilius, qui ex » Ieremia propheta hoc optime collegit : *quod si alii viro uxor* » *fuerit, ad maritum suum non convertetur, sed polluta polluetur*. Et rursus : *qui autem detinet adulteram, est insipiens et*

(219) Cf. Amort. op. cit. *Demonst. critica* pag. 88.

(220) Hinc apud Wilkins, *Concilia magnae Britanniae et Hiberniae*, Londini 1737. vol. I. pag. 4. haec nota legitur ad hanc synodum, quae S. Patricii nuncupatur : « Quae synodus alia S. Patricii dicitur, non tam synodus videtur, »quam responsio ad quaesita aliqua. Quare ipso initio : *De eo quod mandasti*, » quod et in caeteris capitulis sub intelligitur. Corruptissima sunt pleraque » omnia, quae nonnisi melioris codicis ope possunt emendari : pauca per con» iecturam paulo tolerabiliora facere conati sumus. Secundam hanc S. Pa» tricii synodum ex Andegavensi bibliotheca transcriptam D. Hothaeo commu» nicavit aliquando Iacobus Sirmondus, quorum ille eam ad reverendissimum pa» trem D. Iacobum, Armachanum archiepiscopum, primatem Hiberniae, misit, et » eamdem mihi praesul idem conditione et pietate spectatissimus 1. aprilis » 1628. De tempore autem, quo sit habita, neuter meminit, nec e synodo depre» henditur. Haec Spelmannus. »

(221) Apud Wilkins *Concilia* etc. tom. I. pag. 3.

(222) In *Spicileg.* D'Achery edit. Nov. Paris. 1723. tom. I. p. 504. Cf. Moy. op. cit. *Ius matrimoniale christianor.* pag. 307. seq. ubi alii eiusmodi canones proferuntur ex eadem synodo.

» *impius*. Si ergo praeter rationem a marito recessisse visa sit, » ille quidem venia dignus est, haec vero poena. Illi autem venia » dabitur, ut Ecclesiae communicet. Sed ei, qui legitime sibi » datam uxorem relinquit, et aliam ducit, e Domini sententia » est adulterii iudicio obnoxius. A Patribus enim nostris statutum » est, ut, qui sunt eiusmodi, annum defleant, biennio audiant, » triennio substernantur, et septimo cum fidelibus consistant, » et sic oblatione digni habeantur (223). » Hic non agitur expresse de facultate aliam ducendi post adulterae dimissionem ; attamen videtur insinuari, quod peracta poenitentia possit vir consistere cum ea, quam illegitime duxit. Res plane incerta est ; adeoque pro neutra sententia adduci hic canon potest, et si cui parti favet, profecto favere videtur absolutae indissolubilitati. (224).

Eodem in censu habeo can. IX. concilii Svessionensis ann. 744 celebrati, in quo dicitur : « Similiter constituimus, ut » nullus laicus homo Deo sacratam foeminam ad mulierem » habeat : nec marito vivente suam mulierem alius accipiat, » nec mulier vivente suo viro alium accipiat : quia maritus » mulierem suam non debet dimittere, excepto causa fornica- » tionis deprehensa (225). » Prima fronte videretur posse canon intelligi de sola dimissione quoad lectum victumque ; ast difficultatem creant ea, quae hic statuuntur de non ducenda altera, vel de alteri non nubendo, excepta fornicationis causa (226) ;

(223) Apud Harduin. tom. III. col. 1692.

(224) Cf. in hunc can. Scholion Christ. Lupi opp. ed. Venet. 1724. tom. III. pag. 153. seq. Iuxta Lupum conc. Trullanum hoc canone leges novellas faventes divortiis partim abiicit, partim confirmat. Et virum nempe et mulierem, irrationabile repudium attentantem, damnat de adulterio, arcetque perpetuo a novis nuptiis, quas tamen viro inique dimisso, de muliere eamdem iniuriam passa tacens, permittit. Ita quidem ipse ; ast res non est satis aperta.

(225) Apud Harduin. loc. cit. col. 1954.

(226) Sane Colletus n. 226. hunc canonem inter eos refert, quibus adstruitur indissolubilitas, prout pariter eadem ratione refert Cotelerius in notis ad Mandat. IV. Hermae. Non habeo positive quod repugnem. Nolui tamen inter documenta certa hunc canonem recensere ob praefatam difficultatem. Caeterum rite potest haec clausula intelligi iuxta sensum textus evangelici, quo permit-

nisi velis appositam clausulam ad solam dimissionem coarctare, prout non pauci contendunt.

Idem esto iudicium de can. XVIII. concilii Vermeriensis in Galliis habiti an. 742. his verbis proposito : « Qui cum con-
» sobrina uxoris suae manet, sua careat, et nullam aliam
» habeat : illa mulier, quam habuit, faciat quod vult. Hoc
» Ecclesia non recipit. » Nam videntur postrema haec verba irrepsisse ex margine in textum ; manifeste enim a quopiam annotatore in margine posita esse videntur (227). Eo vero lubentius in hanc inducor coniecturam, quod videam eiusmodi concilium facile, immo etiam proclive fuisse in his facultatibus concedendis. Sic can. II. constituitur : « Si aliquis cum filiastra
» sua manet, nec matrem nec filiam ipsius potest habere ; nec
» ille nec illa se poterunt coniungere ullo unquam tempore.
» Attamen uxor eius, si ita voluerit, si se continere non potest,
» si posteaquam cognovit quod cum filia sua vir eius fuit in
» adulteriis, carnale commercium cum eo non habet, nisi vo-
» luntate abstinet, potest alio nubere ; » et can. V. « Si qua
» mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consiliavit, et
» ipse vir ipsius hominem se defendendo occiderit, et hoc pro-
» bare potest ; ille vir potest ipsam uxorem dimittere, et si
» voluerit, aliam accipiat (228) ; » ut alios omittam.

Huc etiam solet a plerisque adduci responsio Gregorii II. ad S. Bonifacium, Germanorum apostolum, data an. 726. (229) sic igitur se habet : « Quod proposuisti, quod si mulier infirmitate

titur quidem dimissio coniugis infidelis ob adulterium, quin concedatur facultas transeundi ad novas nuptias.

(227) Idipsum suspicatus est Cotelerius loc. cit.

(228) Apud Harduin. *Acta* etc. tom. III. col. 1990-1992. Cf. in hunc canon. notas et commentarium Gonsalez Tellez *comment. in decret.* Gregorii IX. tom. IV. tit. XIX. *De divortiis*. cap. I. p. 256 seqq. Petrus Collet. *De matr.* c. V. *De indissolub.* hos. canones adnititur exponere benigne.

(229) Deprehendimus ex anno 726. quo data haec epistola est, perperam a Gratiano, Hincmaro, Ivone, Bellarmino, Bossueto, Nat. Alex. aliisque hanc epistolam Gregorio III. *Iuniori* nuncupato adscriptam fuisse. Nam Gregorius III. nonnisi an. 731. evectus fuit ad pontificatum.

» correpta non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat » iugalis ? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae va- » caret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit » continere, nubat magis : non tamen subsidii opem subtrahat » ab illa, quam infirmitas praepedit, et non detestabilis culpa » excludit (230). » Verum, ut patet, ad praesentem quastionem eiusmodi responsio non refertur ; nec enim agitur de coniugii dissolutione, interveniente adulterio, deque facultate aliam ducendi uxorem post adulterae dimissionem. Sed unice agitur de concessione alteram ducendi ob prioris uxoris infirmitatem. Omittimus propterea quaestiones criticas virorum eruditorum tum circa hanc epistolam (231), tum circa sensum eiusdem responsionis, num scilicet Rom. pontifex egerit de casu uxoris perpetua naturali impotentia laborantis, ut plures contendunt (232) ; aut de impotentia ex morbo contracta paulo ante celebrationem coniugii, ut alii volunt (233) ; num vero de dissolutione coniugii veri quidem, sed non rati utpote in infidelitate contracti, ut alii arbitrantur (234) ; num potius de peculiari aliquo

(230) Apud Harduin. tom. III. col. 1858. et apud Mansi *Nova et ampliss. collect.* tom. XII. pag. 245. Item apud Gratianum in *Decreto* causa XXXII. q. 7. cap. 18. et in operibus S. Bonifacii omnibus edit. Giles. Londini 1844. tom. I. p. 64. atque describitur a Philippo Zaffé in *Registro* pontif. Roman. ad an. 726. sub die 22. Nov. tamquam authentica.

(231) Binterim in historia conciliorum Germanicorum edita Mogunt. 1852. vol. III. p. 154. refert se pluribus de causis, maxime quod hae decretales litterae in Othonis collectione desiderarentur, in opere quod de matrimonio eiusque solutione scripserat, earumdem authenticitatem in dubium revocasse ; nunc vero huiusmodi dubium deposuisse, eo quod Zacharias papa in concilio Romano an. 743. et Riculphus archiep. Moguntin. in concilio Wormatiensi an. 803, nec non Hincmarus illius mentionem fecerint.

(232) Uti Ant. Augustinus, Gonzalez Tellez, Bellarminus, Amort, aliique passim.

(233) Uti Binterim, qui op. cit. nota 2. p. 155. textum hunc explicat de impotentia antecedente, quae non quidem ex naturali quodam corporis habitu, sed ex morbo ante matrimonium contracto orta est. Verba quidem impotentiam consequentem indicare dicit, at in octavi seculi scriptoribus verborum vim non nimis urgendam esse.

(234) Uti Berardus : *Gratiani canones genuini.* Taurini 1755. tom. II. part. II. pag. 201 seqq : et Frid. de Kerz *Hist.eccles.* comitis a Stolberg continuator.

conscientiae casu pontifici proposito, ut nonnullis placuit (235). Idem dic de genuina istius textus lectione (236).

Quidquid porro de his sit, certum est Gregorium II. aperte mentem suam circa perfectam matrimonii indissolubilitatem patefecisse in *Instructione matrimoniorum* data an. 722. his verbis : « Ut ita nubentibus vel nupturis ordinem ex apostolica » auctoritate detis, ut nec continentiae causa iudicetur damna- » bilis copula nuptialis, nec per licentiam nubendi praesumatur » occasio fornicandi. Sed sicut masculum et foeminam Deus » in ipso exordio mundi praecepit coniungi, ut sint duo in » carne una, ita iuxta doctrinam apostolicam *Unusquisque* » *vir suam uxorem habeat*, et non liceat in invicem fraudare, » nisi ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, dicente de » hoc ipso Apostolo : *Alligatus es uxori ? noli quaerere solu-* » *tionem*, id est, superstite coniuge, ad alterius foeminae concu- » bitum non velle transire, quia eodem doctore gentium ad- » struente : *qui fornicatur, in corpus suum peccat*, hoc est, cui » fraudando per amplexus illicitos, semetipsum sub peccati » reatu obstringit. Unde nec reputandum est recte coniugium, » quod duorum excesserit numerum, quia nisi in duobus non » geritur iugum (237).»

Huc potius spectat quod sub Zachariae nomine profertur decretum : « Concubuisti cum sorore uxoris tuae? Si fecisti, neu- » tram habeas : et si illa, quae uxor tua fuerit, conscia sceleris » non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit. » Tu autem et adultera sine spe coniugii permaneatis : et quam- » diu vixeritis, iuxta praeceptum sacerdotis poenitentiam » agite (238). » Circa cuius decreti intelligentiam in varias sententias viri docti abierunt. Sixtus Senensis recenset hac de causa Zachariam inter eos « qui huiusmodi repudia permiserunt, » et interdum iusserunt, promulgatis super hac sanctionibus

(235) Quae est opinio Roskovàny op. cit. p. 309.

(236) In nova ed. a Ludov. Richter Lipsiae 1839. adornata habetur alia lectio; nam pro *corrupta* legitur *corrupta* ex ed. *Decreti* Argent. 1471. et Basilcae 1484.

(237) Apud Mansi tom. XII. pag. 259.

(238) Apud Gratianum causa XXXI. q. 7. c. 23.

» et decretis, non quidem generalibus et perpetuis, sed ad tem-
» pus; idque certis nationibus ac gentibus, et in incestibus tan-
» tum; atque aliis quibusdam atrocibus flagitiis, ne longe peiora
» turpioraque perpetrarentur ab his, qui tam foeda coniugia
» tolerare non poterant (239). » Bellarminus exponit verba Zachariae perinde ac canonem IV. concilii Triburiensis de coniugio, quod parti innocenti conceditur post mortem coniugis prioris (240). Huic autem expositioni alii repugnant, eo quod componi haud posse videatur cum postremis decreti verbis : *tu autem et udultera sine spe coniugii permaneatis,* quae supponunt, uxori, adhuc vivente adultero viro, si continere se non possit, alias nuptias inire permissum fuisse (241). Quapropter verior illorum responsio videtur, qui eiusmodi decretum falso Zachariae pontifici adscriptum censent (242). Ac merito quidem, nam quid revera senserit hac super re verus Zacharias pontifex, apparet ex eius epistola ad Pipinum et episcopos Francorum data, in qua ad quaestionem. « Quid cum laico coniugem suam
» pellente agendum sit? » Respondet verbis can. apostolici XLVIII. « De laico pellente suam coniugem ex canone sancto-

(239) *Biblioth. sancta* lib. VI. annot. LXXXI. Verum hunc auctorem parum criticum se praestitisse alias observavimus; et sane pro dissolubilitate recenset sive concilia, sive auctores, qui longe abfuerunt ab hac sententia. Hac de causa Lutheranus Gerhardus in loco mox citando eidem gratias agit.

(240) *De matrim.* cap. XVII. in resp. ad obiect. XII. eodem modo quo interpretatus est Petrus Lombardus D. 32. perinde ac Hugo a S. Victore in *Summa sententiar.* tract. VII.

(241) Ita Gerhardus *Loci theol.* pag. 180. cit. ed. scribens : « Ipsa decreti
» verba Bellarmini exceptionem excludent. Quomodo enim de coniugio post
» mortem adulteri repetendo intelligi potest, quod conceditur parti innocenti
» nubere in Domino, dum adulter incestuosus manet sine spe coniugii ? »

(242) Uti Baluzius in notis ad Gratianum scribens : « Unde vero ista accepe-
» rit Gratianus, non video. Burchardus enim lib. XIX. c. 5. citat ex Poeniten-
» tiali Romano, quod magis placet. Nam et stylus ipse non est epistolaris, et
» praeterea non convenit dignitati pontificiae. » Sic etiam Van Espen *Comment.* in 2. Part. *Decreti Gratian.* Brunquell, ac novissime Binterim apud Roskovàny op. cit. *de matr.* tom. II. *De indissolubil.* p. 330. Cf. etiam Sebast. Berardi *Canones Gratiani genuini* partis II. tomus secundus. cap. LXIX. *De decretis aliquot Zachariae tributis.* Taur. 1752, pag. 211. seq.

» rum apostolorum, capitulo XLVIII. Si quis laicus uxorem pro-
» priam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, communi-
» one privetur; » et cap. XII. ita scribit : « De his qui uxores
» aut viros dimittunt, ut sic maneant, ex concilio suprascripto
» Africano cap. LXIX. ita continetur : Placuit ut secundum
» evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab
» uxore, neque dimissa a marito, alteri coniungantur; sed sic
» maneant, aut sibi invicem reconcilientur. Quod si contemp-
» serint, ad poenitentiam redigantur (243). »

Ad haec praeterea dubia documenta refero capitulum XXI. libri V. Capitularium Caroli M. quod ita sonat : « Si quis homo
» habens mulierem legitimam, si frater eius adulteraverit cum
» ea, ille frater vel illa foemina, qui adulterium perpetraverunt,
» interim quoad vivunt, nunquam habeant amplius coniugium.
» Ille vero, cuius uxor fuit, si vult, potestatem habet uxorem
» accipere aliam (244). » Siquidem non dicitur hanc facultatem aliam ducendi uxorem parti innocenti concedi, vivente adhuc adultera, adeoque commode exponi potest, tali illum facultate uti posse post adulterae mortem, quae facultas delinquentibus denegatur, etiam post alterutrius coniugis obitum. Hoc vero non absque fundamento affirmari, patet ex iisdem capitularibus, quibus constat plenam coniugii firmitatem adstrui.

Praeter superius adducta, huic ipsi capitulo lucem affundit capitulum CCCLXXXI. libri VII. eorumdem Capitularium, quod ita legitur : « Mulier, quae duobus fratribus nupserit, abiici debet usque ad diem mortis. Sed propter humanitatem in
» extremis suis sacramentis reconciliari oportet; ita tamen ut
» prius solvatur coniugium, et maneat innupta, et vir eius abs-
» que uxore simili poenitentiae sit subditus. Quod si duo fratres
» cum una foemina fornicati fuerint, nescientes alter alterius
» fornicationem, statim ut cognoverint adulterium, qui eam

(243) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. III. col. 1902, cap. VII. et col. 1905. cap. XII.

244) *Capitularia reg. Franc.* ex recensione Baluzii. tom. I. col. 829.

» habet uxorem, dimittat. Et ille quidem post actam poeniten-
» tiam, *si uxor defuncta fuerit*, potest alteri sociari; *illa vivente*
» *nequaquam*. Illa vero *nunquam ulterius poterit in coniugium*
» *assumi*, et iugi poenitentiae submissa, ad exitum vitae com-
» munionis gratiam percipiat (245). »

Sic etiam inter haec commemoramus canonem XXV. concilii Agathensis an. 506. celebrati, qui ita statuit : « Ili vero se-
» culares, qui coniugale consortium culpa graviore dimittunt,
» vel etiam dimiserunt; et nullas causas discidii probabiliter
» proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illi-
» cita, aut aliena praesumant ; si antequam apud episcopos com-
» provinciales discidii causas dixerint, et prius uxores, quam
» iudicio damnentur, abiecerint, a communione Ecclesiae et sancto
» populi coetu, pro eo quod fidem et coniugia maculant, exclu-
» dantur (246). » Nec enim hic mentio de adulterio iniicitur, neque affirmatur post dimissionem episcoporum iudicio factam, novum posse iniri coniugium; sed id solum canon prohibet, ne sine causa in iudicio episcoporum discussa coniuges invicem separentur.

Eodem in sensu habemus can. II. concilii Venetici an. 461. « Eos quoque, qui relictis uxoribus suis, sicut in evangelio
» dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione,
» alias duxerint, statuimus a communione similiter arcendos ;
» ne per indulgentiam nostram praetermissa peccata, alios ad
» licentiam erroris invitent (247). » Idem enim de hoc dici potest ac de canone synodi Agathensis, nisi quod hoc in canone expressa adulterii fit mentio ; adeoque statuitur quidem poenae excommunicationis et quidem statim eos esse subiiciendos , qui sine iudiciali probatione proprias uxores dimittunt, ut alias ducant; minime vero adstruitur post legalem dimissionem *licitum* esse novum celebrare coniugium, quamvis utique hoc innui videatur.

(245) Ibid. col. 1106.
(246) Apud Harduin. tom. II. col. 1001.
(247) Ibid. col. 797.

Idem esto iudicium de Alcimi Aviti, Viennensis episcopi, effato in epist. XLIX. ad Ansenmundum, ubi loquens de adulterio : « Propter quod solum, inquit, Deus separari virum permittit » a coniuge (248). » Nam si verba prout iacent spectentur, non aliud significant, quam fornicationem sive adulterium solam esse causam a Christo assignatam pro legitima coniugum separatione ; quod nemo unquam inficiatus est christianorum ; non autem tributam esse facultatem novum celebrandi coniugium uxore adultera, vel viro adultero supersite. Neque ex toto contextu Aviti colligi potest, ipsum significare voluisse vinculi solutionem, de qua nihil habetur in tota epistola (249).

Omitto quod ex decretali *Laudabilem* Clementis III. qui an. 1118. pontificatum gessit, afferri solet, tum quia in ea agitur de separatione propter haeresim, de qua hic non instituitur quaestio ; tum quia incertum est num genuina sit eiusmodi decretalis, quam alii Clementi III. alii Coelestino III. abscribunt, quin tamen reperiatur in alterutrius pontificis epistolis, neque corpori iuris sit inserta ; ex incerta autem traditione eam Robertus Corseon adoptavit (250).

Maiorem difficultatem prima fronte praeseferunt canones concilii, seu potius conventus Compediensis habiti an. 756. Proferam hos canones prout eos Iac. Sirmondus ex ms. cod. S. Vincentii Metensis vulgavit. IV. « Si quis Francam filiastram suam » contra voluntatem ipsius, et matris, et parentum, dederit viro » ingenuo, aut servo, vel ecclesiastico, et illa noluerit habere » ipsum, et reliquerit eum ; potestatem habent parentes ipsius

(248) In *Biblioth. max patr.* Lugdun. 1677. tom. IX. pag. 582. col. 2.

(249) Hinc admitti nequit, quod in notis ad hunc Aviti epistolae locum vir doctus Iac. Sirmondus scripsit : « Hinc patet, persuasum adhuc illis temporibus in Gallia fuisse, propter fornicationem separari virum ab uxore, et aliam »ducere Christi permissu licuisse. Quod ex concilio Venitico can. II. manifestum »est. » Opp. Sirmondi Paris. 1696. tom. II. col, 97. Nam nihil nos cogit ad hoc admittendum.

(250) Cf. apud Mansi in *Collect. maxima concil.* Venet 1788. tom. XXII. col. 638, seqq. ubi Decret. *Laudabilem* adscribitur Coelestino III. qui ad pontificatum evectus est an. 1191.

» dare ei alium maritum : et si ipsa alium habet, quem postea » accepit, non separentur. » VII. « Si quis uxore accepta in- » venit eam a fratre suo contaminatam, ipsam dimittens accepit » aliam, ipsamque contaminatam invenit, uxor illius le- » gitima est, propterea quia nec ipse virgo fuit illo tempore. » Quod si tertiam postea acceperit, revertat ad medianam; et » ipsa posterior potestatem habeat alio viro se coniugere. » VIII. « Si quis homo habet mulierem legitimam, et frater eius adul- » teravit cum ea, ille frater, vel illa foemina, qui adulterium » perpetraverunt, interim quo vivunt, nunquam habeant coniu- » gium. Ille cuius uxor fuit, si vult, potestatem habet accipere » aliam. » X. « Si pater sponsam filii sui oppresserit, et postea » filius ipsam acceperit, pater eius postea non habeat uxorem, » et ipsa foemina non habeat virum, quia non dixit, quod pater » eius cum ipsa mansisset : filius vero eius, qui nesciens fecit, » accipiat mulierem legitimam. » XIII. « Si quis vir mulierem » suam dimiserit, et dederit commeatum pro religionis causa » infra monasterium deservire; aut foras monasterium dederit » licentiam velare, sicut diximus, propter Deum; vir illius acci- » piat mulierem legitimam : similiter et mulier faciat. » XIV. « Si vir quis cum matre et filia in adulterio mansit, nesciente » matre quod cum filia sua mansisset, similiter et filia nescivit, » quod cum matre sua esset; postea ille vir, si acceperit mulie- » rem, dimittat : usque in diem mortis suae non habeat uxorem : » et illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum; et illa matre » et filia, cum quibus in adulterio mansit ambabus nescientibus » quod cum matre et filia mansisset, habeant viros. Nam si in » notitiam illarum venerit hoc scelus, dimittant maritos, et agant » poenitentiam : et illarum mariti posteriores accipiant mulie- » res. » XV. « Similiter et de duabus sororibus, qui cum una » in adulterio mansit, et alteram in publico accepit, non habeat » mulierem usque in diem mortis; et illae duae sorores, si nes- » cierunt, habeant maritos : et si in notitiam eis venit, superio- » rem formam servent. » XVI. Si vir leprosus mulierem habeat

» sanam, si vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipsa » foemina, si vult accipiat, similiter et vir (251). »

Iam vero si canones istos rite expendamus, patebit nihil illos commune habere cum quaestione, quam agitamus, sed ex alio omnino titulo quam adulterii novas nuptias permittere.

Ac 1. seponere debemus can. IV. in quo nullum decernitur coniugium absque mulieris consensu initum, adeoque recte statui potuit, ut ea potestatem haberet alium accipiendi maritum,

2. Seponere debemus can. VII., quo nullum pariter declaratur primum matrimonium in primo affinitatis gradu contractum : adeoque uti legitimum secundum coniugium habetur ; ideo vero nullum declaratur tertium, quia impedimentum intercesserat ligaminis.

3. Can. VIII. potest intelligi de facultate, quae innocenti tribuitur, aliam ducendi uxorem post adulterae mortem ; quae facultas negatur adulteris ambobus, quamdiu vivunt. Id eruitur ex antithesi inter adulteros et innocentem, et ex aliis per id temporis constitutionibus, praecipue vero concilii Foroiuliensis, quam paulo ante attulimus.

4. Can. X. agit de dissolutione coniugii, quod nullum extitit ob impedimentum affinitatis in primo gradu ; hinc merito data est libertas filio aliam ducendi uxorem.

5. Can. XIII. non agit de coniugii dissolutione ob adulteri flagitium, de qua hic sermonem unice habemus. Quanam vero ratione canoniste intelligi debeat definiendum relinquimus iuris canonici peritis (252).

6. Can. XIV. tum respectu viri incestuoso commercio polluti, tum respectu illarum, quae consciae huius criminis fuerint, et incestuoso commercio consenserint, impedimentum

(251) Apud Harduin. tom. III. col. 2005 seq. et apud Sirmondum *Concilia antiqua Galliae*. Tom. II. pag. 42 seqq.

(252) Huic canoni cohaeret responsio Joannis Cattensis ad interrogationem 3. Constantini Cabasilae, in iure Graeco-latino lib. V. pag. 324., quae declarat posse uxorem sive sacerdotis sive diaconi sive lectoris, qui vitam monasticam professi fuerint, alteri nubere. His etiam consentit Fulbertus in epist. 51.

dirimens seu potius inhabilitas ad ineundum coniugium toto vitae tempore statui videtur. Hinc enim declaratur irritum esse connubium ab eo incestuoso initum, adeoque eum teneri ad separationem a ducta muliere, quae libera est, ac alii viro nubere potest. Quoad matrem autem ac filiam decernitur, eas, quamdiu insciae fuerint incestuosi commercii, posse bona fide in initis nuptiis permanere ; detecto autem crimine incestus, adeoque comperta nullitate coniugii, ipsas etiam teneri viros a se perperam nuptos deserere ; hi autem utpote liberi poterunt alias ducere uxores. Talis est istius canonis sensus ; porro si res ita se habet, patet nullatenus concilium istud sive conventum presenti canone decrevisse, coniugium propter adulterium quoad vinculum dirimi.

7. Can. XV. declarat nullum matrimonium, quod cum affini in primo gradu contractum fuerit ob impedimentum dirimens, in quo nihil novi ingeritur. Illud potius peculiare est, quod auctores incestuosae coniunctionis inhabiles in perpetuum reddat ad ineundum coniugium.

8. Demum can. XVI., ut patet, ad rem nostram non pertinet. Nonnulli existimant in eo sermonem esse de morbo, unde impotentia perpetua exurgit ; in hac hypothesi concilium Compediense decernit, non esse veros coniuges, qui sic coniuncti sunt, atque idcirco liberos esse (253).

Nunc ad pleniorem dictorum confirmationem circa huius concilii mentem in obiectis canonibus adiicimus omnimodam coniugalis vinculi firmitatem ab eo sancitam potius fuisse can. XVIII. qui ita legitur : « Si qui propter *faidam* (nempe inimi-
» citiam aut vindictae timorem) fugiunt in aliam patriam et
» dimittunt uxores suas, nec illi viri, nec illae foeminae ac-
» cipiant coniugium. » Et haec de hoc concilio.

Longe magis implicata est quaestio orta ex *Poenitentiali*

(253) Huc referuntur aliquot antiqui canones, qui concedere videntur novas nuptias ob diuturnam alterutrius coniugis absentiam. Sic Manuel patriarcha lib. III. cit. *Iuris Graeco-romani* pag. 289. Idem statuitur in ita nuncupato *Poenitentiali Theodori*, cap. CXIII. in Spicilegio Dom. Lucae Acherii tom. IX. pag. 62. de quo Poenitentiali mox. agemus. Interim haec reprobanda sunt.

Theodori, archiepiscopi Cantuariensis, collato cum aliis Poenitentialibus per eam aetatem vulgatis. Nos, ut claritati inserviamus in hac difficili quaestione 1. afferemus canones, qui in illo Poenitentiali inveniuntur, quique dissolubilitatem coniugii prae se ferunt aut propter adulterium, aut propter absentiam alterutrius coniugis, aut alias causas, idque pro materiae affinitate, una cum canonibus aliorum librorum poenitentialium illius aetatis ; 2. attingemus quaestionem criticam eiusmodi poenitentialium ; 3. veram Theodori sententiam investigabimus ; 4. originem demum inquiremus sententiae, quae irrepsit circa coniugiorum dissolutionem.

I. Itaque hi efferuntur canones seu potius capitula selecta ex ita dicto Poenitentiali Theodori : cap. XXXI. « Cui uxorem » hostis abstulerit, et non potest repetere eam, licet ei aliam accipere : melius est quam fornicari. Nam si postea redeat uxor, » non debet recipere eam, si aliam habeat. Ipsa accipiet alterum » virum, si unum ante habuit (254). »

Cap. CXL. « Mulier si in captivitatem per vim ducta est, post » annum aliam accipere potest (255). »

Ibid Cap. CXL. « Laicus a quo recessit mulier, cum consen- » su episcopi, post duos annos aliam accipiat (256) »

(254) In ed. Dacheriana *Spicileg.* Paris. 1723. tom. I. pag. 487. *Capitula Theodori Archiep. Cantuar.* Huic capitulo consentiunt, seu potius hoc ipsum repetunt paucis mutatis verbis Theod. Poenit. II. 12. §. 23. et 24. Nam in Theodori *Poenitent.* II. 12 §. 23. sic legitur « Sic cuius uxorem hostis abs- » tulerit et ipse eam iterum adipisci non potest, licet aliam tollere, melius est » *sic* facere quam fornicari. » §. 24 « Si iterum post haec uxor illa venerit ad » eum, non debet recipi ab eo, si aliam habet, sed illa tollat alium virum sibi, » si unum antea habuit. Eadem sententia stat de servis transmarinis. » Sic etiam in canon. Gregorii c. 72. Ita etiam in *Poenitent. Merseburg.* c. 94. nec non in *Iudicio Clementis* c. 19.

(255) In *Theod. Poenitent.* §. 20. « Si in captivitatem per vim ductam redi- » mere non potest, post annum alteram accipiat. » §. 21. « Item si in captivi- » tatem ducta fuerit, vir eius V. annos expectet, similiter autem et mulier, si » viro talia contigerint. » §. 22. « Si igitur vir alteram duxit uxorem ; priorem » de captivitate reversam accipiat, posteriorem dimittat ; similiter autem et » illa, sicut superius diximus, si viro talia contigerint, faciat. »

(256) *Theod. Poenit.* c. 19. « Si mulier discesserit a viro suo dispiciens eum,

Cap. CXLIII. « Cuius uxor fornicata, licet eam dimittere, et » aliam accipere (257). »

Ibid. Cap. CXLIII. « Mulieri non licet fornicantem alium » accipere » ubi aperte desunt verba : *dimittere et ;* ita ut sensus » integer sit : « Mulieri vero non licet fornicantem dimittere et » alium accipere (258). »

Cap. XCIII. « Maritus si seipsum servum fecerit in furto, aut » in fornicatione, mulier habet potestatem accipere virum (259). »

Atque haec sunt capitula Theodoro adscripta, cum quibus, saltem quoad substantiam, conveniunt, quae in Theodori Poenitentiali habentur, quaeque potissime ad rem nostram faciunt. Siquidem alia praetermisi, quae minus huic quaestioni congruunt. Item conveniunt cum aliis poenitentialibus sive Gregorii, sive Merseburgi, ut ex eorem collatione unicuique patebit.

II. Nunc iam praestat critice inquirere, quid de eiusmodi Poenitentialibus sentiendum sit. Iam vero, licet universim a pluribus saeculis tributum fuerit Poenitentiale Theodoro, ac sub

» nolens revertere et reconciliari viro, post V. annos cum consensu episcopi » aliam accipere licebit uxorem. » *Can. Gregor.* c. 70. « Si mulier... cum illo » viro suo etc. »

(257) Cf. c. 104. « Si polluta fuerit mulier ; vir eius habet potestatem, utrum » vult nubere cum ea an dimittere. » *Theod. Poenitent.* II. 2. §. 5. « Si cuius uxor » fornicarit, licet dimittere eam et aliam accipere, hoc est, si vir dimiserit uxo- » rem suam propter fornicationem, si prima fuerit, licitum est, ut aliam acci- » piat uxorem, illa vero si voluerit poenitere peccata sua, post V. annos alium » virum accipiat. » *Can. Gregorii* c. 66. « Si cuius uxor fornicata fuerit : licet » dimittere eam et aliam *non* accipere. » (ubi advertendum est particulam *non*, deesse in cod. Paris. 2133. n. IX.) c. 82. « Si vir dimiserit uxorem propter » fornicationem, si prima fuerit, licitum est, ut aliam accipiat uxorem ; illa vero » si voluerit poenitere peccata sua, post quique annos alium virum accipiat. »

(258) *Theod. Poenitent.* II. 12. §. 6. « Mulieri non licet virum dimittere, licet » sit fornicator, nisi forte pro monasterio. Basilius hoc iudicavit (Basil. ad » Amph. c. 9. 21) *Can. Gregor.* c. 67. « Mulieri non est licitum virum suum » dimittere, licet fornicetur, nisi forte per monasterium : Basilius iudicavit. »

(259) *Theod. Poenitent.* c. 8. « Maritus si seipsum in furto aut fornicatione » servum facit, aut quocumque peccato, mulier si prius non habuit coniugium » habet potestatem post annum alterum accipere virum ; digamo autem non » licet. » *Can. Gregor.* c. 175. « Maritus si seipsum in furto aut fornicatione » servum fecerit, mulier habet potestatem alterum accipere virum. »

eius nomine passim allegetur, attamen certum videtur Theodorum nunquam eiusmodi opus exarasse. Nam nulli sive coaevi sive suppares scriptores Theodorum Poenitentiale effecisse memoriae tradiderunt ; nec Beda ipse, qui in Historia ecclesiastica gentis Anglorum licet accurate, quae ad Theodorum spectant, scripserit, nullam eiusmodi Poenitentialis mentionem iniecit ; quidquid dicatur in *Monito* praefixo collectioni Dacherianae (260). Hactenus tria opera Theodoro tributa novimus 1. Collectionem cuiusdam codicis Cantuariensis, cuius Spelmannus titulos capitulorum vulgaverat, cum ei datum non fuerit a custode bibliothecae Cantabrigiensis integrum hoc opus exscribere. Postea vero hic ipse codex typis datus est (261). Hic putabatur verum prae se ferre ac originale Poenitentiale Theodori ; ast Wasserschleben falsum id esse ostendit. 2. *Capitula Dacheriana,* quae pariter etiam scientifice spectata patet haud esse opus Theodori, aut eius Poenitentiale ; 3. Poenitentiale a Petito vulgatum, verum et hoc tribui nequit Theodoro, ut idem patefecit ineluctabilibus argumentis.

In quodam Parisiensi codice, ac duobus Viennensibus repertum est opus in duos libros dispertitum cui titulus : *Poenitentiale Theodori* seu *Canon Theodori de ratione poenitentiae et diversis quaestionibus*. Prior liber reipsa quoddam continet Poenitentiale, in quo quindecim capitibus assignantur poenitentiae pro delictis ecclesiasticorum et laicorum. Posterior continet quatuordecim capita iam a Petito vulgata. Eiusmodi collectio spectari potest veluti fons omnium illorum excerptorum, quae in collectionibus subsequentibus Theodoro tributa sunt.

(260) In hoc *monito* praefixo capitulis Theodori ed. Paris. 1725. tom. I. *Spicilegii Dacherii* pag. 486. legitur : « Idem (Theodorus) ut Beda monet lib.. 4. » Hist. Angl. et lib. 5. cap. 8. librum poenitentialem composuerat. » At vero ego contuli Bedam in allegatis locis et nil tale reperi ; quin imo ex lib.V. cap.8. contrarium potius eruitur. Siquidem agens de synodo Herudford. a Theodoro celebrata scribit : « Theodorus protulit librum Canonum (ex Patribus collectum) » et ex eodem decem capitula etc. » Ergo eiusmodi liber canonum anterior fuit ipso Theodoro.

(261) An. 1840. sub tit. *Ancient Laws and Instituts of England.*

Ex praefatione patet hanc collectionem adornatam fuisse a quodam sacerdote, qui *Discipulus Umbrensium* nuncupatur, quique affirmat maximam huius operis partem confectam esse ex responsionibus, quas iuxta veridicam famam, Theodorus dederat presbytero Eoda (262). Quoad alteram vero partem, eam refert accepisse ex responsis Theodori, quae idem Eoda mutuatus fuerat ex *libello Scottorum* a quodam sacerdote confecto.

Certum proinde videtur ex hactenus expositis Theodorum auctorem non fuisse *Poenitentialis*, quod ipsi adscribitur, ea sola de causa, quod exhibeat eius responsa data quaestionibus, quae illi propositae fuerant ; multo vero minus esse auctorem illarum omnium collectionum plus minusve pleniorum, quae sub eiusdem nomine Theodori vulgatae sunt (263). Istae omnes collectiones nullam unquam auctoritatem publicam nactae sunt, sed fuerunt collectiones privatae, nec unquam sancitae, quin etiam non semel contrariae canonibus publica auctoritate constitutis.

III. Quae cum ita sint, inquirendum tertio superest de vera

(262) En praefationis verba : « Horum igitur maximam partem fertur famine » veriloquo beatae memoriae Eoda presbyter cognomento Christianus a vene- » rabili antistite Theodoro sciscitans accepisse. »

(263) Tales sunt : *Capitula Dacheriana* spectantia ad ita dictas *regularum digestiones*. Omnia capitula Dacheriana, si sex excipias, reperiuntur in *Poenitentiali Theodori*. Alia insuper collectio omnino a Dacheriana independens invenitur in codice Monacensi et Parisiensi, quaeque constat 149. cap. quae omnia reperiuntur in dicto *Poenitentiali*. In codicibus memoratis haec capitula inscribuntur : *Canones Gregorii papae urbis Romae*, atque in codicibus posterioribus : *Responsiones Gregorii M. quaestionibus Augustini*. Item *Poenitentiale*, quod exhibet codex Mersemburgensis , nec non collectio, quae habetur in codice Cotton ; quae vulgata sunt a Wasserschleben tom. II. 1. c. 3. et II. 1 et 4. Hae collectiones perinde ac capitula Dacheriana et canones Gregorii anteriores sunt Poenitentiali Theodori ; inordinatae sunt et confusae, quae confusio effecit, ut nova compilatio seu collectio systematica et plena conficeretur, quae sub nomine *Poenitentialis Theodori* generatim adoptata est. Ex his collectionibus inter se comparatis extracti sunt textus, quos in medium attuli. Cf. D. F. W. H. Wasserschleben prof. Iuris in universit. Hallens. in. op. germ. *Ordines poenitentiales ecclesiae Occidentalis in introduct. historico-critica*. Hallae 1852. pag. 14 seqq.

Theodori sententia circa dissolubilitatem aut indissolubilitatem matrimonii in casu adulterii. Haud pauci in falsa hypothesi de veritate Poenitentialis Theodoriani autumarant, nil mirum esse, si ipse dissolutionem coniugii interveniente adulterio statuerit, utpote homo Graecus, quique in ecclesiam Anglo-saxonicam Graecorum disciplinam, in qua enutritus erat, detulerit. Ast perperam ; nam nunquam ipse eiusmodi sententiam professus est, multo vero minus ipsam proposuit ecclesiae Anglicae ; quinimo contrariam prorsus tenuit statuitque.

Sane nos in paragrapho praecedenti descripsimus capit. X. constitutum in concilio Herudfordiensi, quod primum fuit in Anglia sub Theodoro Cantuariensi coactum, cuique ipse praefuit. Iam vero in hac synodo expresse omnimoda indissolubilitas sancita est etiam in casu adulterii sub obtestatione professionis christianae. Idem Theodorus auctor fuit episcopis congregatis ut decem capitula extracta ex libro canonum probarent. « In- » terrogavi, inquit Theodorus in concilio, unumquemque eo- » rum (episcoporum) per ordinem, si consentirent, *ea, quae a* » *Patribus canonice sunt antiquitus decreta, custodire* 264). » Ergo Theodorus ad normam antiquorum canonum perfectam coniugii indissolubilitatem sancivit, ac proinde falsum est ipsum pro dissolutione stetisse in causa adulterii, prout in allatis paulo ante canonibus sub eius nomine vulgatis adstruitur.

Sed falsum praeterea est, Theodorum utpote Graecum intulisse in ecclesiam Anglo-saxonicam ecclesiae Graecae disciplinam seu potius corruptelam. Etenim praeterquam quod Theodorus antequam ad episcopatum eveheretur per aliquot annos Romae commoratus erat, adeoque perspectam optime haberet ecclesiae Romanae doctrinam de indissolubilitate absoluta coniugii etiam in casu adulterii quoad vinculum, Romanus pontifex antequam Theodorum ad regendam ecclesiam Cantuariensem miserit, magna usus cautela est. Refert siquidem Beda, quod cum Ha-

(264) Beda *Hist. eccles. gent. Angl.* lib. IV. cap. V. Opp. ed. Basil. tom. III. pag. 122.

drianus, vir doctissimus, obtulisset Theodorum «Pontifici (Vitaliano), ut episcopus ordinaretur, obtinuit ; his tamen conditionibus interpositis, ut ipse eum perduceret in Britanniam... Et ut ei doctrinae cooperator existens, diligenter attenderet, *ne quid ille contrarium veritati fidei, Graecorum more, in ecclesiam, cui praeesset, introduceret* (265). » Deinde vero a pontifice Agathone Ioannes missus in Angliam est, qui « in mandatis ab apostolico Papa acceperat, ut cuius esset fidei Anglorum ecclesia diligenter edisceret, Romamque rediens, referret (266). » Adeoque fieri non potuit, ut Theodorus abusum illum in Oriente a Iustiniano imp. iam inductum, in ecclesiam sibi commissam introduceret, multo vero minus sanciret ; nec enim viri illi Roma in Angliam missi, id ulla ratione tolerassent (267).

IV. Superest ut originem detegamus, ex qua in allatas collectiones contraria doctrina irrepserit. Siquidem ex una parte exploratum est in ecclesia Britannica, et in ecclesia Hibernica ante Theodori in Angliam adventum obtinuisse doctrinam et praxim de absoluta coniugalis vinculi indissolubilitate, ut constat ex indubiis ac publicis documentis ; ex altera vero parte, certum est prout nuper innuimus collectiones canonum aut capitulorum, quae sub Theodori nomine prodierunt, fuisse collectiones privatas, quae nunquam ullam obtinuerunt sanctionem.

Et reipsa in Anglia et in Hibernia doctrinam obtinuisse de absoluta indissolubilitate coniugii etiam in causa adulterii praeter ea, quae attulimus in paragrapho praecedente, alia suppetunt documenta, quae id evincunt. Sic in *Poenitentiali Vinnian.* §. 42. hoc decretum habetur : « Uxorem a viro non discedere dicimus. » Sed si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari » secundum Apostolum (268), » ubi nulla exceptio apponitur.

(265) Lib. IV. cap. I. pag. 115.

(266) Ibid. cap. XVII. pag. 137.

(267) Cf. Carol. Schroedl prof. Licaei Passaviens. *Primum saeculum ecclesiae Angliae etc.* Passaviae 1840. pag. 251 seqq.

(268) Apud Wasserschleben op. cit. *Ordines poenitentiales etc.*

Paulo ante attulimus canonem V. *De recipienda adultera post poenitentiam* ex canonibus S. Patricio adscriptis. Huic nunc alterum addimus, nempe XXXIII. lib. XLIV. ex antiqua collectione canonum Hibernensium, huius tenoris : « Synodus : » Ut mulier iuncta alii viro causa adulterii excommunicata fiat, » definimus, donec poenitentiam agat ; *et post poenitentiam re-* » *concilietur viro suo* (269). » Idipsum constitutum comperimus in canonibus Addamnari, vel Addominari : « Sic et mulier, si » dimissa fuerit ex viro suo, non oportet alii viro copulari, » quamdiu fuerit vir eius in corpore prior ; sed expectabit eum » innupta in omni poenitentia et castitate, si forte det Deus poe- » nitentiam in corde viri eius (270) » ut alia omittamus.

Igitur certum est obtinuisse tam in Anglia quam in Hibernia doctrinam de vinculi coniugalis indissolubilitate etiam in casu adulterii tum ante Theodori aetatem, tum sub eodem Theodoro. Qui igitur factum est, ut contraria doctrina irrepserit in adductos canones ? Id contigisse arbitramur ex legibus civilibus, quae illam dissolutionem sanxerunt ; qui proinde illas collectiones temporis tractu adornarunt, ut aliqua ratione sese illis accommodarent, et aliquo modo indulgerent Saxonibus adhuc in fide infirmis valdeque ad dictis consuetudini patriae Graecam disciplinam introduxerunt in ecclesiam Anglo-saxonicam.

Et reipsa l. 7. cod. Iustin. tit. *De repudiis* Novella 22. c. 7. illa dissolutio sancitur. Id ipsum confirmatur ex coll. lib. II. cap. 12. §. 7. 10. 12. 21. 24. 32. Quod dictum est de legibus Romanis, dici pariter debet de legibus Saxonicis. Siquidem in Ethelberti legibus adhuc habetur l. 32. « Si liber homo cum liberi hominis ux- » ore concubuerit *werigeldo* suo redimat, et aliam mulierem propria » sua pecunia emat, et illi alteri ad domicilium adducat (271). »

Verisimile praeterea est Theodorum secum in Angliam haud

(269) Haec collectio facta est sec. VIII. a quodam Arbedoc. Post allegata verba synodi referuntur ea, quae attulimus ex S. Patricio : « Si alicuius uxor fornicata fuerit etc. Cf. apud Dacherium in *Specilegio* ed. Paris. 1723. tom. I. pag. 492 et 504.

(270) Apud Wasserschleben op. cit. §. 45.

(271) Apud Schroedl op. cit. qui apposite pag. 32. de legibus regis Ethelber-

paucos libros sive Graecos sive Latinos detulisse, praecipue vero Graecorum canonum collectiones, ex quibus sequioris aevi canonum poenitentialium compilatores illos canones excerpserunt, quae conferrent ad morum corruptelam cohonestandam, illisque, quae tum a Theodoro, tum ab Egberto, archiepiscopo Eboracensi, circa omnimodam indissolubilitatem constituta fuerant, interseruerunt. Exinde apparet eorumdem canonum contradictio. Nam in eisdem collectionibus, quae tum Theodoro tum Egberto tribuuntur, tum canones habentur, qui solutionem vinculi admittunt, tum emollos, qui aperte matrimonii indissolubilitatem etiam pro casu adulterii agnoscunt cum aliis nuptias prohibeant, et tantum separationem permittant (272).

Opera tamen et constantia Rom. pontificum a pedetentim eiusmodi abusus ex romana civili potissimum legislatione provenientes sublati sunt ex universa praesertim Occidentali ecclesia, atque a christianam integritatem doctrina evangelica et apostolica de vinculi omnimoda indissolubilitate etiam in causa adulterii revocata est, firmiter ac solide constituta (273). Et h[illegible] de Theodori poenitentiali.

ti disserens haec habet ; « Leges circa matrimonium spiritui Ecclesiae non om-
» nino respondent, quod mirum non est. Multa enim apud Germanos, maxime
» quoad matrimoniorum solutionem in usu erant, quae severis christianae reli-
» gionis legibus contraria, tamen propter longam et ab antiquis temporibus re-
» ceptam consuetudinem nec non propter intimum nexum cum aliis eorum-
» dem populorum legibus et usibus, nonnisi post aliquod tempus per eamdem
» religionem corrigi mutarique potuerunt. »

(272) Cf. Schroedl op. cit. p. 151 seqq. Theodorum vero plures secum asportasse Graecos et Latinos libros testatur John Johnson in vol. I Legum *ecclesiast.* et canonum Anglice conscriptorum, qui diligentissime res Theodori persecutus est, scribens : « He (Theodore) brought over with him many Greek and » Latin books. » Apud Wilkins *Concilia etc.* tom. I. pag. 42.

(273) Quod fassus est Richter, auctor protestans, in suo opere : *Manuale iuris ecclesiastici cathol. et protest.* ed. IV. Lips. 1853. inter caetera scribens hoc de argumento « Non desunt documenta, quibus probatur, concilia non potuisse » abrogare usum per leges Romanas inductum, ideoque monuisse tantum fideles » novas ne inirent nuptias. Imo multo tardius etiam tum in Francorum regno, » (cap. Vermer, 752. c. 5 9. 10. 11. Comp. 757, c. 6, 8. 15. 16. Cap. Reg.

Quae expendenda adhuc supersunt, nullo negotio explanantur. Atque in primis sese offert Poenitentiale Romanum editum ab Antonio Augustino, archiepiscopo Tarraconensi. In hoc enim legitur. « Contigit tibi, ut uxor tua, te conscio et hortante, cum » alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret : si fe- » cisti, quadraginta dies in pane et aqua poeniteas, et septem » annos, unum ex his in pane et aqua ; et nunquam sis sine » poenitentia. Si autem uxor tua hoc probare potuerit, quod » tua culpa, et tuo iussu se renuente, et luctante adulterata sit ; » *si se continere non potest, nubat cui voluerit,* tantum in Do- » mino. Tu autem sine uxoria spe in perpetuo maneas. Illa » autem, si consentiens fuerat, eadem ieiunet, quae tibi propo- » sita sunt, et sine spe coniugii maneat (274). » Ast praeterquam quod eiusmodi Poenitentiale sequioris est aevi, quando nempe, ipso Richtero protestante fatente, iam firma ac universalis in Occidente coniugii indissolubilitas etiam in casu adulterii constituta erat (275), incertum adhuc est, num vere fuerit Romanum (276). In allegata autem clausula : *Si se continere non potest: nubat cui voluerit,* quae difficultatem facessit, sermo nullatenus est de facultate nubendi, vivente viro, sed tantum post eius obitum, iuxta receptam tunc temporis disciplinam,

» franc, V. 21.), tum in Anglia contrariae sibi invicem extabant leges, (allegat au- » ctor superius a nobis allatas), ita ut nonnisi seculo nono mitior illa sententia, » quae innocenti coniugi separato tum propter adulterium, tum propter » malitiosam alterius coniugis desertionem prioribus nuptiis, ad alia vota transire » permisit, Romanorum pontificum maxime constantia eliminaretur. Ex illo » tempore, iure communi statutum est valide matrimonia nisi morte dissolvi. » Cf. etiam Moy op. cit. *Ius matrimoniale* pag. 317 seqq.

(274) *Canones poenitentiales*. Venet. 1584. *Poenitent. rom*, tit. 3. *De fornicat.* c. 20. pag. 27.

(275) Nam afferuntur in eo sententiae Gregorii VII. Urbani II. Calixti et Innocenti III. imo et quaedam ex Gratiano excerptae ; nimirum sec. XI. XII. et XIII.

(276) Refert enim ipse Ant. Augustinus, se illud reperisse sine scriptoris aut libri inscriptione *Romanumque* appellasse, quod ex ea urbe, inquit, ad nostras manus venerit. Cf. eius praefat. op. cit.

qua adulteris facultas denegabatur alias nuptias inire post alterius coniugis obitum (277).

Caeterum in genuino vetustissimoque Poenitentiali Romano, quod in usu per plura secula Romae fuit, quodque ex codice Petaviano (278), litteris uncialibus scripto circa tempora Gregorii M., edidit Morinus, nil tale reperitur. Illa enim disciplina, ad quam alludit Ant. Augustini Poenitentiale, nonnisi serius inducta est, ut suo loco vidimus.

Quandoquidem autem de Poenitentiali Romano verba fecimus, non abs re erit hic adiicere decreta duarum synodorum Romanarum, quas omnium primus ex mss. codicibus edidit card. Franciscus Barberinus, quaeque aliquam difficultatem praeseferre videntur. Altera celebrata est sub Eugenio II. an. 826. duodecim scilicet an. post mortem Caroli M. In cuius cap. 36. statuitur : « Nulli licet excepta causa fornicationis, adhibitam » uxorem relinquere et aliam copulare, alioqui transgressorem » priori convenit sociari coniugio. » In altera vero sub Leone IV. an. 853. coacta cap. 36. idem repetitur : « Nulli liceat ex- » cepta causa fornicationis adhibitam uxorem relinquere, et » deinde aliam copulare : alioqui transgressorem convenit priori » sociari coniugio (279). » Hoc revera constitutum fuisse a Leone IV. confirmat Luitprandus in eius vita n. XXXVI. (280).

Ast si intimius duarum synodorum sensum perscrutemur, nullum alium esse deprehendemus, nisi quod nemo, excepta

(277) Sane Ant. Augustinus in nota ad hoc capitulum scribit : *Post mortem viri, addi debuit.* Ib. pag. 84.

(278) Codex Petavianus nuncupatus est ex eius possessore D. Petavio, parlamenti senatore, uti testatur Morinus. Codex est omnium antiquissimus, nongentorum ad minus annorum, atque erutus ex archiviis Romanis. Cf. Morinum in Appendice ad opus *De poenitentia*, ed Antverp. 1682. pag. 52. Cf. insuper eiusdem auctoris *De poenit.* lib. IV, cap. XVIII, nec non lib. IX. cap. XXX. Quum vero vetus hoc Poenitentiale *Gelasianum* nuncupetur, centum plus minus annis ante S. Gregorii M. aetatem confectum fuisse dicendum est.

(279) Romae 1662.

(280) Luitprandi Ticinensis diaconi *Opusculum de vitis Rom. pontificum.* Moguntiae 1602. pag. 113. ubi ad literam, ut aiunt, idem refert decretum. Si tamen opus istud vere Luitprandi est, cuius nomen gerit.

causa fornicationis, possit uxorem suam relinquere ; quod si fecerit, et sine causa fornicationis uxorem suam quispiam dimiserit, alianque insuper duxerit, *priori sit restituendus coniugio*. De casu autem, quo causa adulterii uxor dimissa fuerit, nil decernitur. Si quidpiam enim fuisset dispositum, exceptio fornicationis effecisset, ut iuberetur quidem separari a coniuge secunda, non tamen iuberetur sociari priori coniugio, sicut ille, qui sine fornicationis causa aliam duxit (281).

Cum vero de doctrina et praxi ecclesiae Romanae hic disseramus, iuverit responsa Stephani II. referre, quae haud paucis hic discussis non minimam lucem affundunt. Hic igitur pontifex, qui [illegible] an. 754. cap. II. statuit : « Si quis se in coniugio co-
» pulaverit, et uni eorum contigerit, ut debitum reddere non
» possit; non liceat eos separare : nec pro alia infirmitate, ex-
» cepto si daemonii infirmitas, aut leprae macula supervenerit.
» Caeterum si ab his duabus infirmitatibus liberi fuerint invicem
» coniuncti, unus alteri servitium exhibeat. »

Cap. V. « Si uxor a viro repudiata fuerit, utrum liceat viro ,
» illa vivente, aliam ducere, in epistola domni Innocentii papae
» directa ad Exsuperium Tolosanum episcopum continetur. Qui
» interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt, quos in
» utraque parte adulteros esse manifestum est ; qui vero vel
» uxore vivente, quamvis dissociati videantur esse a coniugio,
» ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non vi-
» deri : in tantum ut etiam eae personae, quibus tales coniuncti
» sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum
» illud quod legimus in Evangelio : *qui dimiserit uxorem suam,*
» *et aliam duxerit, moechatur*. Et ideo omnes a communione
» abstinendos. »

Cap. III. « Si quis in aliena patria ancillam duxerit in consor-
» tium, postea in propriam reversus, ingenuam acceperit ; et
» iterum contigerit, ut ad ipsam, in qua antea fuerat, patriam re-
» vertatur, et illa ancilla , quam prius habuit, alii viro sociata

(281) Cf. Amort op. cit. pag. 88.

» fuerit; hic talis potest aliam accipere (scilicet propter impedi-
» mentum conditionis); tamen non illa vivente ingenua, quam
» in patria propria habuit. »

Cap. XIX. « De separata a marito, si vir eius in aliena pro-
» vincia vivere putabatur, in epistola B. Leonis papae directa
» ad Nicetam Aquileiensem episcopum, ita continetur : Cum
» ergo per bellicam cladem, et per gravissimos hostilitatis in-
» cursus, ita quaedam dicatis divisa esse coniugia, ut abductis
» in captivitatem viris foeminae eorum remanserint destitutae,
» quae viros proprios, aut interemptos putarint, aut nunquam a
» dominatione crediderint liberandos, et ad aliorum coniugium
» solitudine cogente transierint. Cumque nunc statu rerum,
» auxiliante Domino, in meliora converso, nonnulli eorum, qui
» putabantur periisse remeaverint : merito caritas tua videtur
» ambigere, quid de mulieribus, quae aliis iunctae sunt viris, a
» nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum, quod a Deo
» iungitur mulier viro, et iterum praeceptum agnovimus, ut
» quod Deus iunxit, homo non separet : necesse est ut legitima-
» rum foedera nuptiarum redintegranda credamus; et remotis
» malis, quae hostilitas intulit, unicuique id, quod legitime ha-
» buit, reformetur : omnique studio procurandum est, ut reci-
» piat unusquisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis iu-
» dicetur, et tamquam alieni iuris pervasor habeatur, qui perso-
» nam eius mariti, qui iam non esse existimabatur, assumpsit.
» Sic enim multa, quae ad eos, qui in captivitatem ducti sunt,
» pertinebant, in ius alienum transire potuerunt : et tamen ple-
» num iustitiae est, ut iisdem reversis, propria reformentur.
» Quod si in mancipiis, vel in agris, aut etiam in domibus ac
» possessionibus rite servatur : quanto magis in coniugiorum
» redintegratione faciendum est, ut quod bellica necessitate tur-
» batum est, pacis remedio reformetur? Et ideo si viri post lon-
» gam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum coniugum
» perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, omit-
» tendum est; et inculpabile iudicandum quod necessitas intulit,
» et restituendum est quod fides poscit. Si autem aliquae mulie-

» res ita posteriorum virorum amore sunt captae, ut malint his » cohaerere, quam ad legitimum redire consortium, merito sunt » notandae : ita ut etiam ecclesiastica communione priventur, » quae de re excusabili contaminationem criminis elegerint; os- » tendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod iusta » remissio potuit expiare. Redeant ergo ad suum statum volun- » taria redintegratione coniugia : neque ullo modo ad oppro- » brium malae voluntatis trahant, quod conditio necessitatis ex- » torsit : quia sicut hae mulieres, quae reverti ad viros suos » nolunt, impiae sunt habendae ; ita illae, quae in affectum » ex Deo initum redeunt, merito sunt laudabiles iudican- » dae (282). »

Ex his Stephanii II. responsis medio octavo seculo datis in Galliis biennio post concilii Vermeriensis celebrationem, discimus, eandem indissolubilitatis servatam fuisse doctrinam circa firmitatem connubii, quae ab Innocentio et Leone Magno hic commemoratis tradita fuerat. Coniicere exinde forte possumus, qua ratione nonnullorum conciliorum, quae per id temporis celebrata sunt atque ab his sensibus declinare videntur, sint intelligenda, quin cogamur ea tanquam a communi per id temporis ac recepta doctrina discordantia abiicere.

§. III.

Documentorum medii Aevi circa indissolubilitatem coniugii in casu adulterii et difficultatum, quae contra eam opponuntur, epicrisis.

Sin minus omnia, quod fieri vix potest, praecipua saltem ex ecclesiasticis auctoribus, Romanis pontificibus atque conciliis documenta, quae huc referuntur attulimus, atque discussimus. Iuverit nunc ea inter se comparare, ut fructum exinde colligamus.

(282) *Acta con.* Hard. tom. III. col. 1985 seq. et ed. Ballerin. Opp. S. Leonis ep. CLIX. cap. I-IV. col. 1130-1132. aliquae occurrunt inter utrumque textum variantes lectiones nullius fere momenti.

Iam vero quae recensuimus in secundi huius articuli §. I. patefaciunt a seculo Ecclesiae VI. et deinceps traditione perpetua servatam sancte fuisse evangelicam et apostolicam doctrinam de absoluta coniugii christiani, etiam interveniente adulterio, firmitate. Constat enim ex adductis documentis, hanc semper et doctrinam et praxim viguisse nulli viro seu mulieri post factam fornicationis causa separationem fas aliquando fuisse, altero vivente coniuge, alium sive maritum sive uxorem aliam superinducere; doctrinam vero hanc et praxim pariter constat innixam iugiter fuisse tum Evangelii tum Apostoli auctoritati. Ad hanc enim perpetuo appellant, qui omnimodam indissolubilitatem proclamaverunt. Levis eorumdem inspectio cordatum quemvis lectorem certiorem faciet.

Quoad dubia documenta, quae in paragrapho insequenti exposita sunt, sedulo est animadvertendum, aliquot ex illis, in quibus adversa doctrina traditur, dubiae omnino esse auctoritatis, utpote edita ab imperitis auctoribus, ac falso aliis adscripta, cuiusmodi sunt can. XXVI. Synodi sub nomine S. Patricii, Hibernensium apostoli, vulgatae, quae nulla prorsus auctoritate fruitur; item decretum Zachariae, Rom. pontificis, adscriptum, cuius praeterea sensus anceps est; nec non decretum *Laudabilem*, quod vulgo sub nomine Clementis III. allegari consuevit; idem dic de Poenitentiali Theodori, archiepiscopi Cantuariensis, utpote referente doctrinam e diametro oppositam doctrinae, quam doctus hic archipraesul professus est et promulgavit ad tramitem antiquorum Patrum in provinciali concilio, omnibus assentientibus episcopis, qui concilio illi interfuerant. Nec aliud ferendum iudicium de omnibus illis privatis collectionibus, quae circumferebantur sub eiusdem Theodori nomine, nec tamen quidpiam commune habebant cum Theodoro, quaeque etiam secum ipsis pugnabant (283). Ex quibus luculentius deprehen-

(283) Sic ex. gr. in can. XIV. aperte indissolubilitas matrimonii quoad vinculum asseritur his verbis :« Qui dimiserit uxorem suam alteri se coniungens » septem annis poeniteat » et can. CLXIV. « De meretrice coniuge sic idem in

ditur falso canones illos fuisse Theodoro adscriptos, sed a posteriori manu veteri etiam Poenitentiali adiectos (284). Quod dictum est de Poenitentiali Theodori, eadem plane ratione convenit alteri Poenitentiali, nimirum Romano ab Ant. Augustino primum vulgato, cuius, praeterquam quod aequivocus est sensus, certum est fuisse interpolatum, utpote omnino adversans genuino et antiquo Poenitentiali, quod in Ecclesia Romana obtinebat; quod proinde ad probandum est omnino inefficax.

Iis igitur sepositis, remanent alia, quae vere dubia in se vocaveris, eo quod de ipsorum sensu satis liquide haud constet. Sunt autem can. LXXXVII. concilii Trullani, quo corriguntur leges Iustiniani, quibus laxabantur habenae repudiis non solum ob adulterii causam, verum etiam ob alias, quae admitti nullatenus poterant; at in eo de facultate novam ducendi uxorem ob adulterii crimen sermo aperte non habetur. Canon IX concilii Svessionensis, de quo valde incertum est, utrum eo detur facultas novas post adulterae dimissionem celebrandi nuptias; imo longe probabilius est eam nulla ratione concedi; capitulum item Caroli Magni XXI. libri V. ob eamdem rationem, praesertim quum capitulo CCCLXXXI. libri septimi expresse interdicatur connubium *uxore vivente* ei, qui dimittere mulierem incesto adulterio maculatam coactus est; canones praeterea XXV. concilii Agathensis et II. concilii Venetici, qui potius negative se habent, quum de facultate alias ducendi uxores post *iudicialem* separationem ab uxoribus adulteris nihil decernant. Denique effatum Aviti, episcopi Viennensis, quod ad solutionem vinculi, saltem certo non refertur.

» terrogatus est: quia meretrix erit decusso proprii mariti iugo, et secundi ma» riti iuncta vel tertii *(sic)*. Cuius maritus *illa vivente alteram non suscipiet.* »

(284) Etenim hic posterior canon in praeced. nota allatus seu CLXIV. a Dacherio inter capit. Theodori editus est; habetur nempe in cod. Parisiensi 3182. et Sangermanensi 124. immediate post capitula Theodori cum aliis, quae in codice sangerm. expresse canones Adommani inscribuntur; adeoque falso Theodoro tribuitur. Cf. etiam hac de re Bolland. in vita S. Theodori Cantuar. in Dissert. praelimin.

Seponere praeterea debemus documenta, quae afferri quidem solent ab adversariis, sed quae ad rem nostram non faciunt, cuiusmodi sunt rescriptum Gregorii II. ad Bonifacium, nec non canones concilii seu conventus Compediensis.

Remanent igitur ex universa antiquitate canones concilii Vermeriensis, qui satis aperte videntur admittere coniugale vinculum dissolvi per adulterium, et quidem non per simplex adulterium, ut vocant, sed cum additis peculiaribus adiunctis incestae coniunctionis vel attentati homicidii, aliisque eiusmodi. Nec desunt, ut innuimus, qui eos exponere connitantur de facultate iterum nubendi post legitimae uxoris mortem, quod quidem coniiciunt ex aliis eiusdem concilii canonibus, in quibus ne post mortem quidem alterius coniugis matrimonium contrahere permittitur (285).

Verum etsi daremus provinciale hoc paucorum episcoporum concilium modum excessisse, quid inde? Ergo ne catholica veritas nutare debebit ex unius alteriusve concilii provincialis peculiari doctrina, quae adversari evidenter deprehenditur universae ecclesiasticae traditioni? Eo vel magis quod hoc ipsum concilium can. IX. aperte a veritate abludat, dum statuit : « Si quis ne» cessitate inevitabili cogente in alium ducatum seu provinciam » fugerit, aut seniorem (dominum) suum, cui fidem mentiri non » poterat, secutus fuerit; et uxor eius, cum valet et potest, » amore parentum aut rerum suarum, eum sequi noluerit : » ipsa omni tempore, quamdiu vir eius, quem sequuta non fuit, » vivit, semper innupta permaneat. Nam ille vir eius, qui ne» cessitate cogente in alium locum fugit, si se abstinere non po» test, *aliam uxorem cum poenitentia potest accipere* (286). » Porro quis hoc ferat, cum aperte Apostoli doctrinae adversetur, iuxta quam, quamdiu vir aut uxor in vivis sunt, coniugii vinculo obstricti manent, quod non solvitur nisi per alterutrius mortem? Itaque quemadmodum in hoc, ita in alio doctrinae ca-

(285) Uti colletus n. 304 seqq. Amort. op. cit. pag. 88.

(286) *Acta conc.* Harduin. tom. III. col. 1991. Nec non *Conc. antiqua Galliae* Iac. Sirmundi tom. II. pag. 3.

pite a vero abludere potuit haec synodus, neque ratio eius ulla habenda est.

Quod de hac diximus, idem de alia particulari synodo, si qua sit, quae contrarium doceat, dici debet; praesertim quum ea aetate ob barbarorum incursiones vix ecclesiastica documenta reperiri possent, ac leges Romanae ac barbaricae divortio nimis faventes longe lateque dominarentur.

Interim ex iis, quae in duobus praecedentibus articulis de Ecclesiae traditionali sensu disseruimus, pronum est colligere adversus Launoium eiusque exscriptores et asseclas, tantum abesse ut Ecclesiae doctrina et praxis de vinculi coniugalis dissolutione ob adulterium faveat, ut potius longa seculorum serie ab aetate apostolica perpetuis documentis constet, Ecclesiae doctrinam et praxim esse illi sententiae prorsus contrariam.

His documentis, uti ex instituta critica eorum discussione patet, non aliud adversarii opponere potuerunt quam sophisticas cavillationes, atque etiam, ut vidimus, violentas interdum et absurdas interpretationes, quae a communi sensu abhorrent. Ex medio autem aevo collegerunt huc illucque, quotquot potuerunt, documenta, ut fucum imperitis facerent; sed quaerite perpensa deprehenduntur aut falsa, aut critice dubia; atque exegetice examinata sensum fundunt, qui cum catholica veritate apprime cohaeret, quaeque id, quod adversarii contendunt de facultate iterum nubendi post dimissam adulteram aut dimissum adulterum, nullatenus probant.

Ac re sane vera, si talis fuisset sensus tum textuum Matthaei, tum apostoli Pauli, qualem isti contendunt; si talis exstitisset traditio a Patribus accepta et per manus decurrens, in re, quae adeo hominum cupiditati ac libertati favet, et in quam adeo proclives in tot rerum adiunctis plurimi reperiuntur; in re, cui leges civiles seu politicae, ut saepius innuimus immo et patefecimus, haud parum favebant: qui fieri potuisset, ut non haberemus potius contrariam sententiam et praxim pleno, ut ita dicam, atque exundanti alveo per secula singula ad nos usque

decurrentem? Si non alia doctrinae catholicae supperent documenta, vel ipsum factum nobis praeberet eius ineluctabile argumentum.

Vix enim inter seculi XVI. novatores doctrina haec obtinuerat, ut illico praxis dissolutionis ob adulterium coniugiorum longe lateque penes ipsos diffusa sit : in tribunalibus sive ecclesiasticis sive civilibus a iudicibus quotannis innumerae prope de divortiis hac de causa pronunciantur sententiae. Idem dic de Graecis, penes quos ab aliquot seculis eadem invaluit doctrina seu potius corruptela. Porro idipsum profecto contigisset seculis anteactis; si quidem eadem doctrina in Ecclesia obtinuisset catholica. Iam vero tantum abest, ut praxis eiusmodi in catholica introduci Ecclesia potuerit, ut cum potentissimi principes, reges ac imperatores divortium quandoque pertentaverint, statim illis Romani pontifices et concilia obstiterunt, uti inter caetera Lotharii exempla, Philippi Augusti, aliorumque magno numero demonstrant (827). Huc colliduntur quaecumque Launoius cum asseclis suis tanto labore congessit.

CAPUT IV.

De Graecorum praxi deque canone Tridentino circa indissolubilitatem Christiani matrimonii in causa adulterii.

Articulus. I. — De natura et origine erroneae praxeos Graecorum dissolvendi ob adulterium coniugii, deque ecclesiae Romanae hac in re erga Graecos oeconomia.

Cum de Graecorum more ac praxi circa dissolubilitatem coniugiorum propter adulterium disserimus, non modo Graecos ab Ecclesiae catholicae unitate dissociatos, verum etiam Graecos in ea unitate consistentes complectimur. Exploratum enim est

(287) Huius exempla oppositionis sunt Stephani IV. et Caroli M., Nicolai I. et Lotharii, Gregorii V. et Roberti, Alexandri III. et Henrici III. Urbani II. et Philippi I. caetera recole apud Berti *De Theologic. discipl.* tom. IV. ab an, 540 ad an. 1659. etsi fateamur non omnia eiusmodi divortia sub obtentu adulterii perpetata fuisse.

eos a pluribus seculis consuevisse in adulterii casu ita dirimere coniugia, ut cum aliis respective viris aut foeminis se novis nuptiis copulent. Haec porro agendi ratio non minimam creare potest difficultatem iis, qui rem penitius non perpendunt, ex eo etiam capite, quod hac de causa nullum excitatum unquam fuerit inter utramque ecclesiam Latinam et Graecam dissidium, neque diversa haec agendi ratio impedimento fuerit utriusque Ecclesiae unioni, quae identidem tentata, immo etiam ad tempus saltem redintegrata est.

Exinde siquidem non pauci catholicae doctrinae adversarii recte inferre sibi visi sunt hac in re non de dogmatica veritate, sed de libera disciplina agi ; adeo ut in potestate Ecclesiae sit eam temperare ac mutare pro temporum, personarum rerumque adiunctis. Alii autem, qui disciplinae moderandae potestatem secularibus principibus ultro demandant, veriti non sunt politico regimini auctoritatem deferre fidelium matrimonia ob adulterii flagitium dissolvendi, prout reipsa in Protestantium ditionibus fieri consuevit, et a nonnullis principibus catholicis aliquando sancitum est (1).

Ut igitur huiuscemodi amoveamus obstaculum, ostendemus 1. non de *doctrina* proprie ac directe quaestionem esse cum ecclesia Graeca circa hunc articulum, sed potius de diversa Graecorum *praxi*, seu varius abusu, qui apud eos obtinuit, atque etiamnum obtinet ; 2. originem eiusdem praxeos seu abusus, qui apud illos invaluit, patefaciemus ; 3. ecclesiam Latinam denique ostendemus, quoties sese obtulit occasio, toties adversus eiusmodi abusum reclamasse.

I. Porro ad primum quod attinet, dum dicimus dissidium Graecos inter Latinosque non de doctrina esse, sed de praxi, haud significare intendimus, illos ad praxim hanc suam cohonestandam minime quaerere praesidium sive in sacris litteris, sive in sanctorum veterum scriptis ; hoc siquidem factis manifestis

(1) Hos adversarios paulo post commemorabimus, cum scilicet afferemus singulorum argumenta, quibus adnisi sunt eiusmodi fulcire commenta.

refelleretur, cum constet ipsos confugere et ad textus Matthaei, et ad Graecos Patres, quorum testimonia ipsi urgent, haud secus atque protestantes (2). Ac reipsa fieri non poterat, quin Graeci niterentur praxim adeo contrariam doctrinae et praxi ecclesiae Romanae opportunis auctoritatibus et argumentis ex Bibliis ipsis et ex Patribus arte depromptis fulcire. Dum igitur asserimus Graecos practice potius quam theoretice dissentire ab ecclesia Latina, contendimus, eos non ita sententiam suam tueri, ut erroris incusent Latinos ob contrariam doctrinam et praxim, perinde ac si ea recedat ab evangelica et apostolica disciplina, dum indissolubilitatem tuetur coniugii interveniente adulterio, adeo ut hoc unum ex capitibus constituat divisionis inter utramque ecclesiam.

Eo etiam ex capite dici potest, Graecos practice potius quam theoretice ab ecclesia Latina dissentire, quod praxis aliunde quam ex dogmatico errore profluxerit ; imo error quicumque is est, ex praxi potius provenit, quum Graeci praxim suam aliunde ortam cohonestare tentaverint erronea doctrina : quae profecto cohaerens non est cum doctrina de indissolubilitate christiani matrimonii, quam alioquin Graeci ipsi formaliter profitentur. Hinc iterum apparet practicum verius quam theoreticum esse dissensum, vel certe talem fuisse, saltem usque ad definitionem Tridentinam, contra quam modo Graeci dirimere matrimonia ob adulterium non possunt, quin simul notam erroneae praxeos simul et doctrinae incurrant, ut fusius postea videbimus.

Hisce explanatis, pronum nunc est nostram adfirmationem

(2) Haec omnia profert et expendit Arcudius in suo opere *De concordia Occident. et Orient. Ecclesiae* lib. VII. *De matrimonio* a cap. VII. ad XXVII. Cf. praeterea Mansi *Collect. concil.* tom. XX. col. 147. ubi affert acta conc. Barensis. Allatium *Graecia orthodoxa* Romae 1652. tom. II. p. 570. Anselmum Havelbergensem op. *Dialog. adversus Graec.* lib. III. apud D'Acherium *Spicileg.* tom XIII. pag. 88. seqq. nec non Samuel. Klein de Gzàd dioeces. Fogarasiensis in Transilvania. presb. et in semin. gener. Caesareo-regio Graeco-catholicorum Vindobonens. ad S. Barbaram stud. praefect. in *Dissertat. canonica de matrimonio iuxta disciplinam Graecae Orientat. Ecclesiae.* Vindob. 1781. De quo idem agemus

adstruere ; ac primo id efficimus positive, quatenus ecclesia Graeca adoptavit, ut suos, canones ecclesiae Africanae, adeoque concilii Milevitani, quod, ut vidimus, can. XVII. constituit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungantur ; sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quem canonem renovavit conc. Africanum plenarium cap. LXXVI. et rursum in codice canonum ecclesiae Africanae insertus est can.CII . ac in canone ecclesiae Graecae reperitur (3).

Praeterea Michaël Palaeologus in symbolo fidei seu fidei professione, quam an. 1274. obtulit Rom. pont. Gregorio X. in concilio Lugdun. II. indissolubilitatem absolutam matrimonii professus est his verbis : « De matrimonio vero tenet (Romana » ecclesia) quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mu- » lier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo ma- » trimonio *per mortem coniugum alterius*, secundas et tertias » deinde nuptias successive licitas esse dicit : si impedimentum » canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat (4). »

Rursum cum saec. XVI. reformatores, ut sese appellant, seu emendatores sacrorum, nempe haeretici, ad fulciendas novas doctrinas suas adversus Ecclesiam praesidium quaesivissent penes Graecos, Ieremias patriarcha Constantinopolitanus nomine ecclesiae suae hanc de sacramento matrimonii eiusque indissolubilitate professionem edidit : « Matrimonium in primis ab » ipso Deo omnium rerum omnipotente auctore ab initio con- » stitutum, sancitumque est tum, cum in paradiso Adamum » cum Eva coniunxit. Post vero, ubi mundo salus apparuit, ab » ipso Christo Iesu confirmatum, partim dum primo miraculo con- » versae aquae in vinum honestatur, partim dum Mosaica lex, » quae dato libro repudii uxorem dimittere permittebat, in ea » parte clare perficitur, illudque docetur, a principio sic non

(3) Cf. *Acta Conc.* Harduini tom. I. in monito ad hunc canon. col. 861. 862. et iterum col. 923. ubi exhibentur hi canones Graece et Latine.

(4) In *Collet. max. conc.* Mansi Venet. 1780. tom. XXIV. col. 71.

» fuisse, sed propter duritiam cordis eorum, qui legem acceperunt, id concessum esse. Et illis item verbis ; *Quos Deus coniunxit*, hominem separare non debere (5). » Sic etiam in *Orthodoxa confessione* idem constituitur principium de perpetua et indissolubili coniugii firmitate, dum dicitur, quod sponsi « iunctis dextris fidem dent, quod alter alteri fidem, honorem, » amoremque coniugalem, ad finem usque vitae, quocumque » rerum discrimine, constanter servaturus; nec alter alterum » deserturus sit (6). » Verum quidem est in his professionibus nullam de peculiari adulterii casu fieri mentionem, attamen hoc ipso quod proprietas vinculi coniugalis absque ulla exceptione adstruitur, patet, Graecos cum Latinis circa principium theoreticum et dogmaticum convenire, nec ullam posse movere litem contra ecclesiam Latinam, quae docet insolubilitatem christiani connubii adulterio etiam interveniente.

Id ipsum efficimus negative. Siquidem nunquam Graeci inter dissidii causas ab ecclesia Latina doctrinam et praxim de indissolubilitate matrimonii etiam in casu adulterii recensuerunt (7). Quoties praeterea post funestum schisma, quo scissa est ecclesia Graeca a Latina, actum est de unione inter utramque ecclesiam redintegranda, nunquam inter articulos discutiendos propositus est articulus de dissolubilitate aut indissolubilitate coniugii in causa adulterii (8).

(5) *Censura Orient. Eccles. per Ieremiam patriar.* Coloniae 1583. c. VII. *De matrim. et natur. sacrament.* pag. 116. et ed. Paris. 1584. fol. 44.

(6) *Orthodoxa confessio catholicae atque apostolicae ecclesiae Orientalis* interprete Laur. Norimanno Lips. 1695. quaest. CXV. Hinc Thomas Smith Anglicanus in op. *De Graecae ecclesiae hodierno statu.* Traiecti ad Rhen. 1698. pag. 130. refert, graecos statuere : « Neminem cuiuscumque periculi praetextu » per totum vitae terminum ab alicuius matrimonio dimittendum, idemque » (matrimonium) esse *totius vitae inseparabile consortium.* »

(7) Has causas ex epistolis Photii et Michaëlis Caerularii expendit Biner in *Apparatu eruditionis* part. III. cap. 2. art. 8. num. 14. nec non cap. 3. art. 6. n. 8. et 9. Item Prosper ab Aquitania *Diction. Theologic.* tom. 1. pag. 108. Ant. Possevini in *Apparatu sacro* ad vocem *Graeci.*

(8) Satis est percurrere Acta concilii Lugdun. II. et Florentini, in quibus de unione actum est, ut quisque intelligat de quatuor potissimum doctrinae capitibus controversias agitatas fuisse, scilicet de consecratione etiam in pane

Firmamentum haec omnia accipiunt ex agendi ratione, quam constanter tenuerunt non solum Graeci uniti, verum etiam schismatici respectu tot decretorum et sanctionum Rom. pontificum, quibus dissolutio coniugiorum ob adulterium improbata atque damnata est. Siquidem nemo adversus has pontificias sanctiones insurrexit, quasi desciverint ab evangelica et apostolica doctrina aut a veteri Patrum traditione; quod quidem argumentum prope evidens est nullum dogmaticum revera hac in re dissidium viguisse aut vigere inter ecclesias Orientalem et Occidentalem.

Restat igitur ut practicus dici debeat usus, seu potius abusus, qui penes Graecos inolevit scindendi vinculum coniugale ob adulterii flagitium, cuius nec ipsi rationem reddere potuerunt, cum haec quaestio iis esset proposita. Sane absoluto concilio Florentino, atque unione perfecta, cum Latini silentio praeterire noluerint contrariam Graecorum praxim circa coniugii dissolutionem, sciscitati ab iis sunt, quare ipsi coniugia dissolverent, et aqua eis haesit, prout habetur in historia actorum illius concilii a Binio edita : post subscriptionem, ibi legitur. « Absoluta Missa et gratiarum actione, unusquisque recepit se domum. Post haec Latini quaesiere a nobis (graecis) haec... Et quare coniugium dirimitis, dicente Domino : *Quos Deus coniunxit, homo non separet?* Haec a Latinis obiecta Mitylenensis (archiepiscopus) canonice omnia legitimeque dissolvit, praeter quam duo, de quibus Papa significavit imperatori. Cur scili-

azymo, de existentia purgatorii, de primatu Sedis Romanae, deque processione Spiritus S. etiam a Filio. Cf. Christoph. Peichich, *Speculum veritatis inter Orientalem et Occidentalem ecclesias*. Venet. 1725. cap. X. p. 116. necnon *Io. Plusiadeni Dissertationem pro concilio Florentino* apud Allatium *Graccia Orthodoxa* tom. I. p. 625. ubi quinque dissentionum capita inter utramque Ecclesiam distincte numerantur, et ne verbum quidem de matrimonio. Demum lac. G. Pitzipios in op. *L'Eglise Orientale* 1. Part. Rome 1855. capp. VIII. IX. et X. recensens praecipuas differentias seu controversias, quae inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam vigent, eas coarctat ad tria capita; deinde vero persequens controversias minores ad septem revocat. nuspiam vero quidpiam de matrimonio, eiusque ob adulterium dissolutione aut indissolubilitate meminit.

» cet matrimonia dirimantur... Latinis contradicentibus, legem » (civilem) nihil valere adversus Domini vocem : *Quos Deus co-* » *niunxit, homo non separet*... Petivit ergo per nuncios Papa » ab imperatore, ut ex metropolitis peritos aliquot ad se mitte- » ret ; ille vero misit imperitos. Proposuitque Papa duas hasce » obiectiones, de separatione coniugiorum, et promotione patri- » archae. Illi vero, nullam se dixerunt habere facultatem res- » pondendi, nec respondere ; sed ea relaturos imperatori, qui » responderet.... Papa Orientales omnes praesules ad se convo- » cavit : et cum aliquot ex iis profecti essent, talem habuit se- » creto cum illis sermonem... Propono vobis aliqua ut fratribus, » ut membris, ut ecclesiarum doctoribus. Et primo dico, omnes » conqueri de separatione matrimoniorum ; idque correctione » indiget... Praesules ita responderunt ; aequissima et sapien- » tissima sunt, quae Beatitudo tua dixit : sed nos ad haec dare » perfectam responsionem non possumus ; sunt enim et alii » praesules, et imperator noster : perfecte igitur respondebimus » cum illorum consensu, privatim vero ex nobis respondemus » ac dicimus : non esse haec praesentis temporis, licet iusta et » necessaria sint ; nam matrimonia dirimimus non sine iustis » causis (9). » Nec ulterius res progressa est.

Interim ex hoc documento novimus, non de doctrina sed de praxi Rom. pontificem cum Graecis esse conquestum ; istos insuper ad se tuendos neque ad Scripturam neque ad Patres con-

(9) *Concilia gener. et prov.* tom. IV. p. I. Colon. Agrip. 1618. pag. 609 seq. quibus patet audacia *Annalistarum Ulmensium*, dum asserere non dubitarunt, ecclesiam Graecam in capite de matrimonio verius et sac. Scripturae conformius sensisse, quam ecclesiam Latinam, cum illa semper eruditiores ac doctiores Patres et scriptores in suo gremio quam haec numeraverit, ac proinde Ecclesiam Graecam melius quam Latinam sententias Scripturarum intellexisse. *Annales pro theolog. et iure can.* Ulmae 1812. tom. III. p. 309. Assumunt hi protestantes annalistae uti certum Graecos Patres et scriptores propugnasse dissolutionem matrimonii interveniente adulterio; quod esse omnino falsum suo loco ostendimus. Si protestantes Graecis deferunt circa solutionem coniugii, quare iisdem non deferunt, cum agitur de dogmatibus, in quibus ipsi cum Latinis consentiunt?

fugisse, sed ad consuetudinem iamdiu apud illos inolitam, adeoque tacite saltem significarunt ex corruptela potius et abusu eiusmodi consuetudinem pedetentim invaluisse. Discimus praeterea non ob solam fornicationis seu adulterii causam, verum etiam ob alias etiam leviores causas consuevisse Graecos coniugia dissolvere. Nam generatim summus pontifex Eugenius dixit, *omnes conqueri de separatione coniugiorum*. Et sane notum est passim apud Graecos schismaticos ob leves causas matrimonia dirimi, prout testantur, qui de praesenti Ecclesiae Graecae statu disseruerunt (10). Quapropter eadem ratione qua alii abusus irrepserunt penes Graecos dissolvendi coniugia levibus de causis, ita et hic irrepsit abusus eadem solvendi propter adulterium. Immo vero cum hic vetustior sit, primus veluti gradus extitit, ex quo facile illis fuit in alios descendere.

II. Iam inquirenda nobis istius praxeos origo est, quam facile in legibus civilibus, quae divortia permittebant, et in indole Graecae gentis reperimus. Exploratum penes eruditos est legibus imperatorum ethnicorum viris praesertim indultam fuisse divortia faciendi facultatem. Imperatores christiani huic malo occurrere quidem sategerunt; attamen cum magna adhuc parte imperium Romanum ethnicis constaret, nonnisi per gradus quosdam antiquas leges emendare potuerunt. Quum vero deinceps emendare possent ac deberent, potius divortiis magis faverunt.

(10) Hinc Thomas Smith op. cit. *De Graecae Ecclesiae hodierno statu* post verba paulo ante descripta subdit : « Nescio utrum magis mirer an doleam tot » repudiis *levissimis* quidem *de causis* ἐκτὸς τῆς πορνείας *extra casum adulterii* » indultum esse, quasi vinculum istud, quod alias fatentur ἄῤῥηκτον, pro vaga » cuiuspiam libidine et arbitrio adeo facile solvi potuisset. Huic malo reverendorum antistitum pietatem tandem aliquando occursuram spero, quos tantum » abest, ut levitatis aut avaritiae incusem, ut genti in vindictam, aut odium, » aut in novos amores, ubi fastidium irrepserit, effusissimae et quam maxime » effraenae non aliter satisfieri posse credam, nisi hac iniqua indulgentia, » p. 130.

Et D. De la Croix in op. *État present des nations et des Églises Grecque, Arménienne et Maronite en Turquie*. Paris 1695. pariter scribit pag. 75. « Malgré toutes ces régularités, le mariage qui se contracte avec tant de difficulté, » se dissout aisément *sur les moindres causes*, et pour de l'argent on prononce » la dissolution. »

Quocirca imp. Constantinus M. legem tulit, qua causas divortii ad tres coarctavit in foemina, nempe : « Si homicidam, vel » medicamentarium, vel sepulchrorum dissolutorem maritum » suum esse probaverit » in viris pariter : « Si *moecham*, vel » medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit (11).» Hanc eamdem legem confirmarunt et extenderunt imperatores Honorius, Theodosius et Constantinus *De poenis iniusti repudii iusti contra praemiis* (12). Plures aliae leges eadem de re sancitae sunt ab imperatoribus subsequentibus, quaeque referuntur in codice Iustiniani, quibus et alias ipse Iustinianus adiecit (13). Nam ipse Anastasium imitatus in legibus novellis ad Ioannem et Theodotum praetorio praefectos laxavit mali habenas repudiorum causas extendens, et de irrationabili repudio solam puniens mulierem quinquennali abstinentia a novis nuptiis (14). Licentiam adhuc amplificarunt Leo sapiens ac Nice-

(11) Imp. Constantinus A. ad Ablavium *De repudiis* tit. XVI. lib. III. cod. Theodosiani cum comment. Io. Gothofredi. Lugduni 1665. tom. I. p. 310.

(12) Ibid. pag. 316.

(13) *Codicis sacratissimi imperat. Iustiniani pp. Augusti* libri XII. *Accurtii commentar, ac Coantii et Dionysii, Gothofredi* etc. *lucubrationibus illustrati.* Lugd. 1612. Cod. lib. V. tit. XVII *De repudiis* p. 1238. seqq.

(14) Leg. XXII. c. 117. Hinc Blastares in *Syntagm. alphabetic. litt.* G. c. 13. scribit : de causis divortii leges civiles multis in locis tractare, plenius, tamen in Novella imp. Iustiniani, (117.) in qua causae recensentur, e quibus solis matrimonium dissolvere liceat, et quidem sequentes. — Pro marito. —

Maritum repudium uxori mittere posse. 1. Si coniurationis contra imperium conscia, viro suo non revelet.

2. Si eam *adulteram* esse accuset *et probare possit.*

3. Si ea vitae mariti insidiata sit, aut insidiarum ab aliis conscia marito non revelaverit.

4. Si cum extraneis nolente marito convivetur aut lavetur,

5. Si nolente marito et extra domum manserit, nisi forte apud proprios parentes.

6. Si nolente aut ignorante marito et circensibus ludis, theatris aut amphitheatris interfuerit, ad spectandum.

Pro uxore. Uxorem autem marito repudium mittere posse : 1, Si maritus contra imperium conspiret, aut conspirationis aliorum conscius imperio non revelet.

phorus Botaniates, Augusti Graecorum, quos propterea ita merito arguit anonymus auctor tractatus, qui Constantinopoli repertus est : « Quod viri et mulieres sacramentum coniugii pro » nihilo reputent. Nam quoties alter displicet, vel alteri, coram » praetore urbano voluntatibus eorum expositis, instrumentis » et singulis praecisis, sine contradictione viri uxores, et mulie- » res viros pro lubitu accipiunt, contra mandatum quod dicit : » *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (15). » Exinde ortae querelae de facilitate repudiorum apud Graecos.

Quamdiu in Ecclesia Graeca severior disciplina viguit, vix ulla harum legum ratio habita est ; quinimo Patres legibus civilibus leges Christi opposuerunt. Verumtamen illius gentis indoles, quae supremam imperialem dignitatem velut sacro quodam cultu prosequebatur, illique ea etiam deferebat, quae iuris Ecclesiae sunt, effecit ut Graeci assentationis spiritu ducti coeperint pedetentim a primaevo instituto desciscere, atque ex praescripto civilium legum sese gerere in hoc praesertim negotio, in quo cupiditates magnam adeo sibi partem vindicant. Ab initio quidem timide, postea vero audacius, cum consuetudo iam altas radices egisset, donec longe lateque obtinuerit, et quadan-

2, Si vitae uxoris aut ipse insidiatus sit, aut insidiarum ab aliis conscius non revelet uxori, neque studeat secundum legem ulcisci.

3. Si uxoris castitati insidiatus sit, eamque aliis prostituendam tradere tentaverit,

4. Si eam de adulterio vir accusaverit, probare autem non potuerit.

5. Si is vel in domo sua vel extra cum alia muliere cohabitet, atque admonitus non desistat.

Reliqua inferius dabimus. Hic porro Matthaeus Blastaris monachus, qui circa an. 1335, floruit in cit. op. non canones modo, sed et leges retulit cum canonibus collatas Iustiniani, Leonis Sapientis, Constantini Porphyrogennetae, aliorumque imperatorum. Hoc opus e duobus codicibus Bodleiano et Vossiano Graece ac Latine in lucem protulit Beveregius in *Pandect. canon.* tom. II. part. I. pag. 1. Multa eius loca emendavit Cotelerius in *Not. ad Monum. Ecclesiae Graec.*, qui tamen admonet haud pauca adhuc superesse emendanda. Cf. op. et loc. cit. cap. XIII. p. 73 seq.

(15) Apud Christ. Lupum schol. ad. can. LXXXVII. conc. Trullani Opp. ed. Venet. 1724. tom. III. pag. 155 seq.

tenus pessimus mos praescripserit, dissimulantibus prius, deinde vero probantibus supremis illius ecclesiae pastoribus.

Magis autem ac magis abusus eiusmodi increbuit, ex quo sec. VIII. imperator Constantinus, Basilii filius, repudiata Maria Armena, legitima uxore, Theodotam cubiculariam duxit; quod nefarium facinus, licet omnes severiori disciplinae studentes detestarentur, attamen a non paucis ignavis episcopis probatum fuit (16). Huius imperatoris exemplum, ut fieri solet, plurimos habuit imitatores. Maiora denique nacta est eiusmodi consuetudo seu corruptela incrementa post luctuosum schisma Photii et Michaëlis Caerularii; ex eo enim tempore, historici omnes consensu unanimi exprobrant Graecis divortiorum effraenem licentiam, non solum in casu adulterii, verum etiam ob alias longe minores causas (17). Quod quidem malum dissimularunt Graeci antistites eo etiam nomine, ne, si nimis obiurgarentur, qui se his repudiis foedare audebant, ad mahometismum desciscerent (18).

Ast si aliqua excusatione digni videntur praesules illi, qui sub islamitica ditione constituti sunt, profecto eam obtendere

(16) Cf. Baronium ad an. 795. n. XLII. seqq. cum notis Pagii, qui rem totam fuse refert, et magnas in ecclesia Constantinop. propter hoc scelus exortas discordias. Unicus ab initio restitit Constantini flagitio S. Plato monachus, qui hac ipsa de causa iram in se concitavit imperatoris, a quo una cum monachis suis in carcerem coniectus ac prope innumera hac de causa est mala perpessus, prout refert Theodorus Studita apud eumdem Baronium loc. cit. ed. Luc. tom. XIII.

(17) Etenim praeter recensitas causas cum damno partis reae, a Blastare op. et loc cit. hae tres recensentur ad divortium faciendum.

1. Impotentia mariti intra matrimonium.

2. Amplexus vitae monasticae alterius coniugum.

3. Captivitas, si per quinquennium de captiva parte resciri nequeat an vivat nec ne. Cf. ibid. p. 74.

Causae hae recensentur etiam in Photii *Nomocanone* tit. XIII. cap. IV. et in *Corpore iuris canonici* pag. 201. 209. 212. 214. 216. 217. 219. et 222.

(18) Prout observat De la Croix op. cit. ubi post adducta verba pergit dicens: « Ce qui est un abus considerable, que tolére cette Eglise pour empêcher un » plus grand mal, qui est le Mahométisme. »

nequeunt ii, qui extra illam ditionem versantur, ut in Valachia, Transylvania aliisque finitimis regionibus, in quibus tamen adhuc vigent non pauci ex eiusmodi abusibus ob iuris canonici, quod penes ipsos receptum est, auctoritatem (19). Idem dic de novo Graeciae regno, in quo eadem legislatio denuo adoptata et confirmata fuit (20).

Et hae quidem quoad ecclesias ab unitate Ecclesiae catholicae separatas ; nam quod attinet ad ecclesias Graecounitas, licet nondum abusus omnes aboliti sint, recessum tamen sensim et pedetentim est a non paucis corruptelis, quae prius obtinuerunt. Dixi *nondum abusus omnes abolitos esse:* siquidem usque ad haec ferme tempora praesertim in catholica Transilvaniensi provincia matrimonia dissolvebantur ob probatum adulterium et perfidam desertionem, quae ut plurimum adulterium involvit. Idque sub obtentu quod iis a S. Sede concessum fuerit in actu unionis, quae facta est an. 1699. imperatoris Leopoldi potissimum opera. Iam vero perperam ipsi autumant hac occasione absque ulla restrictione permissum eis fuisse propriam disciplinam moderari iuxta corpus iuris canonici Graeci, quod digestum erat ante unionem, quodque vocant *Pravila* id est *regu-*

(19) Etenim in *Corpore Iuris canon. Valach.* praeter superius recensitas causas dissolutionis coniugalis vinculi hae continentur :

1. Abortus procuratio. Pag. 212. 220. ex Novel. Leonis, etiam apud Blastarem op. cit. lit. G. c. 2.

2. Congressus cum uxore contra naturam p. 214. cap. 251.

3. Defloratio et furor etc. Lepra, obsessio daemonis, perfida desertio e sententia synodi Constantinop. sub patriarcha Dositheo an. 1554.

(20) Cf. Harmenopuli *Epitomem divinorum, et sac. canon. legum* pag. 389 seq. edition. Atheniensis, quae regio decreto die 20. Febr. seu 7. Martii 1835. pro regno Graeciae approbata fuit ; et Io. Hadschits *Dissert. de causis matrimonium dissociantibus iuxta disciplinam ecclesiae oriental.* Budae 1826. in 8. Hoc opus denuo recusum, ut diximus, et probatum in novo Graeciae regno, confectum est e Constant. Harmanopuli Nomophylaci et iudice Thessalonicensi an. 1380. vel 1383. uti ostendunt Seldenus et op. *De Synedr. Hebraeor.* lib. I. c. 10. p. 213 seq. et Fabricius *Biblioth. Graec.* tom. X. p. 276 seq. et inscriptum Ἐπιτομὴ τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων Cf. Carmini Fimiani *elementa iuris canonici.* Neapoli. 1777. tom. I. pag. 86.

lam (21). Porro praeter quam quod nullum Romae huius concessionis existit documentum, certum est quod in diplomate imperatoris Leopoldi dato die 16. febr. 1699. genti Valachae Graecae et ruthenae praeter admissionem quatuor articulorum, quibus dissentiebant gentes illae ab ecclesia Romana (22), praemittebatur, tamquam necessaria conditio, unionis quod dicta natio teneretur : « Omnia ea admittere, profiteri, ac credere, quae » sancta mater Ecclesia Romana catholica admittit, profitetur, » et credit (23). » Hoc diploma publice lectum est in comitiis generalibus Transilvaniae, quin ulla fieret oppositio, die 8. sept. 1699. ; cum autem inter caetera, quae admittit, profitetur et credit Ecclesia Romana, sit etiam in articulus de absoluta indissolubilitate matrimonii christiani etiam in casu adulterii, nec eum ignorare certe possent Graeci illi, qui se Ecclesiae catholicae univerunt, plane consequitur haud datam eis esse libertatem sectandi hoc in articulo antiquum illud ius canonicum.

Quod si post unionem adhuc inolitus hic abusus perseveravit dissolvendi propter adulterium ac perfidam desertionem coniugium, id factum est contra Ecclesiae Romanae mentem. Verumtamen quinquaginta plus minus ab hinc annis firmitate ac

(21) De quo iure canonico seu *Pravila* scribit Walter. *Ius can.* ed. XI. §. 83. p. 143. « Vallachi qui sec. XIII. proprium ac independens regnum formarunt, an, » 1652, canonum collectionem in lingua vernacula conscriptam ac typis editam » obtinuerant. Constat haec collectio duabus partibus. Prima 417. capitula » complectens Manuelis Malaxi *Nomocanonem* (an. 1561. conscriptum et ex Pho- » tii, Balsamonis, Blastaris et Zonarae operibus excerptum) ex Graeco in verna- » culam linguam translatum exhibet. Altera pars, quae *Nomocanon* inscribitur, » canones apostolorum, conciliorum, Basilii aliorumque Patrum continet, ex » recensione, quam Aristenus in *Synopsi scholiis* adornavit. Graeca porro haec » opera nihil omnino commune habent, atque ex errore fontium, tamquam » unius eiusdemque collectionis partes, considerata sunt. »

(22) Nempe 1. de Rom. pontifice supremo totius Ecclesiae capite, 2. de consecratione eucharistiae in pane azymo sufficienti ; 3. de purgatorio ; 4. de processione Spiritus Sancti etiam a Filio.

(23) Huius diplomatis adhuc existit transumptum in archiviis sac. congreg. de propaganda fide.

perseverantia Fogarasiensium antistitum ejusmodi dissolutio cessavit (24).

Porro quis unquam dicet recensitos hactenus practicos abusus in errore doctrinali ac dogmatico fundari? Igitur resolutio coniugalis vinculi in causa adulterii apud Graecos non est repetenda ex errore aliquo dogmatico, sed eodem in censu habenda est ac dissolutio, quae penes eosdem invaluit propter alias causas manifeste a sacris litteris, ac traditione apostolica proscriptas, quaeque non aliam habet originem quam leges imperiales tum sacris litteris tum apostolicae traditioni hac in re adversantes, ab ignavis ecclesiae Photianae praesulibus uti leges canonicas adoptatas.

III. Nunquam destitit, quoties sese obtulit occasio, Apostolica Sedes ab eiusmodi abusibus improbandis. Iam retulimus quomodo se gesserit Eugenius IV. in concilio Florentino, qui praeterea in suo decreto pro Armenis doctrinam de indissolubilitate matrimonii his verbis complexus est : « Assignatur autem » triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et » educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus » coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matri- » monii, propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem » Christi et Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat » tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium con- » trahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti » perpetuum sit (25). »

Item Clemens VIII. in instructione pro Italo-graecis, declaravit Graecis quidem separationem a toro licitam esse, alterum tamen, vivente parte alia, matrimonium contrahere nullo in casu integrum esse (26). Urbanus VIII, in fidei professione

(24) Primus qui in Gr. catholica Transilvaniensi ecclesia dissolutionem matrimonii propter adulterium et perfidam desertionem sustulerit, fuit Fogarasiensis episcopus, Ioannes Rabb, frustra obnitentibus clero populoque; uti testatur Alexander Sterka Sulucz actualis archiepisc. et metropolita Albaeiuliensis, in scriptis datis Blasii in Transilvania die 30. novembr. 1856.

(25) *Acta concil.* Harduini tom. IX. col. 440.

(26) In Const. XXXV. Clement. VIII. in Bullario Laert. Cherubini Romae 1617, p. 48. Verba pontificis §. 5. adoptavit ac sua fecit Benedictus XIV. in Constit. mox alleganda : quaeque nos in textu retulimus, quin necesse sit ea repetere.

emittenda ab iis, qui e schismate vellent in unionem Ecclesiae catholicae redire, hanc formulam praescripsit : «Item sacramenti »matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter »adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges »tori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud ma»trimonium contrahere fas esse (27).» Benedictus pariter XIV. in constitut. *Etsi pastoralis* die 26. mai. 1742. quoad Graecos-italos haec ordinariis locorum de dogmatibus et ritibus ab Italo-graecis tenendis et servandis §. VIII. n. 2. de matrimonio edixit : «Matrimonia inter coniuges Graecos dirimi, seu divortia, quoad »vinculum fieri nullo modo permittant aut patiantur : et si »qua de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent (28).»

Hic praeterea pontifex in op. De synodo dioecesana lib. XIII. cap. XXII. refert a sac. Congreg. concilii discussum fuisse casum cuiusdam viri Graeci, qui dissolutionem coniugii ob adulterium uxoris suae convictae et confessae, etiam post sententiam Graecae synodi solutionem decernentis, petebat : et sacrum hoc tribunal decrevisse, coniugium quoad vinculum indissolubile persistere, nec ullo modo posse virum illum novas inire nuptias (29).

(27) Hanc ipsam fidei formulam emittendam Orientalibus ab Apostolica Sede praescriptam recitat atque electo patriarchae ecclesiae Antiochenae Simoni Evodio proponit edendam Benedictus XIV. in Constit. LXXVIII. *Nuper ad nos.* in eiusdem pontificis Bullario tom. I. p. 258 seqq.

(28) *Const.* LVII. in eiusdem Bullar. tom. I. pag. 179.

(29) Sic etiam a cong. Concilii reperitur data haec resolutio in *Thesauro resolution.* Urbini 1739. sub titulo *Dubium matrimonii* 15. Ian. 1724. Agebatur de quodam Georgio d'Ascoli Graeco-catholico, qui matrimonium contraxerat cum muliere Lutherana coram duobus testibus et praedicante Lutherano in civitate Wiburgi, quae sita est in Finnania, quae pars est regni Svevici, eumque Georgius militem agens captivus factus fuisset ab hostibus, post reditum e captivitate tres filios, se absente, a sua uxore progenitos invenisset, eam in iudicium vocavit. Cumque ipsa triplex confessa fuerit adulterium, prolata est sententia in synodo de dissolutione matrimonii quoad vinculum, et libertate Georgii ad alias nuptias transeundi iuxta Graecorum praxim seu abusum, interpretationemque a Graecis datam doctrinae S. Basilii, in qua potissimum synodus suae sententiae reposuit fundamentum. Cumque ad praefatae sententiae normam Georgius vellet cum alia foemina, cui suam fidem dederat,

Ex hactenus expositis pronum est colligere : 1. licet errorem Græcorum practicum potius quam theoreticum de solutione coniugii propter adulterium esse dicamus, tamen quaestionem per se nulla prorsus ratione uti mere disciplinarem spectari posse, sed habendam esse vere doctrinalem atque dogmaticam; 2. utramque praeterea, orientalem scilicet et occidentalem ecclesiam, primis seculis circa eamdem consensisse, nec ullam hac de re inter eas excitatam fuisse controversiam; 3. cœpisse quidem temporis tractu apud Graecos et Orientales consuetudinem introduci solvendi coniugia in casu adulterii; verum eiusmodi consuetudinis originem repetendam esse a civilibus legibus, nec cogitasse Graecos de eiusmodi praxi sive Scripturarum, sive Patrum testimoniis cohonestanda nisi serius, cum hac de causa obiurgari coeperunt ab ecclesia Latina; caeterum 4. adeo ipsis persuasum fuisse hac in re nullum se praesidium in Scripturis ac traditione habere, ut nunquam ecclesiae Romanae crimini verterint, quod contrariam doctrinam et praxim consectaretur; nunquam propterea inter tot schismatis faciendi recensitas causas interdum levissimas, hanc de indissolubilitate matrimonii adnumerarint (30); nec proinde 5. umquam cum ageretur, de

matrimonium contrahere, pater Apollinaris capuccinus missionarius in Moscovia, degens Petropoli, inducias a Georgio obtinuit, ut S. Sedis iudicium exquireret. Re ad sac. congregat. SS. inquisitionis delata; resp. *Oratorem non posse aliud matrimonium contrahere* pag. 5 seqq.

(30) Atque hic notandus est Sam. Klein qui in cit. dissert. *De matrimonio*, dum sub tit. *de adulterio* §. CVII. profitetur se agere de dissolutione propter adulterium in ecclesia Orientali tantum *historice*, patefacit tamen mentem suam proferens argumenta, quae orientalem praxim communire videntur. Etenim iuxta ipsum haec praxis fundatur 1. in verbis Christi Matth. XIX. 2. in verbis S. Basilii can. IX. 3. in eorum explanatione quam dedit Zonaras; deinde subdit : « 4. praeter Basilium videntur eidem favere Origenes, Epiphanius, » Asterius, Theodoretus et *plures alii;* 5. inter Latinos adducit Erasmum, Caie» tanum, Catharinum; 6. addit Graecos a Tridentino non fuisse damnatos, et a » Fleuryo, Tournelyo, Iuenino et Gazzaniga id affirmari.» In quibus a vero hunc auctorem ablusisse, partim iam vidimus, partim vero ex dicendis constabit. Debuisset praeterea adnotare Erasmum, Caietanum, et Catharinum ante celebrationem sess. XXIV. conc. Tridentini scripsisse; Erasmum se retractasse, Caietanum vero et Catharinum scripta sua Ecclesiae subiecisse iudicio.

utriusque Ecclesiae pace sive sub Stephano V. sive sub Gregorio X. sive demum sub Eugenio IV. inter articulos dissensionis istum commemoratum fuisse; 6. adeoque consuetudinem hanc esse revera habendam veluti abusum pluribus seculis inolitum. non secus ac alii abusus, qui penes Graecos obtinent ob alias causas etiam, praeter adulterium, dirimendi coniugia quoad vinculum; in quos abusus vocem suam iugiter Rom. pontifices extulerunt Graecis opponentes evangelicam et apostolicam doctrinam de omnimoda matrimonii indissolubilitate; neque vero umquam Graeci se defendere potuerunt; multoque minus tentarunt ecclesiam Romanam hac in re erroris accusare; semper tamen in sua avita consuetudine generatim perstiterunt, a qua difficile profecto est eos revocare (31).

(31) Plus semel diximus, Graecorum erroneam et pravam praxim in dirimendis coniugiis ob adulterium originem unice traxisse ex legibus imperialibus. Id porro nunc luculenter etiam constat ex iis, quae egregie disseruit D. Pitra in recensione operis nuper editi a DD. Rhalli, Areopagi praeside, et Potli, Athenis an. 1852-1856. iussu sanctae synodi ecclesiae Hellenicae, quinque volum. In hac enim recensione critica, postquam doctus vir historiam iuris Graeco-orientalis texuit et praecipuorum auctorum, qui collectiones canonum ediderunt et commentariis illustrarunt, usque ad novos collectores et editores Athenienses, quorum exhibet per volumina singula partes insertas, pergit ad expendendum meritum ipsum intrinsecum iuris canonici Byzantini.

Porro prius animadvertit iugem imperatorum Byzantinorum tendentiam ad sibi subiiciendum Ecclesiam, quae magis se patefecit in imperatore Iustiniano, qui, dum ex una parte nonnisi canonum ecclesiasticorum custodem et executorem se gerere profitebatur, ex altera *Novellis* suis constituebat disciplinam, et vim canonibus tribuebat. Hic imperator auctor fuit Ioanni scholastico, ut in unum colligeret leges imperiales et canones pro obiecto disciplinam ecclesiasticam habentes. Conflictus identidem inter imperatores et patriarchas Constantinop. excitatus est, et quotquot imperialis dignitatis assentatores non extiterunt, ac libertatis ecclesiasticae noluerunt se praebere proditores, persecutionem passi sunt, vel morte, vel carcere vel exilio mulctati

Res ita steterunt donec intrusus Photius an. 883. ut firmaret suum schisma, et Ecclesiam sub imperatorum ditione et servitute constitueret, novum iuris canonici syntagma vulgavit, aliudque opus sub profano titulo *Nomocanonis* edidit, quo significaret eamdem legibus imperialibus et canonibus ecclesiasticis vim inesse. Ac reipsa huic suo Nomocanoni novellas imperatoris Iustiniani disciplinares inseruit perinde ac si eamdem vim haberent. Pedetentim primas legibus imperialibus Graeci canonistae dederunt, et ita, prout

Et haec de Graecorum praxi circa solutionem coniugiorum praemittenda erant, tum ut ostenderetur eiusmodi practici erroris natura et origo, Romanaeque ecclesiae in eo improbando prudens perseverantia et oeconomia, tum ut facilius assequeremur vim canonis VII. sessionis XXIV, concilii Tridentini, de quo dicendum superest, ut hanc quæstionem universam de indissolubilitate christiani matrimonii in causa etiam adulterii absolvamus.

Articulus II. — De natura et vi canonis VII. sess. XXIV. concilii Tridentini.

Canon, de quo disserimus, his verbis constat : «Si quis dixerit »Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et »apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum

paulo ante inui, ut tota canonum ecclesiasticorum vis unice ab imperiali auctoritate penderet. Siquidem lex haec immutabilis est, ut quoties Ecclesia aliqua se a legitima subtrahit auctoritate, toties sub tyrannicam laicorum principum dominationem incidat, cuius rei praeter protestantium communiones, quas vocant, ineluctabile documentum est ecclesia Anglicana, quae effecta est vili mancipium laicae potestatis regis sive reginae, seu comitiorum.

Hoc vitium inhaeret iuri canonico Byzantino, ac ita illud inficit, ut merito illud vocaveris potius ius civile quam canonicum : hoc enim ab illo suam mutuatur obligandi vim. Cuius rei recens adhuc monumentum est *Promptuarium* seu Epitome iuris canonici Harmenopuli, quod obtinuit legis vim duobus decretis regis Othonis an. 1830. et 1835. atque tribunalibus Hellenicis inservire debet ad instar codicis civilis in quaestionibus dirimendis.

Abiecta haec ecclesiae Graecae servitus effecit, ut vel ipse protestans Bonefidius pronunciaverit : «Quae omnia si quis diligentius consideret, sane »imperii Romani, hoc est CP. interitum et eversionem admirari desinet.... »iusto Dei iudicio deletum est.»

Porro Rhalli collectionem suam, quam inscripsit : *Syntagma divinorum et sacrorum canonum* etc. nuncupavitque ecclesiae Hellenicae seu Photianae, incepit ex *Nomocanone* Photii cuius elogium texuit. Cf. *Univers.* 4. 17. et 23. Novemb. 1857.

Iam vero tum in legibus anteriorum imperatorum, tum in *Novellis* Iustiniani constitutum est, ut coniugium propter adulterii flagitium solveretur; cum autem hae leges partem constituerint iuris canonici Byzantini praesertim opera Photii, exinde factum est ut coeperit, invalueritque penes Graecos consuetudo hac de causa coniugia solvendi. Eu veram et unicam originem istius abusus contrarii doctrinae evangelicae et apostolicae, quem vera Christi Ecclesia iugitur reprobavit.

»matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel »etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, »altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moe»charique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, »quae dimisso adultero alii nupserit: anath. sit.»

Quamvis omnium manu trita sit huius canonis historia, ad clariorem eius nihilominus intelligentiam, faciliusque concilii mentem assequendam, atque ad praeposteras occupandas canonis interpretationes, cavillationesque amovendas, iuverit eam, prout refertur a card. Pallavicino hic subiicere.

«Canon quoque, scribit ipse, paratus fuerat cum anathemate, »in eum, qui diceret matrimonia consummata ob adulterium »dissolvi. Sed oratores Veneti, die undecimo Augusti, cum »ipsis posterior modulusostensus est, solemniter exposuerunt »conventui, veterem rempublicam semper coniunctissimam »fuisse apostolicae Sedi, et conciliis oecumenicis eius auctoritate »celebratis, pioque semper studio complexam ac veneratam »decreta sanctionesque inde profecta, utpote divinam gloriam, »animorum salutem, pacemque christianorum promoventia. »Verum ab eo, quod septimo canone parabatur, nisi modera»tione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offen»sionem Orientis ecclesiae, praesertim vero Venetorum insulis, »Cretae, Cypro, Coreyrae, Zacyntho, Cephaleniae, et aliis »multis, non solum cum publicae quietis, sed cum Ecclesiae »catholicae detrimento. Compertum esse Patribus tametsi Graeca »ecclesia a Romana ex parte dissentiret, non tamen eo despe»rationis deventum esse, ut meliora sperari non possent; prae»sertim cum Graeci in subiectis reipublicae locis degentes, »quamvis ritu suo viverent, tamen praesulibus a Rom. pontifice, »assumptis obtemperarent. Ea propter tum rerum convenientia, »tum oratorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti »sinerent eiusmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque »a Sede Apostolica secessionem provocarentur. Satis constare, »in more positum apud Graecos, ut uxorem adulteram deserant, »et aliam ducant, veterrimam maiorum consuetudinem, ut ipsi

»dicunt, secuti; nec idcirco illos damnatos, aut anathemate »perculsos fuisse ab ulla synodo oecumenica, etiamsi Romanae »et catholicae Ecclesiae huiusmodi mos liquido innotuisset. »Existimare igitur oratores sui esse muneris, quam efficacissime »possent, postulare, ut voces illae canonis adeo moderate leni»rentur, ne Graecis detrimentum inferrent, praesertim intentato »anathemate; quod dubium non erat confici posse, non solum »nulla parta ecclesiae catholicae indignitate, sed fortasse retenta »plurimorum doctorum reverentia. Posse, quantum ipsi re»bantur, et obtineri quod synodus intendebat, et reipublicae »satisfieri, canone eiusmodi verbis conflato: *Anathema sit, si »quis dixerit, sacrosanctam Romanam catholicam et apostolicam »ecclesiam, quae mater et magistra aliarum est, errasse vel »errare, cum docuit, et docet, propter adulterium alterius coniu»gum, matrimonium non posse dissolvi; nec utrumque, vel etiam »innocentem coniugem, qui causam adulterio non dedit, debere »novum matrimonium contrahere, moecharique eum, qui di»missa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero »alii nupserit.* Propterea rogari Patres ab oratoribus, ut vel »ea, vel alia meliori ratione, pro ipsorum prudentissimo arbi»tratu, vellent in eo gratificari serenissimae reipublicae, quae »semper sacrosanctae Sedi apostolicae obsecuta plene fuerat, et »erat observatura.»

«Hoc exemplar ab oratoribus propositum, videbatur alicui »ex ipsis, aut ex ipsorum consiliariis, notam haeresis haud »inusturum opinioni contrariae; sed vim dumtaxat habiturum »ad infligendum anathema temerariis in eo vituperatoribus »Ecclesiae, quae optimis nixa fundamentis eam doctrinam, »tametsi non tamquam fidei dogma, tradebat. Aliud fortasse »ab aliis considerabatur; nimirum, per eam sanctionem non »damnari tamquam haereticam sententiam oppositam, nisi posita »Ecclesiae auctoritate; et non quasi divinis litteris evidenter id »repugnaret: adeoque parci.... Graecorum nomini, donec illis »in comperto non esset, ab Ecclesia oppositum doceri; et donec »eius auctoritati contumaciter iidem haud refragarentur.»

«Postea cum super ea re sententiae dicerentur, Andreas »Cuesta, episcopus Legionensis, postulatnm reiecit, affirmans, »ab Ecclesia non usurpari eam damnandi formulam: *Si quis »dixerit, Ecclesiam errasse.* Hanc veritatem esse certam ac »firmatam in synodo Milevitana cap. 13. in sexta oecumenica, »et in Florentina; adduxitque ex Patribus Graecis Clementem »Alexandr. et Basilium: quod si quis ex aliis deerraverat, con»trarium opinatus, complures tamen eorum, qui adducebantur, »alio sensu locutos fuisse, quod ille palam fecit eorum dictis »expensis. Et sane creditum est, si Cuestae locus loquendi inter »primos obtigisset, sicut inter postremos debebatur in conventu, »tantum ab eo numerum asseclarum pertractum iri, quantus »ad refellendam petitionem satis fuisset. Verum reipsa plura »suffragia consenserant, ut oratoribus satisfieret.»

«In quo Suavis (Paulus Sarpius) duplici laborat vitio, »primo, quia describit Venetos non quidem supra allatam vocum »mutationem proponentes, sed quasi mutationem quamdam in »genere postulantes, qua Graecis consuleretur. Hinc vero au»dacior, progreditur ad carpendum concilium, quasi complexum »mutationem aëream, et utilitatis effectusque vacuam, dum »narrat, a plerisque non discerni quid inter priorem et poste»riorem formam interesset, rem tamen maiori Patrum numero »remissam. Sed non solum revera discrimen inerat, quamvis »subtilius, sed etiamsi non inesset, convenientius fuisset reipu»blicae satisfacere, eam mutationem petenti, ubi per eam merus »sonus, non autem significatio variaretur (32).» Hactenus historiographus.

Ex qua historia discimus, Tridentinorum Patrum mentem prius fuisse definire *directe* indissolutionem coniugalis vinculi in casu adulterii, deinde ad oratorum Venetorum expostulationem ac preces eamdem rem *indirecte* Patres definivisse. Satis vero pro concilii scopo veritatem de indissolubilitate vinculi interveniente adulterio definivisse. Scopus quippe concilii erat, eamdem adstruere adversus novatores sec. XVI. qui

(32) *Hist. conc. Trid.* lib. XXII. cap. IV. n. 27-30.

non solum contrarium docebant, verum etiam hac de causa impetebant Ecclesiae catholicae doctrinam, eamque tyrannidis incusabant et erroris. Neque tamen pepercit concilium Graecorum praxi, quae ei profecto perspecta erat, sed eam veluti evangelicae et apostolicae doctrinae contrariam traduxit. Ast cum Graeci nunquam hac de causa ecclesiam Romanam erroris arguerint, propriae consuetudinis contenti, ideirco concilium eos anathemate non perculit, prout perculit novatores. Atque exinde discimus discrimen, quod intercedit inter primam et secundam huius canonis formam; quod scilicet prior non solum novatores, sed Graecos etiam anathemate perculisset, posterior vero novatores tantum affecit, eadem in tuto permanente Ecclesiae doctrina. Mirum proinde esse debet, Paulum Sarpium eiusque asseclas discrimen hoc inter utrumque canonis exemplar non vidisse.

Quae cum ita sint, patet non solum canonem hunc esse dogmaticum, quatenus infallibilitatem Ecclesiae docentis adstruit, sed praeterea etiam dogmaticum esse, quatenus pro obiecto habet doctrinam evangelicam et apostolicam.

Quapropter a vero abludunt quotquot ex nova canonis forma a Tridentinis Patribus adoptata intulerunt aut inferunt, canonem hunc VII. mere disciplinarem esse, minime vero dogmaticum ac doctrinalem. Ad hanc sententiam post Paulum Sarpium, Launoius aliique recentiores neoterici maiori aut minori temeritate pro ratione diversa, quam consectati sunt in hoc canone expendendo, accesserunt.

Sarpius quidem, cum retulisset nonnullos Patres in contraria fuisse sententia, adiecit, concipi prorsus non posse, quanam ratione Ecclesia anathema minari potuerit iis, qui ipsius doctrinam erroris insimulant, quin simul opinionem huic Ecclesiae doctrinae adversam ut erroneam condemnaret; quod cum ecclesia non fecerit, sed observantiam Graecorum ultro dissimulaverit, absque haesitatione tenendum concludit, canone Tridentino nequaquam doctrinam enunciari (33). Apostata Cou-

(33) Apud Pallav. loc. cit.

rayerius, historiae eiusdem Sarpii in Gallicam linguam translator et postilator, sub specie solutionis cuiusdam dandae ad hanc difficultatem affirmavit, per canonem Tridentinum in priori forma praxim Graecorum damnatam, in posteriori autem forma toleratam ab Ecclesia fuisse. Cum vero fieri nequeat, ut Ecclesia opinionem, cui innititur Graecorum praxis tolerare posset, siquidem ea esset erronea, exinde concludit Courayerius, totam hanc de vinculi matrimonialis indissolubilitate questionem inter res mere disciplinares referendam esse (34).

Sic pariter Launoius quemadmodum caeteros canones II. III. IV. et XII. sic etiam VII. hunc canonem de indissolubilitate matrimonii in casu adulterii inter disciplinares accensuit, ita ut in Ecclesiae potestate sit disciplinam hoc in canone sancitam pro ratione temporis immutare (35).

Horum vestigiis inhaerens I. A. Braun, ex historia canonis satis constare ait Tridentinos in animo non habuisse ceu fidei dogma proponere, quo matrimonium etiam in fornicationis casu insolubile, sit, nec habuisse in animo anathemate, Graecos aliosque alioquin catholicos percellere, qui contenderant matrimonium dissolvi, adveniente adulterii casu, sed Lutheranos et Calvinistas, qui Ecclesiae doctrinae censuram inusserant, asserentes eam esse erroneam et tyrannicam. Deinde pluribus prosequitur canonem Tridentinum esse disciplinarem, eo quod indissolubilitas matrimonii nequaquam sit ab Ecclesia proposita, et a Deo per auctores canonicos formaliter revelata; et quod veritas haec in Ecclesia non sit constanter tradita, desintque characteres dogmaticae propositionis; demum concludit: «Pro »regula generali, ex qua si leges aut praxes, etiam apostolicae, »aliquando cessarunt, aut etiam variarunt in variis Ecclesiis, »eae disciplinares sunt, canonem quoque Tridentinum nonnisi »disciplinarem esse (36).»

(34) *Hist. du concil. de Trente.* Amsterdam 1750. tom. III. p. 92.

(35) *Regia in matr. potest.* opp. cit. ed. tom. I. part. II. pag. 825-858.

(36) *Dissertat. utrum matrimonii vinculum et in casu adulterii alterius coniugum iure divino, an solum iure ecclesiastico insolubile sit.*

Anonymus vero auctor operis *De potestate Ecclesiae in matrimonium et de indissolubilitate matrimonii* an. 1791. vulgati, ex historia, quam retulit, de mutata canonis forma concludit, mirandum non esse, quod canon, qui politicis magis, quam ecclesiasticis auspiciis natus sit, in ea forma conditus fuerit, quae cum dignitate Ecclesiae parum conciliari possit, quippe quae contrariam doctrinam non damnaverit; nec superesse aliud, quam ut verba canonis : *cum docuit et docet,* conditionate supponantur hoc sensu : Ecclesiam non errare, *si* docuerit, et actu doceat; secus Patres Tridentinos historicum errorem commisisse sequeretur, utpote qui existimaverint doctrinam de indissolubilitate matrimonii pro casu adulterii per canonem VII. conc. Tridentini sess. XXIV. propositam iam antea ab Ecclesia declaratam fuisse, cum tamen id factum haud fuerit(37). Ita nonnulli serio nugantur!

Ast neque hic stetit Io. Iosephus Batz, qui cum Launoio tum canones reliquos nuper commemoratos, tum canonem hunc VII. disciplinares esse affirmat; sed dato etiam et non concesso, eiusmodi canonem doctrinalem esse, inquirendum adhuc esse ait, an non synodus canonem hunc condendo, limites potestatis suae excesserit? Cum, ut ipse ait, pro doctrina evangelica et apostolica ea solum veritas Scripturae sac. haberi possit, quam Patres Ecclesiae unanimi consensu pro tali habent : id quod de indissolubilitate matrimonii praedicari nequit (38).

Omitto Socherum, qui arbitratur, totam hanc quaestionem

Moguntiae 1787. apud Bintherim, *Collectio dissert. sing. de matrimonio. Dusseldorfii* 1807. pag. 83 seqq. adversus quem Conf. Polychronium Gossmann, *Dissertatio biblico-critica de eo quod in casu adulterii coniugis circa vinculum matrimonii ex lege divina iustum est.* Apud Bintherim loc. cit. pag. 144 seq. et Iacobi op. cit. *Indissolubilitas vinculi matrimonialis demonstrata ex iure naturali et positivo divino.* Moguntiae 1788. p. 134 seqq. Cf. Roskovany op. cit. *De matr.* tom. II. pag. 344. seq.

(37) Apud Roskovàny ibid.

(38) In op. germ. *Harmonia legum civilium Bavariae divortialium cum sac. Scriptura et traditione.* Ibid. pag. 345.

non fidei, sed *legislativae prudentiae* esse obiectum, et canonem Tridentinum immediate nonnisi *defensivum* esse adversus calumniam protestantium, mediate autem *permissivum* relate ad Graecos (39). Silentio etiam praetereo, auctorem dissertationis de divortiis in Bavaria, qui autumat hoc canone Ecclesiam illis tantum anathema dixisse, qui matrimonium in casu adulterii *proprio motu* dissolvi posse assererent (40). Et ita porro alios praetermitto affirmantes, aut Ecclesiam veritatem hanc nunquam posse ad dogmatis dignitatem evehere (41); aut posse Graecos iuxta ac Latinos in suo sensu abundare (42); aut ius solvendi matrimonia ad iura maiestatica civilis imperii esse referendum (43); aut Patribus Tridentinis ignotum esse non potuisse traditionem in hoc capite nimis vacillantem esse (44), aliaque id genus multa, quae vel referre taedet.

His itaque audacibus, imo et temerariis concilii Tridentini censoribus et corruptoribus dimissis, qui irrito conatu adnisi sunt vim huius canonis extenuare et eludere, ut eumdem praeiudicatis suis placitis accommodarent, reliquum est, ut paucis quidnam de eius natura catholico sensu censendum sit, et quaenam sint ex eo deducenda consectaria expromamus.

Itaque primo, nemo vere catholicus umquam dicet canonem VII. esse *disciplinarem*, seu habere pro obiecto meram disciplinam mutationi obnoxiam. Id enim repugnat scopo quem sibi Tridentina synodus proposuit, ut ipsa praefata est, insigniores impiorum hominum *haereses et errores externandi* et anathema-

(39) Ibid. p. 346. seqq. qui observat, vel ab ipsis protestantibus opinionem Socheri censura perstrictam fuisse : quod non semel quibusdam neotericis contingit, ut a protestantibus vapulent, qui tamen catholici, saltem nomine audiunt.

(40) Ibid. pag. 347.

(41) Ibid. auctor libelli *De divortiis* typis Neustadiensibus editi 1826. p. 35.

(42) Ita post Van Espen, Eybel Braun, Pehem sentit Bernard. Saur ibid.

(43) Ita auct. *Disquis. de indissol. matr.* Rotwilae ed. 1832. Cf. *Folia sincera de reb. theol. et eccles.* p. 349. ibid.

(44) Uti Th. Dolliner canonista Austriacus in op. germ. *Diffusa explicatio secundi capitis general. cod. civilis* part. II. Vienn. 1835. pag. 5. 6.

tismis plectendi (45); repugnat praeterea ipsius canonis verbis, quibus anathema decernitur in eos, *qui dixerint Ecclesiam errare cum docuit et docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonium non posse dissolvi.* Si igitur de doctrina et quidem evangelica et apostolica agitur, seu de doctrina quam Ecclesia accepit a Christo et ab Apostolo, et vi cuius decernit, propter adulterium matrimonii vinculum non posse dissolvi, quomodo affirmari potest in eo canone agi de re disciplinari ac libera, aut saltem mutationi obnoxia, quasi nempe Ecclesia doctrinam Christi et Apostoli immutare posset? Hoc dicere impium sane est. Denique repugnat ipsi historiae canonis, iuxta quam constat in prima forma anathema directe inflictum fuisse in eos, qui dicerent matrimonia consummata ob adulterium posse dissolvi.

Immo dicimus canonem hunc non modo doctrinalem, verum etiam esse *dogmaticum*, qui scilicet adstruit fidei dogma ab omnibus fidelibus firmiter tenendum et profitendum; ita tamen ut obiectum directum huius dogmatis sit inerrantia Ecclesiae in indissolubilitate matrimonialis vinculi in adulterii casu docenda; indirectum autem sit indissolubilitas ipsa, quam Ecclesia docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam. Quocirca qui Ecclesiam circa hunc articulum erroris incusat est *haereticus*, atque in anathema incurrit; qui vero contrariam doctrinam tenet saltem in errore versatur haeresi proximo.

Exinde infertur, ut supra diximus, insigne quod intercedit discrimen inter priorem ac posteriorem huius canonis formam; nam iuxta priorem uno eodemque anathemate obvoluti essent tum novatores tum Graeci; per posteriorem autem soli novatores, qui dicunt Ecclesiam hoc in articulo errare, anathemate feriuntur; non vero Graeci, qui licet contrarium sentiant, attamen cum erroris Ecclesiam non arguant, ab hoc anathemate sunt immunes.

Sed si ab anathemate Graeci divellentes connubium immunes evaserunt ob formae prioris mutationem, non ideo post tam

(45) In praemissa *Doctrina de sacramento matrimonii* sess. XXIV.

solemnem concilii Tridentini sanctionem immunes censeri possunt a nota temeritatis et erroris in doctrina, et gravis culpae in praxi. Siquidem universam obligant Ecclesiam decreta concilii Oecumenici, praesertim doctrinalia et dogmatica, cuiusmodi can. VII. esse ostendimus. Quapropter, etsi forte ante huius canonis promulgationem quodammodo in sua praxi excusari posse videantur, certe postquam concilium Tridentinum hanc suam definitionem emisit, qua luculenter adeo edixit indissolubilitatem vinculi coniugalis in casu adulterii affirmari iuxta doctrinam evangelicam et apostolicam, excusari non amplius possunt. Nam sicut doctrina evangelica et apostolica non potest non esse vera, ita doctrina opposita non potest non esse falsa et erronea, et qui iuxta hanc operantur, nequeunt se a gravi culpa subducere. Graviter igitur peccant Graeci, quoties dissolvunt coniugia, nisi ignorantia invincibili detineantur, et novum, quod contrahunt, matrimonium ob impedimentum ligaminis nullum ac irritum est. Neque eos excusat inveterata consuetudo, quae evangelicae et apostolicae doctrinae opponitur, ac proinde non est censenda nisi inveteratus abusus, quem Ecclesia praesertim post conc. Tridentinum nullo modo tolerat, imo nec tolerare potest.

Idque intellectum volumus sive proprio motu, nempe privato arbitrio, sive publico etiam iudicio cognita causa a tribunali ecclesiastico aut civili ac lata sententia, matrimonium dissolvatur. Si porro agatur de Graecis schismaticis, Ecclesia catholica eiusmodi divortia de facto impedire non potest, prout et alia, quae contra fas et ius fiunt in communione separata et acatholica, sed non ideo tamen ea probat, sed quantum in se est, improbat et condemnat. Si vero sermo sit de Graecis unitis, cum ipsi profiteantur, se, non secus ac reliqui catholici omnes, obsequi canoni Tridentino atque constitutionibus pontificiis, praesertim quae pro obiecto habent fidem et mores, profecto nulla ratione a gravi culpa excusari poterunt, nisi illorum praescriptionibus se conforment.

Ex his pronum est inferre, quid sentiendum sit de praxi,

quam auctor de re sacramentaria viguisse scribit inter Graecos Latinis etiam episcopis subiectos. Profert hic auctor in provinciis et dioecesibus, ubi Graeci Latinis admixti sunt, et proprias habent ecclesias, a Latinis episcopis, quibus subiiciuntur, nihil ordinatum reperiri contra antiquam illam, quam hactenus retinuerunt, matrimonia propter adulterium dirimendi consuetudinem, ac in synodicis tantum constitutionibus cautum esse, ne mariti auctoritate propria nullaque praemissa forma iudicii uxores adulterii praetextu dimitterent, et novis deinceps uxoribus iungerentur. In cuius rei confirmationem refert card. Montaltum, Montis Regalis in Sicilia archiepiscopum, in synodo provinciali an. 1652. habita hoc tantum de Graecorum matrimoniis decrevisse: «Tam facile dirimi inter coniuges Graecos matri»monia approbare nullo modo debemus: ideoque *hac usque* »*factas separationes quoad vinculum extraiudiciatiter et auctoritate propria nullas fuisse* declaramus (46).» Haec ipsa ex hoc auctore refert Collet atque approbare videtur (47). At nos quamvis haec verissime ab hoc auctore historice relata existimemus, nulla ratione probare possumus.

Quominus enim nos huic praxi, hisque synodalibus sanctionibus episcoporum Latinorum, in quorum provinciis seu dioecesibus Graeci degunt, assentiamur, plura sunt quae obstant. Ac 1. obstat sanctio Tridentina, quae definivit ac declaravit, non posse dissolvi matrimonia propter adulterium iuxta doctrinam evangelicam et apostolicam; adeoque nisi dicere velimus, Ecclesiam universalem pati posse, ut contra doctrinam evangelicam et apostolicam matrimonia post legalem adulterii probationem dirimantur, et alia incantur, profecto reiicianmus necesse est eiusmodi distinctionem inter divortia facta propria seu privata auctoritate, et divortia, quae fiant post iuridicam adulterii probationem latamque a civili aut ecclesiastica auctoritate sententiam: haec enim rei substantiam nullatenus immutant.

(46) Drouin lib. IX. c. IX. §. 2. pag. 452. ed. Venet.

(47) Tom. VIII. *De sacr. matrim.* c. V. art. 3. n. 317.

Alioquin admittere deberemus, quod paulo ante citatus auctor dissertationis *De divortiis* in Bavaria effutiit, Ecclesiam tantum illis anathema hoc canone VII. dixisse, qui matrimonium in casu adulterii *proprio motu* dissolvi posse assererent. Hoc vero quantum a vero abludat, nemo catholicorum est, qui non videat. In iis enim, quae sunt contra doctrinam evangelicam et apostolicam, seu contra veritatem divinitus revelatam, nulla fieri potest transactio.

2. Obstat constitutio Clementis VIII. qui praecipit episcopis Latinis, in quorum dioecesibus Graeci suas habent ecclesias suosque ritus servant, ut inter coniuges Graecos matrimonia dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri *nullo modo* permittant aut patiantur, et si qua de facto praecesserint, ea nulla et irrita declarent. Porro si *nullo modo*, ergo neque proprio motu, neque legali sententia disiungi ob adulterium quoad vinculum matrimonia possunt. Si qui proinde episcopi suis synodicis sanctionibus id unum caverunt, ne mariti auctoritate propria, nullaque praemissa sententia, aut forma iudicii uxores adulterii praetextu dimitterent, et novis deinceps uxoribus iungerentur, prout praestitit archiepiscopus Monsregalensis, ab officio desciverunt, et a mente summi pontificis, qui contrarium omnino constituit. Ipse nullam omnino distinctionem inter privatam et publicam auctoritatem admisit, immo vero quamcumque distinctionem penitus exclusit dicens : *nullo modo*.

3. Obstat fidei formula ab Urbano VIII. omnibus qui ex schismate ad unitatem se recipere vellent, proposita, et a Benedicto XIV. confirmata et renovata, vi cuius Graeci profitentur matrimonii *vinculum indissolubile esse*, et quamvis propter adulterium, haeresim aut alias causas possit inter coniuges tori et habitationis separatio fieri, tamen illis aliud matrimonium contrahere fas non esse. Iamvero si qui accedere cupiunt ad Ecclesiae catholicae unitatem, tenentur ita sentire et profiteri, adeo ut sine eiusmodi professione illis aditus ad unionem catholicam nullimode pateat : dicendum ne erit id illis posse permitti, qui iam in Ecclesiae catholicae communione et unitate repe-

riuntur? Quis sanus id vel cogitare potest? Praesertim cum haec eadem fidei professio identidem, nempe in actis solemnioribus, a Graecis unitis fieri debeat?

4. Obstat sac. congregationis Concilii, et SS. Inquisitionis decretum, quo negatum est posse quempiam propter adulterium uxorem iuridice criminis convictam et confessam deserere, ita ut liceat novum celebrare coniugium, quamvis Graeca synodus contrariam sententiam emiserit. Hic porro est casus illis identicus, in quibus card. Montaltius, archiepiscopus Montis Regalis in Sicilia, indulgere vinculi dissolutionem visus est.

Atque ut rem totam paucis concludamus, si Graeci uniti catholici sunt, debent omnibus concilii oecumenici et Romanorum pontificum sanctionibus obtemperare. Porro ut ex allatis documentis patet, non solum fidelibus quibuscumque vetitum est quoad vinculum in adulterii casu coniugium dissolvere, sed praeterea declarantur expresse irrita ac nulla, si qua post separationem coniugia contrahantur. Qui proinde hoc attentaverint, quicumque demum illi sint, sive Graeci sive Latini, polygamiae simultaneae rei constituuntur.

Quapropter cum vulgo dicitur Ecclesiam in Graecis eiusmodi divortia tolerare, intelligi id debet *negative*, quatenus patitur quod impedire non potest, prout se gerit relate ad alia peccata, quibus filii eius contra ipsius voluntatem se commaculant, reosque efficiunt. Haec facinora impedire pro viribus munus est praepositorum sive episcoporum, qui omni ratione satagere debent, ut concilii de matrimonio doctrina in praxim deducatur. Quod si ipsi negligentius agant et abusus ex eorum incuria et conniventia irrepant, eorumdem oneratur conscientia. Et haec hactenus.

CAPUT V.

De solutione imperfecta matrimonii christiani seu de separatione inter coniuges quoad torum et cohabitationem.

ARTICULUS I. — Concilii Tridentini doctrina de separatione quoad torum et cohabitationem plures ob causas, manente vinculo, exponitur et vindicatur.

Quo protestantes faciliores se praebent ad dirimenda coniugia quoad vinculum, eo difficiliores se exhibent in admittenda eorumdem dissolutione quoad torum tantum et habitationem. Quae quidem agendi ratio sibi cohaeret; quid enim refert dissolvere coniugia quoad torum et cohabitationem, quando longe facilior ipsis suppetit via se ab inviso coniuge liberandi, aliumque praeterea eligendi per diremptionem plenam ipsius vinculi? Hanc eamdem viam facile adoptant quotquot increduli ab Ecclesiae instituto desciscunt, ut liberius vivant (1).

Etsi promiscue usurpari consueverint voces *repudii* ac *divortii*, diversa tamen earumdem acceptio est iuris peritis atque theologis. Siquidem iurisperiti repudium vocant dimissionem sponsae, interdum etiam uxoris; divortium autem dimissionem solius uxoris post matrimonium sive quoad torum, sive quoad vinculum (2). Eadem apud canonistas iisdem verbis significatio inhaesit, qui proinde sub eodem titulo *De divortiis* agunt de dissolutione matrimonii tum quoad vinculum, tum quoad torum et cohabitationem. Penes theologos vero usus plerumque obtinuit, ut proprie solutio quoad torum dicatur divortium,

(1) Sic constitutum fuit in Galliis lege lata 20. septemb. 1792 quae admittebat quidem divortium, non autem separationem, vinculo permanente. In codice porro civili utrumque conceditur, ut nimirum fieri possit separatio ab iis, qui divortium putant illicitum, ut sic uniuscuiusque conscientiae prospiceretur. Cf. *Rapport de iurisprudence.* In art. *Separation de corps,* tom. XVI. p. 32.

(2) Cuius significationis exempla suppetunt in L. *Inter stuprum,* et in L. *Inter divortium* ff. de *verbor.* Cf. *Iuris-civilis* indicem tom. VI. al. VII. Lugduni 1612. ubi inter caetera ad verb. *Divortium* dicitur : « *Divortium* » proprie dicitur inter coniuges, *repudium* vero inter sponsos; nonnunquam » tamen confunduntur. q. 2. in L. *Quod servus, de conditione causa data* etc.»

repudium autem dissolutio quoad vinculum. Attamen etiam apud ipsos hae voces promiscue pro utraque separatione adhibentur.

Sic pariter passim sub una veluti formula enunciatur separatio coniugum *quoad torum et quoad cohabitationem;* magnum tamen inter duo haec interponitur discrimen. Nam separatio quoad torum privatim fieri potest propria auctoritate, mutuoque consensu, eo ipso quod res est prorsus privata; contra vero diremptio quoad habitationem passim fieri nequit, tum quod publica sit, et in omnium oculos incurrat, tum quod scandalum quoque praebere soleat, non privata auctoritate, sed Ecclesiae iudicio fieri debet, prout sancitum est in iure canonico cap. *Porro de divortiis* (3). Cum autem separatio quoad cohabitationem necessario includat etiam separationem quoad torum, eumque re duo haec coniungantur, et iisdem pene argumentis adstruantur, passim etiam una eademque composita formula enunciantur.

Caeterum ob varias causas eiusmodi separationem fieri licite posse sancivit conc. Tridentinum adversus novatores can. VIII. «Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas sepa»rationem inter coniuges quoad torum, seu quoad cohabitatio»nem, ad certum, incertumque tempus fieri posse decernit; »anathema sit.»

Concilium quidem *multas* hasce causas, ob quas divortium eiusmodi fieri potest ex Ecclesiae doctrina, non enumeravit; verum unanimi theologorum consensu ex Ecclesiae decretis et praxi potissimum deducto variae hae causae ad duas revocari solent genericas, quae plures alias sub se complectuntur. Sunt

(3) Sic enim se habet hoc decretum: «Porro de comite Pontini, qui B. »uxorem suam absque iudicio Ecclesiae dimisit, quia eam cognatam fuisse »uxoris defunctae proponit; prudentia tua cognoscat, quod si etiam parentela »esset publica et notoria, absque iudicio Ecclesiae ab ea separari non potuit.» Ed. Pithoei *Decret. Gregorii IX.* Paris 1687. tom. II. p. 220.

Cf. tamen Ferraris in *Biblioth. canon.* ad litt. *De divortiis* n. 20 seqq. Cf. etiam titulum *Decretal. de divortiis* ubi nonnullos casus exceptionales invenies.

autem consensus mutuus, et crimen; et utraque sac. Scripturarum auctoritate et traditione innititur.

Ex mutuo consensu possunt coniuges propter maiorem perfectionem et altiorem statum se ab invicem separare ad caelibatum profitendum voto perpetuo, ac professione religiosa. Quae quidem agendi ratio conformis est Christi doctrinae apud Matth. XIX. 29. «Omnis qui reliquerit domum . . . aut uxo»rem aut filios etc. centuplum accipiet et vitam aeternam possi»debit.» Non temere aut inconsulto id fieri debere per se quisque videt. Sic illicite id fieret, quamdiu proles adhuc instituenda est, et parentum cura ac sollicitudine indiget, nec in tuto satis est posita. Nunquam enim evangelica consilia homines liberant ab officiis, quibus ex lege naturali ac divina obstringuntur, neque Ecclesia unquam hisce in casibus eiusmodi probaret separationem ad religiosum statum profitendum. Quod vero attinet ad simplicem separationem a toro, de qua coniuges inter se conveniunt maioris perfectionis gratia, nihil obstat, dummodo incontinentiae periculum aliud non suadeat. Utriusque separationis exempla in annalibus ecclesiasticis suppetunt; nota sunt omnibus exempla S. Pulcheriae et Marciani; S. Melaniae iunioris et Piniani; Aproniani et Avitae; S. Birgittae et Ulfonis, ut alia pene innumera eiusmodi exempla, quibus iugiter splenduit Ecclesia Dei, tacitus praeteream. Constans porro haec agendi ratio satis patefacit, quinam sensus Ecclesiae hac de re fuerit.

Sine consensu vero alterius partis, immo etiam ea repugnante, potest matrimonium quoad torum convictumque dirimi ob crimen; idque triplex, nempe ob adulterium alterius coniugis; ob apostasiam a vera religione sive per infidelitatem sive per haeresim, quae infidelitatis est species; ac ob inductionem sive seductionem ad peccatum.

Circa adulterii crimen nulla potest esse contentio, cum aperta sint Christi verba in utroque Matthaei textu, scilicet V. 32. et XIX. 9. quibus denunciat Dominus noster, reum esse, quicumque dimiserit uxorem suam, *excepta fornicationis causa*,

aut *nisi ob fornicationem*. Igitur hac interveniente causa fornicationis sive adulterii immunis erit a crimine, qui coniugem dimiserit. Nam cum ex superius demonstratis, eiusmodi separatio fieri non possit quoad vinculum, restat proinde, ut fieri queat quoad torum et cohabitationem; atque ita semper servatum est in Ecclesia Dei, in qua, uti videbimus, plura hac de re fuerunt constituta.

Verumtamen ius istud non adest, aut etiam amittitur in nonnullis casibus. Illicitum scilicet fit divortium, si fornicatio sine crimine esse contingat, ac mere materialis sit, ut cum mulier vim passa est, aut per errorem se illi commiscuit, quem virum suum esse putavit. Nam cum divortium sit poena, si nulla praecesserit culpa, poena locum habere nequit. Illicitum praeterea fit, si uterque coniux eodem crimine teneatur, prout in iure canonico sancitum est ab Alexandro III. et Innocentio III. (4). Fit item illegitimum, si post cognitum adulterium coniugis, cum ea se copulaverit; censetur enim hoc in casu crimen fuisse condonatum. Demum si auctor fuit coniugi ut fornicaretur. Res per se patet, ac theologi omnes hac in re uno ore consentiunt (5).

Aliqua agitatur quaestio circa significationem vocis *adulterii;* num scilicet ad divortium licite faciendum requiratur adulterium presse sumptum, an vero sufficiat aliud quodcumque immane facinus adversus matrimonii honestatem, quodque sub generali hac adulterii denominatione comprehendi potest; seu ut alii

(4) Ab Alex. III. lib. V. Decret. tit. XIX. *De divortiis* c. 2. *Quaesivit a nobis* et c. 5. *ex litteris*. Et ab Innoc. III. tit. XVI. *De adulteriis et stupro* c. 6. *Intelleximus*, et c. 7. *Tua fraternitas*, in quo posteriori capitulo haec leguntur: «Tua fraternitas requisivit, utrum aliquo deneganti uxori suae in »adulterio deprehensae debitum coniugale, si postmodum ipse cum alia per»petret adulterium manifeste, cogi debeat, ut eamdem maritali affectione per»tractet, super quo resp. quod cum paria crimina compensatione deleantur, »vir huiusmodi fornicationis obtentu suae uxoris nequit consortium de»clinare.»

(5). Quotquot nempe commentarios ediderunt in lib. IV. *Sentent. dist.* 31. et qui deinceps eos sunt secuti.

quaestionem proponunt, quaeritur num adulterii nomen debeat sumi *grammaticae* de commixtione viri coniugati cum muliere sive soluta sive coniugio obstricta, an vero etiam *logice* sive ampliori significatione de quovis carnali flagitio, fornicatione seu adulterio quandoque peiori.

Controversia haec est satis antiqua, in qua ancipites se interdum veteres Patres ostenderunt. Sane S. Augustinus scribit : « Sed si non omnis fornicatio etiam *moechia* dici potest, ubi sit » in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri, qui » uxores non habent, cum foeminis, quae maritum non habent, » utrum inveniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intel- » ligitur omnis illicita usurpatio rei alienae, (non enim rapinam » permisit, qui furtum prohibuit, sed utique a parte totum in- » telligi voluit, quidquid rerum proximi aufertur), profecto et » nomine moechiae omnis illicitus concubitus atque illorum » membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi » (6) » Sic etiam S. Hieronymus scribens ad Amandum presbyterum haec habet : « Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet » sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore *prop-* » *ter haec scelera derelictus*, maritus eius reputatur, cui alte- » rum virum accipere non licet (7). » Quibus verbis, ut patet, S. Doctor non ob solum adulterium presse sumptum, sed ob alia flagitia quoad torum mensamque ab uxore maritum deseri posse, supponere videtur, adeoque sub fornicationis seu moechiae nomine caetera crimina comprehendi, quibus legitime coniugium dissolvi possit.

Non minus perspicue id ipsum S. Isidorus Hispalensis tradere videtur dum ait : « Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, » quamvis quisque diversa turpitudinis voluptate prostituatur. » Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus » et regnum Dei clauditur, et homo a Deo separatur (8). » Et alii passim.

(6) *Quaest in exod.* quaest. LXXI. n. 4.

(7) Ed. Vallars. ep. LV. al. CXLVII. n. 5.

(8) Lib. II. *Sententiar.* seu *De summo bono*, cap. XXXIX. n. 19, Opp. ed. Arevali. Romae 1802. tom. VI. p. 245.

Verum vix dubitare fas est, in substrata materia adulterii vocem rigoroso sensu esse accipiendam, non autem pro qualibet turpitudine. Etenim ubi agitur de poena gravissima infligenda, qualis aestimatur separatio ab altero coniuge, lex debet esse conceptis verbis expressa; iam vero coniugis fornicatio, seu moechia tam in Scripturis, quam in ecclesiasticis legibus ad separationem inducendam ab altero coniuge, seu ad divortium faciendum expresse memoratur; non autem aliud quodlibet peccatum, quod fornicatione aut moechia deterius aut deformius sit.

De Scriptura nihil attinet dicere post commemoratos Matthaei textus. Patrum vero et conciliorum profert Gratianus testimonia in Decreti p. II. causa XXXII. q. VII. cap. 12. et deinceps, in quibus recensentur turpitudines adulterio graviores; attamen nonnisi adulterium uti legitima causa separationis inter coniuges memoratur (9). Exemplo sit. S. Augustinus, qui lib. I. *De coniugiis adulterinis* adeo insistit, ut evincat, post dimissionem uxoris ob fornicationis causam, non licere viro absque adulterii piaculo alteri adhaerere; ac proinde veluti pro certo sumere videtur ob adulterium et quidem solum posse a coniuge quoad torum convictumque legitime separari. Inter caetera describam. quae habet S. Doctor cap. IX. ubi, quum sibi obiecisset Pollentii difficultatem ex eo petitam, quod Dominus non generaliter dixerit reum adulterii fieri, qui uxorem dimiserit et aliam duxerit, sed interposuerit causam fornicationis, et eidem occurrit: « Credo, quod illud quod maius est, hoc Dominus commemorare » voluit. Maius enim adulterium esse quis negat, uxore non

(9) Sic in cap. 12. *Offerebat sanctus Loth*. c. 13. *Flagitia, quae sunt contra natur*. cap. 14. *Usus naturalis*. Et in quaest. I. c. 3. allegatur S. Hieronym. qui expresse: « In coniugio, inquit, quis positus, quaecumque peccata fecerit, » non propriam infuscat coniugem, *sed fornicatio uxorem coinquinat*: ut iam » non sit viro suo licita, sed quasi adultera etc. » Verum textus hic apocryphus desumptus est ex comment. in epist. II. ad Corinth. c. 3. qui tribuuntur haeretico Pelagio. Cf. Admon. praeviam his comment. Vallarsii in app. ad op. S. Hieronymi tom. XI.

» fornicante non dimissa alteram ducere, quam si fornicantem » quisque dimiserit, et tunc alteram duxerit? Non quia et hoc » adulterium non est; sed quia minus est, ubi fornicante di- » missa altera ducitur (10). » Quod fuse deinde prosequitur.

Item S. Hieronymus in Matth. XIX. in illa verba : *Quicumque* etc. scribit : « *Sola fornicatio est*, quae uxoris vincat affec- » tum : immo cum illa unam carnem in aliam diviserit, et se » fornicatione separaverit a marito, non debet teneri ; ne virum » quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura : *Qui adulte-* » *ram tenet, stultus et impius est*. Ubiquumque est igitur for- » nicatio, et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et » quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, » et ob secundam copulam nuptiarum, veteri crimen impin- » geret, sic priorem dimittere iubetur uxorem, ut secundam, » prima vivente, non habeat (11). » Alia eiusmodi testimonia, cum nota sint, praetermitto.

His addenda est Ecclesiae et ecclesiastici fori consuetudo; nunquam enim ad obtinendam separationem ad forum ecclesiasticum accusationes deferuntur caeterorum criminum, prout deferri iugiter solent accusationes adulterii, cum vel certa argumenta vel gravissimae suspiciones et coniecturae ad evincendum fornicationis flagitium alterutrius coniugis suppetunt. Concludamus idcirco oportet adulterii nomine in re, qua de agitur, pressa significatione venire coniugalis thalami violationem per congressum cum extraneo vel extranea, eamque in genere suo completam (12). Atque ex his germana mens intelligitur textuum, qui allati antea sunt ex SS. Augustino, Hieronymo et Isidoro, qui certe noluerunt adulterio paria facere recensita flagitia, uti ex adductis eorum verbis planum fit.

Verum ut redeamus ad id, unde discessimus, aliud crimen

(10) Opp. ed. Maur. tom. VI. col. 391 seq.

(11) *Comment.* in cap. XIX. Matth. v. 9. ed. Vallars. tom. VII. col. 145 seq.

(12) Cf. Trombellium *De matr.* dissert. VI. c. X. q. I. Bonon. 1781. tom. II. pag. 45.

ob quod separatio fieri potest inter coniuges, est apostasia a vera religione, seu a catholica Ecclesia, quae contingere potest tum infidelitatis tum haeresis professione. Idque potissime locum habet, cum instat perversionis periculum; quamquam separare se coniuges possint etiam, ut horrorem significent adeo immanis facinoris(13). Sane non desunt in historia ecclesiastica praeclara exempla sanctarum mulierum, quae se a societate apostatarum subtraxerunt, earumque pia agendi ratio non semel salutaris maxime fuit viris ipsis, qui resipiscentes non modo ad meliorem frugem revocati sunt, verum etiam gloriosi martyres evaserunt (14). Qua de re luculentum habemus Apostoli monitum ad Titum III. 10. « Haereticum hominem post unam et secundam correptio- » nem devita. » Quibus verbis Apostolus omnes prorsus complectitur, nulla parentum aut uxoris exceptione facta. Eodem quoque sensu intelligi debet Christi sententia Luc. XIV. 26. « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem... non potest meus esse discipulus. »

Tertia denique causa dissociandi coniugium est, si alter coniugum alterum ad peccatum impellat; quod fieri multiplici ratione consuevit, verbis, exemplo, seductione, minis etc. ita ut cohabitatio proximum sit Dei offendendi periculum. Huc spectat illud Christi Domini effatum Matth. XVIII. 9. « Si oculus tuus » scandalizat te, erue eum et proiice abs te. » Quae verba

(13) In his habenda est ratio temporum, locorum ac personarum Nam nunc receptum est passim in Galliis praesertim ac in Germania et Austria, ut matrimonia mixta celebrentur, et si cum debita facultate, servatisque conditionibus id fiat, licite fit. Si igitur licite contrahi coniugium potest cum haereticis, cum iisdem licite cohabitare coniuges catholici possunt post haereseos crimen, prout revera in illis regionibus et alibi fieri consuevit nemine repugnante.

(14) Inter caeteros exemplo sit S. Iacobus Persa cognomento *intercisus* ob crudele quod in membris singulis corporis sui martyrium sustinuit. Hic quamvis ex christianis genitoribus progenitus, in regis gratiam non dubitavit soli et igni cultum exhibere; qua de causa eius mater et uxor ingenti affectae moestitia ac dolore percitae se ab eius contubernio subtraxerunt eumque gravibus litteris de errore obiurgarunt; quibus ille permotus ac in se reversus ad quaelibet perferenda se regi obtulit. De quo praeter Baronium Cf. *Menologium Graecum*. Urbini 1726. par. I. p. 215.

commentario suo illustrans S. Hieronymus docet hanc esse Domini sententiam, ut si ii, qui nobis coniunctissimi sunt et chari oculorum instar, ut parentes, filii, uxor, causa sint ruinae, ab iis recedamus. Nota pariter sunt S. Gregorii M. verba : « Ut » uxorem et qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, et quos » proximos novimus, diligamus; et quos adversarios in via Dei » patimur, odiendo et fugiendo nesciamus (15). » Et sane nihil in hoc mundo est, quod cum Dei honore ac animi nostri salute possit conferri; nuncium omnibus mundanis rebus potius remittere debemus, quam animae detrimentum in negotio salutis aeternae patiamur.

Libet hoc concludere argumentum verbis Estii, quae haec sunt : « Ac de crimine quidem fornicationis iam diximus... De aliis » autem criminibus, cuiusmodi sunt impietas, apostasia, haeresis, latrocinium, sacrilegium et similia generaliter annotandum, non esse licitum cuiquam propter has causas dimittere » a se coniugem eo modo, quo dimittitur causa fornicationis, id » est, perpetuum cum eo divortium facere, ac iure petendi debiti » simpliciter privare; cum Christus de hac re praecipiens solam » exceperit fornicationem... quia per hoc solum crimen, iuxta » significationem eius supra expositam, amittitur ius potestatis » coniugalis sic, ut innocenti liberum sit facto divortio vovere » Deo perpetuam continentiam, imo et ad religionem transire ; » quod facere ei non licet facta dimissione propter alia crimina. » Verumtamen licebit dimittere coniugem haereticum, vel alias » impium, aut faenorosum, aut saevum, si ab eo, vel ipsi » coniugi, vel liberis immineat periculum, aliquod animae aut » corporis, ut si sit periculum ne eius haeresi, aut impietate, aut » sceleratis moribus inquinentur et ad peccatum pertrahantur, » vel ne ab eo interficiantur. Sed haec separatio fit tantum iure, » ac via *defensionis*, non autem *iure matrimoniali* ob violatam » coniugii fidem. Unde si periculum huiusmodi non subsit, locum habere debet quod dicit Hieronymus in Matth. XIX. ad

(15) *Hom.* XXXVII. *in Evang.*

» illud : *Si ita est causa hominis etc. Grave pondus uxorum est ;*
» *si excepta causa fornicationis eas dimittere non licet. Quid*
» *enim si temulenta fuerit, si iracunda , si malis moribus, si*
» *luxuriosa, si gulosa, si vaga, si iurgatrix, si maledica, tenenda*
» *erit istiusmodi? Volumus, nolumus, sustinenda est. Cum enim*
» *essemus liberi, voluntarie nos subiecimus servituti* (16). »

Articulus II. — Doctrina concilii Tridentini de separatione quod torum et cohabitationem ob plures causas manente vinculo ab adversariorum difficultatibus vindicatur.

Iam monuimus sec. XVI. novatores, quibus nunc passim increduli ac libertini assentiuntur, abhorruisse a perpetua aut temporaria, manente vinculo, coniugum separatione, quo facilius possint ad nova vota transire. Canonem propterea VIII. concilii Tridentini oppugnant, ac si rem novam sanxerit, ac doctrinae evangelicae et apostolicae, imo etiam sanioris ethnicae ac moralis principiis contrariam. Calumniosas omnino falsasque esse eiusmodi imputationes, evincere distinctis paragraphis aggredimur.

§. I.

Doctrina canonis VIII. concilii Tridentini a nota *novitatis* vindicatur.

Incognitam ecclesiasticae antiquitati separationem a toro convictuque, manente coniugali vinculo, haud pauci dixerunt, ut sic inferrent, toties veteres locutos esse de solutione quoad vinculum, quoties de coniugii diremptione disseruerunt, sive ob fornicationem, sive ob aliam causam quamcumque (17). Ast perperam haec excogitata esse facile est ostendere, si ratio ha-

(16) In IV. *Sent.* D. XXXV. §. 3.

(17) Ita omnes antiquiores haeretici saec. XVI. Lutherus in lib. *De capt. Babyl.* cap. *De matrim.* Philip. Melanchton in *Loc. theolog.* tit. *De coniugio*, Chemnitius in II. part. *Examin.* conc. Trid. aliique passim.

beatur tum intimae rei naturae, tum documentorum, quae ex antiquitate universa nobis suppetunt, tum generatim sensus traditionalis catholicae Ecclesiae, quibus certiores efficimur iugiter a christianae rei primordiis eam doctrinam et praxim obtinuisse. Singula perpendamus.

Primo enim intimam rei, qua de agimus, naturam exposcere separationem sive temporaneam sive perpetuam coniugum, incolum i matrimonii vinculo, constat 1. ex eo quod sit in coniugum arbitrio in continentia vivere, licet individuam vitae consuetudinem retineant: quo in casu habetur quidem separatio a toro, minime vero diremptio a vinculo. Ecquis porro ibit inficias in coniugum esse potestate ita se gerere, immo vero ad hanc ab usu coniugii abstinentiam voto etiam se obstringere? Nemo autem dicet liberos eiusmodi coniuges esse ad novum ineundum coniugium. Itaque hac in hypothesi habetur divortium quoad torum, minime vero quoad vinculum. Ergo rei ipsius natura postulat, ut eiusmodi separatio admittatur.

2. Constat ex casu haud infrequenti gravis, diuturnae, ac vero etiam perpetuae infirmitatis alterutrius coniugis, in quo ab usu coniugii cohibere se debent, et interim mutuum sibi auxilium praebere in re familiari, atque in sobolis iamdiu procreatae institutione. En iterum quomodo natura postulat separationem quoad torum vigente coniugali vinculo. Siquidem nec hi possunt novas inire nuptias altero adhuc in vivis agente.

3. Constat generatim ex aliis casibus, in quibus dictante ipso naturae iure coniuges cogi nequeunt ut eodem lecto, mensa victuque utantur. Ecquis enim affirmare audeat teneri coniugem cum eo consuescere, qui phthisi laboret, quae sin minus contagiosa natura sua sit, saltem uti talis apprehenditur? cum eo, qui pestifera febri sit correptus aut alio morbo, qui facile tactu atque consuetudine cum aegroto contrahatur? Sane quisque cavere sibi pro viribus potest, quandoque etiam debet. Qua in re prudentia et consilio opus est, parochi et medici charitas adhibenda, ut nec aeger praesidio destituatur et pereat, nec sanus in tabem vel aliam gravem morbum incurrat. In his rerum ad-

iunctis separatio a toro, a communi mensa, et cohabitatione non ab Ecclesia, sed a natura ipsa permittitur, quandoque etiam praecipitur. Idem dic de cohabitatione cum amente ac furioso, aliisque eiusmodi. Nec tamen propterea facultate hi coniuges praediti sunt aliud celebrandi matrimonium.

4. Constat ex iis omnibus, qui diu seu ad plures annos vel commercii, vel rei militaris, exilii, deportationis causa procul abesse ab altero coniuge coguntur. Hi omnes etsi vinculo coniugali illigati perseverent, in divortio tamen quoad torum victumque dura necessitatis lege tenentur.

Cum igitur ob plurimos in sociali vita rerum eventus coniuges dividi invicem debeant coganturque, quin propterea coniuges esse desinant; cum huiusmodi separatio ex ipsa rerum natura eaque necessario dimanet, ac proinde sit locorum omnium et temporum: quomodo sine aperta falsitate *nova* potest dici doctrina, qua decernitur, posse ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum seu quoad cohabitationem in certum incertumque tempus fieri manente vinculo, prout concilium Tridentinum can. VIII. definivit? Aut enim haec admitti debet, aut venia seu facultas indiscriminatim danda est solvendi vinculum ac foedus coniugale in singulis, quos indicavimus, aliisque prope innumeris casibus, reclamante non minus Ecclesia, quam aequitate ac natura. Itaque actio separationis quoad torum et cohabitationem manente vinculo absurde uti nova traducitur.

Verum secundo loco hanc novitatis notam excludit documentorum copia, quam nobis antiquitas sacra suppeditat. Praetermissis textibus biblicis, de quibus paulo post agemus, tot documenta veritatis catholicae nobis praesto sunt, quot in superioribus capitibus attulimus testimonia Patrum Graecorum et Latinorum, qui Christi verba Matth. V. 32. et XIX. 9. exposuerunt de unica separatione a toro et cohabitatione, qua pars innocens coniugem adulterii reum potest dimittere, quin umquam tribueretur eidem facultas novo cum altero se foedere iungendi; imo positive illa denegabatur. Iam vero incipiendo ab Herma, viro apostolico, devenimus usque ad S. Augustinum

et ad eos, qui eius vestigiis inhaeserunt, ostendimusque ad unum omnes in hac sententia ac doctrina perstitisse.

Huc pariter referuntur Romanorum pontificum et conciliorum statuta, quibus eadem doctrina in praxim deducta est ac sancita; exempli causa cum decreverunt, ut dirempto coniugio secundo ex errore facti inito, quod prior uxor a vita excesserit, vir, etiamsi cum secunda se copulasset, ad priorem rediret, nimirum quia prius illud coniugium quoad vinculum manebat, uxore adhuc vivente, licet esset quoad torum convictumque divisa; ut decrevit Innocentius I. tum in epist. ad Probum, tum in epistola ad Exsuperium, cuius verba cum alibi iam descripserim expenderimque, hic missa faciam. Idem statuit S. Leo M. in epist. ad Nicetam, Aquileiensem episcopum, praecipiens, foeminas, quae, captis viris, nupserant aliis, regressis de captivitate viris prioribus, eisdem reddi debere, etsi profiteatur eas non fuisse culpabiles, quae deceptae falso mariti defuncti rumore aliis nupserint; cuius verba pariter retuli.

Ab aliorum pontificum, qui huic steterunt principio, testimoniis afferendis supersedeo, ne prolixior sim. De conciliis pariter inutile censeo plura addere, quoniam in iis, quae iam recensui, eadem occurrunt circa firmitatem coniugalis vinculi, quamvis coniuges invicem separentur sive ob alterutrius absentiam, sive ob adulterii crimen, sive ob alias causas quascumque. Ex quibus omnibus exurgit evidens profecto argumentum, veteres agnovisse et admisisse illam, quam propugnamus, divortialem divisionem coniugum, vinculo persistente. Prae caeteris autem rem luculenter demonstrant concilium Illiberitanum, Arelatense II. concilium etiam Milevitanum II., ut de posterioribus sileam.

Eadem novitatis nota demum repellitur ex sensu traditionali catholicae Ecclesiae, quem non modo ex allatis Patrum testimoniis, sed ex historia etiam ecclesiastica et ex iure canonico colligere possumus. Nemo enim ignorat, plures quovis tempore floruisse, qui perfectionis studio vel in ipso coniugio pari consensu continentiam servarunt, atque ad eam servandam voto

sese obstrinxerunt; vel monasticam vitam communi consensu sunt amplexi, vel ita sunt disiuncti, ut uxore perpetuam Deo continentiam vovente vir sacris ordinibus initiaretur. Huiusmodi exemplis annales ecclesiastici referti sunt, nosque paulo ante specimen aliquod exhibuimus. Quae quidem agendi ratio conformis est doctrinae S. Augustini, qui disserens de coniugio B. Mariae virginis cum S. Iosepho non dubitavit generalem hanc proferre sententiam: «Hoc exemplo magnifice insinuatur »fidelibus coniugatis, etiam servata pari consensu continentia, »posse permanere vocarique coniugium, non permixto corporis »sexu, sed custodito mentis affectu (18).» Qui praeterea alibi verba faciens tum de continentia voluntaria in coniugio, tum de necessaria extra coniugium ob divortia, subdit: «Qui post »concubitum coniugum se ipsos castrant propter regnum coelo»rum, aut morte amittunt coniuges, aut ex consensu cum eis »continentiam profitentur, aut ex necessitate divortiorum, ne »vivis coniugibus se aliis copulando adulteria perpetrent, »castrant se ipsos propter regnum coelorum, non ut clariores »ibi esse possint, sed quod aliter ibi esse non possint: nam qui »non ista necessitate se continent, sed boni appetitione melioris, »possent ibi esse, etiam servata pudicitia coniugali, quamvis in »praemiis minoribus, tamen intus. Qui vero propterea se conti»nent, quia prioribus coniugibus vivis timent aliis coniugari, »maiorem curam debent gerere pro salute, quam gesserunt illi, a »quibus continentia pro munere delecta est ampliore (19).»

Idque merito, alioquin dicendum foret matrimonii essentiam in eius usu consistere, quod abhorret non solum a communi hominum sensu, quidquid sentiant novatores, sed adversatur vulgari illi principio penes omnes iurisperitos recepto: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit.*

Post haec supervacaneum videtur velle congerere testimonia ac decreta, quae in iure canonico huc referuntur. Satis est enim oculos coniicere in decretum Gratiani par. II. caus. XXXII.

(18) *De consensu evangelist.* lib. II. c. 2. Opp. ed. Mamur. t. III. part. II. col. 27.
(19) *De coniug. adult.* lib. II. c. 18. ibid. tom. VI. col. 416.

qq. 6. et 7. ut certior unusquisque fiat nullo non tempore in Ecclesia Dei sensum hunc viguisse a prima aetate usque ad Tridentinum; et iterum in decretalium lib. IV. tit. XIX. *De divortiis* ubi plura ad hanc rem Rom. pontificum et conciliorum decreta proferuntur.

Cum igitur intima ipsa rei natura, documenta omnigena totius christianae antiquitatis, ac generatim sensus traditionalis universae Ecclesiae doctrinam a concilio Tridentino sancitam can. VIII. evidenter adstruant, mirum videri potest saeculi XVI. novatores illam ausos esse veluti *novam* traducere. Attamen Chemnitius scribere non erubuit: «Definitio illa divortii »(conc. Trid. can. VIII.), quod sit separatio matrimonii quoad »torum, manente vinculo coniugali, *nova* est, et ex verbis »Pauli male intellectis perperam fabricata (20).»

De Apostoli mente paulo infra; interim ex iis omnibus, quae adduximus, poterit quisque iudicium ferre, num reipsa definitio, seu doctrina divortii quoad torum, manente vinculo coniugali, aliqua veri specie dici *nova* queat; annon potius eiusmodi assertio falsa omnino sit et nova prorsus atque antiquitati universae contraria.

§. II.

Eadem doctrina vindicatur ab altera nota *oppositionis* cum evangelica et apostolica doctrina.

Ut hanc oppositionem evincant adversarii, ostendantque, nullum in sacris litteris admitti quoad torum convictumque divortium, dum integrum manet matrimonii vinculum, pro-

(20) Ita quidem apud Bellarminum *De matrim.* cap. XIV. p. 10. qui haec verba allegat ex II. parte *Examinis* pag. 1268. Verum in editione, qua utor, huius *Examinis conc. Trident.* Genevae 1614. part. II. pag. 241. paulo aliter immutata ab aliena manu, ut puto, leguntur. Sic enim ibi habentur: «Haec *non* »*est nova* definitio divortii, quod scilicet sit tantum separatio inter coniuges »quoad torum et quoad cohabitationem, manente interim etiam inter separatos »vinculo matrimonii. Et talis quidem separatio sumpta fuit primum ex dicto »Pauli I. Cor. 7. etc.» Verum sententia sic mutata non amplius cohaeret cum iis, quae sequuntur, ut paulo post videbimus.

vocant ad contextum Apostoli 1. Cor. VII. cui tota innititur, ut ipsi aiunt, catholicorum doctrina.

Sic enim pergit Chemnitius post adducta verba, ut, quemadmodum sibi proposuerat, ostendat, doctrinam catholicam de divortio *fabricatam* esse ex perperam intellectis verbis Pauli: «Scribit Apostolus, ait ipse, *praecipio non ego, sed Dominus, »uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere »innuptam, aut viro suo reconciliari.* Sed Apostolus hoc loco »non loquitur de iusto divortio, quod fieri potest in causa forni»cationis; non enim praeciperet, uxorem a viro non discedere, si »de divortio iusto loqueretur. Ait igitur de dissidiis quibusdam »levibus, quae interdum inter coniuges oriuntur, et proinde de »illicito divortio, quo a se invicem discedunt, sed paulo post »conciliantur. Quare perperam ex hoc loco catholici divortium »induxerunt, quod manente vinculo in Ecclesia licite fiat (21).»

Ita quidem ipse. Verum falso supponit, catholicos huic unico Apostoli testimonio inniti, dum adstruunt, divortium licite fieri posse salvo coniugii vinculo. Nos praeterea id ipsum adstruimus pluribus aliis locis tum Apostoli tum evangeliorum, ut constat ex iis, quae in capite secundo disseruimus. Falso praeterea assumit, Apostolum de eadem dissensione fuisse locutum tum v. 10. cum ait: *Praecipio uxorem a viro non discedere*, tum v. 11. cum scribit: *Quod si discesserit, manere innuptam.* At vero v. 10. agit Apostolus de iniusta; v. autem 11. de iusta discessione. Alioquin non potuisset in casu discessionis iniustae ob leves causas, ut supponit Chemnitius, uxoribus optionem dare, ut post separationem aut innuptae manerent, aut viris suis reconciliarentur. Nam ex Christi praecepto, non potest uxor sine iusta causa, id est praeter crimen adulterii, a viro suo discedere ac separari; quod si contigerit, vi eiusdem dominici praecepti tenetur ad virum suum reverti, eique reconciliari. Contra vero Apostolus in adversarii hypothesi permisisset uxori,

(21) Ita rursum apud Bellarm. loc. cit. quae tamen in editione Genevensi paulo aliter sese habent; sed quoad substantiam in idem recidunt, adeoque ea non transcribo.

quae sine iusta causa a viro discessit, vel reconciliari, vel ita permanere seu vivere in separationis statu prout ei libuerit. Quod quidem nulla ratione admitti potest, siquidem aperto Domini praecepto adversatur. Ne igitur in eiusmodi absurdum adeo Apostolo iniuriosum incidamus, fateamur necesse est ipsum illis verbis : *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari,* locutum esse de discessione, quae iusta ex causa facta fuerit, adeo ut vers. 10. iniustam discessionem vetuerit, vers. autem 11. post iustam etiam discessionem edixerit secundas nuptias non licere, sed uxorem debere vel viro reconciliari, vel innuptam manere.

Hanc huiusce loci interpretationem, quae ipsi contextui consentanea est, atque ex eodem necessario effloresci, praestat veterum auctoritate firmare. Sane S. Augustinus lib. I. *De coniug. adulter.* primis quatuor capitibus totus in eo est, ut Pollentii excludat expositionem, quod nempe fornicatio non modo unica sit legitima causa discessus, sed etiam talis, ut ea interveniente alter coniux a fornicante discedens, alias nuptias possit inire. S. Doctor concedit quidem, immo et contendit solam fornicationem esse legitimam discedendi causam sive viro sive mulieri; sed ita ut debeant innupti permanere; nimirum contendit adulterium esse causam divortii a solo toro et cohabitatione, non autem quoad vinculum.

Haec sunt Augustini verba : «Eum (Apostolum) velut interrogemus, et tanquam praesentem quodammodo consulamus. »Cur dixisti Apostole, *quod si discesserit, manere innuptam?* »Licetne discedere, an non licet? Si non licet, cur praecipis discedenti, ut maneat innupta? Si autem licet, profecto est »aliqua causa qua liceat. Haec autem inquisita non invenitur, »nisi quam solam Salvator excepit, id est, causa fornicationis. »Ac per hoc non praecepit Apostolus mulierem, si discesserit, »manere innuptam, nisi quae illa causa discedit a viro, qua sola »ei licitum est discedere a viro. Ubi enim dicitur, *Praecipio non »discedere, quod si discesserit, manere innuptam,* absit ut contra »hoc praeceptum faciat, quae sic discedit, ut innupta permaneat.

» Nisi ergo illa intelligatur, cui licet discedere, (non autem licet » nisi viro fornicante), quomodo iubetur innupta, si discesserit, » permanere? Quis est qui dicat : si discesserit mulier a viro » non fornicante, innupta permaneat ; cum ei nisi a viro for- » nicante discedere omnino non liceat? Sensus itaque iste tuus » quantum adversetur vinculo coniugali, ubi Dominus nec » continentiam voluit suscipi, nisi pari corcordique consensu, » puto quod iam intelligas (22). »

Ex quo textu manifeste colligimus, iuxta S. Doctorem, unicam causam iusti discessus, absoluti saltem atque perpetui, esse fornicationem alterutrius coniugis, ob quam potest pars innocens nocentem dimittere ex doctrina Apostoli, et Christi ipsius. Colligimus hunc discessum sive separationem legitimam esse tantum quoad torum convictumque, non autem quoad vinculum, quod ita perseverat, ut non possit discedens aliud inire coniugium ; seu quod idem est, colligimus, posse fieri divortium ad certum incertumque tempus quoad solum torum et cohabitationem permanente vinculo coniugali, prout a concilio Tridentino definitum est in canone VIII. Colligimus ex mente S. Augustini, Apostolum vere agnovisse legitimam causam divortii illis verbis : *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, secus ac cum suis contenderit Chemnitius. Quod vero praeter fornicationem iusti divortii, alias temporales saltem causas praesul Hipponensis agnoverit, colligitur ex iis verbis, quibus declarat, posse coniuges, annuente Domino, continentiam servare, profiterique *pari concordique consensu*, ut omittam, quae alibi idem S. Doctor scribit de infidelitate spirituali, apostasia nempe et haeresi, quam aequiparat adulterio, propter quod divortium quoad torum fieri potest (23).

Sic pariter Theodoretus eadem Apostoli verba explanans : *Quod si discesserit* etc. scribit : « Conatur quidem infractum ser- » vare matrimonii vinculum : condescendens autem imbecillitati,

(22) Cap. III. n. 4. tom. VI. col. 389.

(23) *De sermone Domini in monte*, lib. I. cap. 26. 28. De qua tamen expositione cf. quae scripsit ipse S. Augustinus lib. I. *Retract.* c. XIX. n. 5.

» ei, qui separatur, continentiam praecipit, hac etiam ratione pro-» hibens matrimonii disiunctionem. Cum enim alteri coniungi » prohibet, utramque partem ad prius matrimonium redire com-» pellit (24). » Nempe praeter causam fornicationis alias supponit, quibus quoad torum coniuges invicem separentur, seu admittit divortium quandoque fieri, salvo coniugali vinculo, iuxta Apostolum; interdum quidem illicite, cum ob rixas, contentiones etc. a se invicem seiunguntur coniuges, quandoque vero licite, imo etiam perfectionis causa, ad continentiam pari consensu servandam, ut ibidem adnotat idem auctor.

Pergit porro Chemnitius Ecclesiam catholicam arguere, quod contra evangelicam doctrinam iustas divortii causas statuat, atque in haec verba loquitur : « Christus Matth. V. 32. et XIX. » 9. dimissionem coniugis nisi propter causam fornicationis pro-» nuntiat esse illicitam et illegitimam. Contra hanc Christi sen-» tentiam pontificii decernunt, praeter fornicationem multas » alias esse causas, propter quas licita et legitima coniugum sepa-» ratio fieri possit (25). »

At primo animadverti debet apud Matthaeum sermonem esse de dimissione propter *crimen*, non autem de dimissione propter *perfectionem*. Hanc esse legitimam separationis causam ex eodem evangelio discimus, in quo Christus centuplum in praesenti tempore, ac vitam aeternam iis promittit, qui perfectionis evangelicae sectandae causa uxorem dimiserint pari, ut supponitur, concordique consensu. Deinde animadverti debet, quod si Christus agens de dimissione propter *crimen*, hanc ad solam fornicationis causam coarctat, non ideo id facit, quasi ob alia crimina a fornicatione diversa fieri nequeant iusta divortia, sed aliis pluribus de causis, scilicet 1. Quia solum fornicationis crimen dat ius ad perpetuam separationem parti innocenti, etiamsi, quae nocuit, ex animo patrati flagitii poenituerit, quod in reliquis locum non habet. 2. Quia caeterae causae non sunt matrimonii *propriae*, sed potius matrimonio et aliis omnibus

(24) Opp. ed. Paris. 1642. tom. III. p. 150.
(25) Loc. cit.

confoederationibus communes; siquidem propter apostasiam, haeresim, inductionem ad peccatum aliaque eiusmodi non solum ab uxore, sed et a patre, matre, fratribus atque sororibus separatio facienda est ex Christi ipsius oraculo, ut vidimus. 3. Quia fornicatio sola est causa non modo propria, verum etiam intrinseca : per illam enim matrimonii ipsius bonum, quod in fidelitate consistit, directe impetitur atque prorsus destuitur. Hinc merito adultera dimittitur iuxta illud : *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Caeterae vero causae eidem coniugio sunt extrinsecae (26).

Ex his pronum est intelligere, qua ratione affirmari possit Christum in obiectis verbis in sensu, ut aiunt, exclusivo memorasse solam fornicationem tamquam divortii causam; nempe quatenus haec est *causa perpetua, propria et intrinseca,* neque proinde alias causas quæ sint *temporaneae, extrinsecae et communes* (27), exclusisse.

Perperam igitur Chemnitius urget adversus catholicos illam Christi sententiam, ut inde inferat, eos ab evangelica discedere doctrina, qui plures ob causas retento coniugali vinculo, docent divortia quoad torum et cohabitationem fieri posse.

Sic etiam perperam idem auctor prosequitur : « Separationem, »quae 1. Cor. VII. v. 11. extra causam fornicationis describitur, »Paulus non suadet nec decernit, sed docet eam pugnare cum »praecepto Domini, qui praecipit non discedere : quando vero

(26) Si ad haec omnia attendisset Samuel Klein in cit. *Dissert. canonica de matrimonio iuxta disciplinam Graecae orientalis Ecclesiae,* ut suis faveret, minime scripsisset post adducta Christi verba Matth. XIX. « Quae verba intelligi »volunt Graeci-orientales, quod propter adulterium solum a Christo Domino »concedatur divortium et separatio, non solum quoad torum, sed etiam quoad »vinculum; enimvero si verba evangelica solum de separatione tori essent »intelligenda, contra eadem facerent, quicumque *ob aliam rationem* quoad »torum separant, cum ibi dicatur : *Nisi ob fornicationem;* certum autem est »quod etiam ob plures alias causas separatio quoad torum fiat. Ergo evangelica »verba non de tori, sed vinculi separatione intelligenda sunt.» In quibus videtur hic auctor, qui tamen catholicus est, Chemnitium secutus esse.

(27) Cf. Bellarmin. loc. cit.

» coniuges contra illam Apostoli doctrinam privata contu-
» macia se separant, tum Paulus suadet reconciliationem, aut, si
» hoc nolint, pronuntiat eos debere sine coniuge manere. Sed oc-
» tavus hic canon dicit, ipsam Ecclesiam ob multas causas, prae-
» ter fornicationem, decernere posse separationem. » Praeterea:
« Christus Matth. V. dimissionem seu separationem coniu-
» gum, quae fit praeter causam fornicationis, ideo improbat,
» quia obiicit periculis ustionis fornicationis et adulterii, *Facit*,
» inquit, *illam moechari*. Sed de his periculis pontificii non sunt
» solliciti, libere enim decernunt separationem ad certum incer-
» tumve tempus (28). »

Verum dum primum obiicit Chemnitius, in falsa versatur hypothesi, quam paulo ante refellimus; nimirum Apostolum v. 11. disserere de iniusta separatione, quum tamen de separatione ex causa iusta loquatur, propter quam ipse dat optionem coniugibus invicem separatis sive redintegrandae coniunctionis, sive manendi sine coniuge. Quae quidem agendi optio dari non potuisset ab Apostolo, si contra praeceptum Domini facta fuisset separatio. Hac vero hypothesi depulsa, caetera ex se concidunt. Nisi velis praeceptum Domini, ad quod Paulus appellat, intelligendum esse de praecepto non dissolvendi coniugium, excepta causa fornicationis tamquam propria, intrinseca atque perpetua, quae caeteras non excludit extrinsecas coniugio, temporaneas atque communes, uti modo dictum est.

Quod vero attinet ad pericula, ob quae Christus dimissionem seu separationem improbavit, etiam catholici de iis sunt solliciti: adeoque ne coniuges periclitentur, possunt poenitenti ipsum fornicationis crimen condonare ac reconciliari; in aliis vero casibus non modo possunt, sed etiam debent, quum iustae caeteroquin separationis causae fuerint sublatae. Quare si istae perseverent, fac periculum perversionis, vel labendi in haeresim, tunc sibi imputare debent peccata, quorum periculo obiiciuntur ex coniugis absentia, qui pugnaciter in perversitate sua persistere malunt, quam causam tollere separationis. Adeoque Ec-

(28) Loc. cit.

clesia, dum praeter fornicationis casum plures alias legitimae separationis causas decernit prospicere intendit partis innocentis saluti, etsi contra eius voluntatem qui perversi sunt, exinde ansam sumant se in ustionis, fornicationis. et adulterii barathrum iniiciendi. Falsum itaque est et calumniosum affirmare, catholicos haud sollicitos esse de hisce periculis, sed inter duo mala minus eligunt, ne in peius ruant. Ecquis negaverit, longe peius esse periculum amittendae fidei, quam violandae pudicitiae ? Et quidem cum illud instat parti innocenti, hoc vero parti nocenti atque perversae ? Idem dic de caeteris.

Demum subdit Chemnitius : « Contendunt (catholici) tunc » debere esse divortium, in quo vinculum matrimonii salvum ma- » neat. Atqui pontificia illa separatione vinculum coniugii multis » et variis modis solvitur. Nam quid sit vinculum matrimonii do- » cent hae sententiae : *Et adhaerebit uxori suae : Faciamus ei* » *adiutorium, quod est coram ipso : Mulier non habet potestatem* » *sui corporis sed vir : iterum convenite, ne tentet vos Satanas :* » *Non sunt duo, sed una caro,* et ipsum matrimonium definitur » *individua vitae consuetudo.* At haec omnia vincula solvit divor- » tium quoad torum et cohabitationem : ergo homines separant » quod Deus coniunxit (29). »

Et hic praepostera vinculi coniugalis notione deceptus est adversarius noster permiscens vinculum cum vinculi effectibus. Etenim in eo vinculum consistit, ut alligata sit mulier viro quamdiu vixerit vir eius, ut docet Apostolus Rom. VII. 2. et 1. Cor. VII. 39. ubi iisdem ferme utitur verbis dicens : « Mulier » alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit ; quod » si dormierit vir eius liberata est. » Cum igitur vinculum coniugale in illa potissimum obligatione consistat, qua coniuges mutuo obstringuntur toto vitae tempore, ita ut absque piaculo nec vir nec mulier possint alteri se coniungere, plane consequitur obiecta biblica loca ad rem non facere. Siquidem ea respiciunt aut naturalem finem matrimonii, aut

(29) Ibid.

officia coniugum, quae vinculum consequuntur; quorum tamen praxis et usus impediri potest, manente vinculo. Alioquin si discesserit iusta de causa vir a muliere sive itineris. sive negotii alicuius gratia, aut in captivitatem fuerit abductus, aut carceribus et vinculis mancipatus, sive uxor infirmitate detenta, aut in remotam fuerit regionem abducta, vinculum ipsum foret dissolutum. Quod profecto neque adversarii dicent, utpote absurdum. Quapropter si vinculum permanet in his aliisque similibus casibus, adeo ut non desinant vere coniuges esse, etiamsi simul cohabitare nequeant, etiam iusto interveniente divortio, iugiter vinculum perseverat. Falsum igitur est quod Chemnitius asserit, pontificia illa separatione multis et variis modis vinculum coniugii solvi, atque homines separare, quod Deus coniunxit.

Quod dictum est de biblicis textibus, idem de allata pervulgataque matrimonii definitione censeri debet. Illa enim individua vitae consuetudo naturaliter ac per se a coniugibus intenditur velut fructus et sequela initi contractus et vinculi perpetui, quo colligantur. Quamvis vero ex accidentalibus causis illa individua vitae consuetudo de facto impediatur, vinculum tamen, quod perpetuo coniuges mutuo devinxit, intactum permanet.

Ex his iam intelligitur, quo sensu dixerit Christus : *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* nimirum haec verba protulit Christus de vinculo ipso; quod cum a Deo sit, nequit homo, vivente utroque coniuge, illud disrumpere aut dissolvere, non autem de cohabitatione aut tori communione ; alioquin toties homo separaret, quod Deus coniunxit, quoties coniuges invicem discederent. Immo vero ex his discimus, non abrumpi vinculum, quamvis divortium quoad torum sive iustum iniustum fieri contingat.

Non possum hic me cohibere.ab opportuna animadversione, quae sua veluti sponte exinde enascitur, quam nempe labile, imo et perniciosum systema novatorum sit de spiritu privato in interpretandis Scripturis, et quo homines ducat (30).

(30) Chemnitius magnam vitae suae partem exegit in concinnando hoc

§. III.

Doctrina de divortio quoad torum et cohabitationem, manente vinculo, a tertia nota *immoralitatis* vindicatur.

Asserta Ecclesiae doctrina etiam tamquam honestati morum exitialis impetitur, eo quod ex una parte indissolubilitatem statuat vinculi coniugalis, ex altera vero divortium permittat manente vinculo. Contra vero adversarii, ut vitae honestati prospiciatur, solutionem vinculi vellent, quo liber aditus pateret ad alias nuptias ineundas, nollent autem divortium manente vinculo, ne dura continentiae lege inviti detinerentur, qua infelicem, ut ipsi aiunt, ac miserrimam vitam et diris tentationibus obnoxiam agere cogerentur. Quandoquidem autem duo haec arcto inter se nexu cohaerent, ut distingui potius quam dividi possint, operae pretium est uno eodemque tempore sub utroque respectu catholicae doctrinae vindicias suscipere, ne imperfecta et manca quodammodo videri posset defensio, quam aggredimur. Porro adversarii in votis haberent, ut quaemadmodum concilium docet multas ob causas fieri posse separationem quoad torum et cohabitationem, ita contra decernetur *multas ob causas* fieri posse vinculi ipsius solutionem. Sed in una potissimum causa insistunt, quae est fornicatio sive adulterium (31).

opere *Examinis concilii Tridentini*, in quo non solum nihil profecit, sed post tot exantlatos labores tandem inter angustias ac dubia vitam finivit. Cf. Doellinger. *La réforme, son développement intérieur*, vers. ex Germ. Paris 1849. tom. II. pag. 505.

(31) Fingunt quidem se ob hanc unicam adulterii causam contendere fieri posse vinculi coniugalis solutionem; ast reipsa in latissima significatione postea huius flagitii nomen accipiunt. Nam satis est percurrere quaestiones, quas hac super re instituit Io: Gerhardus ex suorum protestantium sententiis *Locor. theol.* tom. XV. ed. Tubing. 1776. Loc. XXVI. cap. X. sect. III. art. 2. memb. I. thema 1. et seq. *De adulterio, De desertione*. ac *De reliquis divortii causis*, ut unusquisque intelligat quam liberales ac faciles se isti reformatores exhibeant.

Iamdiu Erasmus in prolixis suis annotationibus in 1. Cor. VII. impetiverat perpetuam matrimonii indissolubilitatem hac potissimum ratione ductus; nec veritus est Paulum ipsum nimii incusare rigoris ob clausulam illam : *manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Sic enim inter caetera scribit : « Quod si » Paulo proposita fuisset eiusmodi causa, stultus cum stulta, puer » cum puella contraxit, intercesserunt lenae, vinum, temeritas, » arte in nassam inducti sunt, et huiusmodi matrimoniorum ple- » nus est mundus, infinita mortalium millia male tenentur illa- » queata. Num coit matrimonium, si modo coitus successerit, imo » si non successerit, nihil inter coniunctos convenit, tanta est » morum et ingeniorum dissimilitudo : rixae iuges, odium imme- » dicabile, timetur venenum, timetur caedes, nihil non malorum » expectatur, neuter caelebs potest vivere, si cohaerent, bis perit » uterque : si mutetur coniugium, spes est utrumque fore incolu- » mem : fortassis pro causae circumstantiis *aliud responderet* » *Apostolus, et nonnihil relaxaret de rigore consilii superioris*. » Et adducto exemplo Fabiolae, quam Paulus, ut ipse putat, si ad eum confugisset, minime coegisset ad retinendum pravum adeo maritum, nec poenitentiae addixisset, cui ab episcopo addicta est, eo quod alteri nupsisset, concludit : « Miserebat me illo- » rum, quos videbam huiusmodi vinculis inextricabilibus impli- » catos, quos sciebam esse plurimos (32). »

Alii, ut suadeant vinculum ipsum coniugii quandoque solvi debere, confugiunt ad indolem ipsam ac spiritum religionis

Certe in codice Borussiano *novem* continentur tituli, ob quos fieri potest divortium plenum, id est, a vinculo. Cumque, ut notum est, frequentissima fierent repudia, ministerium proposuit in comitiis mense Febr. 1857. ut ex illis quinque tituli abrogarentur, quatuor tantum retentis, nempe 1. *denegatio coniugalis debiti*; 2. *insania*; 3. *insociabilitas et querelae*; 4. *accusatio scienter falsa*.

Verumtamen proposita lex die 4. Mart. eiusdem anni pluralitate suffragiorum reiecta fuit. Vid. *Univers* 6. Mars 1857.

(32) *Annot.* in I. ad Cor. VII. Opp. ed. Lugduni Batav. tom. VI. p. 701. et 702. Atque hic est Erasmus, cuius hac de re cum propositiones censura a facultate Parisiensi notatae fuissent, et quidem haereseos, an. 1526. « Quatenus

christianae; constituunt enim repugnare christianae religionis spiritui ac moralitati sententiam de vinculi matrimonialis omnimoda indissolubilitate; religio enim, aiunt, quum pro supremo fine beatitatem hominum habeat, eo ipso nequit talem continere doctrinam, quae homini scopum felicitatis assequi connitenti sacrificia per quam difficilia imponat. Quis sane est qui non videat ex eiusmodi doctrina de indissolubilitate omnimoda coniugalis societatis talem ac tantam malorum congeriem coniugibus ingruere, quibus eorum cor a nimusque veluti obruantur? Quae tandem est ea ferrea doctrina, quae coniuges cogat ad vitam perpetuo ducendam inter innumera corporis animique pericula, quae ex acerbitate praesertim doloris enascuntur, quum infidelitatem coniugis alter expertus est, ac iniuriam perpessus? Intolerabile sane vitae genus, quod humana imbecillitas vix aut ne vix quidem ferre potest. Quod si coniuges quoad torum cohabitationemque invicem seiungantur ad eiusmodi mala lenienda, in alium scopulum incidere debent, profitendo continentiam ac caelibatum, cui sectando se impares sentiunt, cum talis non sit, ut aiunt, eorum vocatio, calente praesertim atque effervescente iuventa in iis maxime, qui fervidioris sint ingenii.

Ecquis porro non videat, hos in apertum delinquendi periculum inijci dura hac lege detentos de non iterandis nuptiis, cum sanae ethices detrimento, immo vero et iactura? Indidem enim veluti a foecunda parente oriuntur necessario scortationes, adulteria, aliaque flagitia, quae etiam scandala oblocutionesque publicae comitantur; quibus omnibus facile occurri posset honesto coniugio? Ecquis componi posse autumet ferream hanc

» per eas praetendi videtur matrimonium per adulterium dissolvi quantum ad » vinculum. Est enim, inquiunt Parisienses, vinculum matrimonium iure di- » vino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat etc. » ut a se eiusmodi censuram amoliretur, respondit, suas propositiones intelligendas fuisse *de separatione quoad torum, non quoad vinculum*. At qui eius verba legerit, profecto nunquam sibi persuadebit de sola hac quoad torum separatione ipsum fuisse locutum. Cf. Tournely *De matr.* quaest. V. art. II. *De firmitat. vinc. coniug.* ed. Paris. 1765. tom. XI pag. 138 seq.

legem cum illa iugi evangelica lenitate, ob quam Christus suave iugum et onus leve sectatoribus suis se impositurum depraedicat? In hac hypothesi iugum plane non ferendum coniugium evaderet.

Nec obest agi de temporanea tantum separatione; siquidem hoc ipsum est, quod in moralitatis, quam vocant, damnum vergit. Nam si rixae ac discordiae perseverent, in longius tempus eiusmodi protraheretur; si causae dissidii mutui subsistant, fieri nequit, ut cito animi concilientur. Quod si dissidium ex spreta thalami fide proveniat, cui honor cordi est, nunquam in gratiam delinquentem recipere pateretur. Multo vero minus sibi eam reconciliabit, quae in male suscepto itinere consistat, aut continuam de se suspicionem praebeat (33).

Itaque non alia ratione his malis occurri potest, quam dissolutione perfecta, qua liberum sit unicuique ad nova transire vota. Neque exinde periculum imminet dissolutionibus perpetuis; ut enim rite animadverterat iamdiu Erasmus, id pertimescendum non est, « quando et apud ethnicos suus constabat » honos matrimonio, apud quos mutuum erat divortii ius, at non » temere tamen. Vis rara esse divortia? Cura ut non tam facile » coëant coniugia. Iudicio coëant : coëant auctoritate parentum, » aut eorum, quorum interest : quemadmodum apud Hebraeos, » Graecos, Romanos ac barbaros olim coire solebant (34). »

Verum qui ita disserunt, rem sub unico tantum adspectu expendunt eoque debiliori, qui cupiditatibus faveat, dissimulantes, quae ex dissolubilitate coniugiorum immineret, immo certo provenirent, mala tum societati connubiali, tum proli, tum reipublicae ipsi. Non perpendunt verum religionis christianae systema seu spiritum, nec virtutes, quas Christi religio suadet, et ad quas cultores suos inducit. Nihili faciunt detrimenta longe peiora, quae ex illis theoreticis principiis in praxi suapte natura manarent.

(33) Ita Werkmeister, Batz, Socher aliique non exiguo numero, quos recensuit cl. Roskovàny op. cit. *De indiss. matr.* §§. 20-29. et iterum §. 57. ubi ipsorum argumenta profert.

(34) Loc. cit. col. 701. 702.

Sane si auscultemus Erasmo, non solum ob adulterii crimen, verum etiam ob animorum dissensum, ob rixas, ob mutuas simultates, atque *ἀντιπάθειαν* licitum foret discindere coniugia. Possent praeterea dissociari connubia omnia, quae minus considerate coniuncta sint, atque animi levitate contracta. Item ea, quae fuerint conciliata lenonum opera et arte; ea, in quibus vitia praevalerent ingurgitationis, irae; quae temere, quae aetate immatura, quae inter stultos fuerint inita; ea etiam, in quibus timor incesserit veneni, caedis, aliaque permulta incommoda imminerent. Iam si his aliisque prope innumeris de causis connubia possent seiungi, ecquis non videt vix ulla subsistere firma coniugia? Fatetur vel ipse Erasmus horum coniugiorum plenum mundum esse, ac infinita mortalium millia his teneri illaqueata, adeoque si eius theoria admitteretur, vix ulla matrimonia forent, quae non deberent, vel possent dissolvi. Et hac in hypothesi quidnam fieret de societate coniugali? Quid de prole? Quid de societate universa?

Si causae recensitae sufficerent ad vinculum coniugale e medio tollendum, conclamatum plane esset de vero coniugum consortio, quod revocaretur in plerisque ad cohonestandas cupiditates, quae cum expletae essent, qui pertaesi uxoris fuerint, possent ad aliam se convertere, et ita porro. Cum deessent verae causae, fictitiae excogitarentur ad finem obtinendum. Cupiditates enim indomitae ad instar furentium equorum homines in praeceps agerent, et in exitium, ex quo se amplius recipere non possent.

Quae cum ita se habeant, profecto Apostolus tum Fabiolae tum aliis quibuscumque, qui in iisdem reperirentur rerum adiunctis, non aliud consilium, immo praeceptum daret, quam quod dedit Corinthiis, *quod si dicesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, quia praeceptum Domini est, *uxorem a viro non discedere*. Non ideo vero Fabiola poenitentia multata est, seu potius sponte se ei subiecit, quod a flagitioso se marito separaverit: hoc enim nulla iura

vetabant ; sed quod contra Christi praeceptum alteri nupserit, vivente priori coniuge, ignorans, ut scribit S. Hieronymus, evangelii rigorem. Nam velint nolint adversarii, Christus omnimodam indissolubilitatem matrimonii constituit, ne excepto quidem adulterii casu, quaemadmodum tenuit ac servavit universa antiquitas, ut suo loco ostendimus.

Haud dissimulamus, quin etiam aperte fatemur incommoda quandoque, ac si lubet, saepe quoque ex inextricabilibus coniugii nexibus oriri. Ast in eusmodi negotiis aequa lance pensanda sunt, quae utrinque ingruunt, mala, tum scilicet ex plena firmitate tum ex solutione vinculi coniugalis. Porro extra omnem dubitationis aleam est, longe graviora sub quovis respectu enasci mala ex solutione, quam ex indissolubilitate. Quae enim ex solutione proveniunt incommoda intrinseca sunt, inevitabilia, nec minus coniuges, quam sobolem, cognatorum et amicorum catervam, immo et rempublicam ipsam afficiunt. Contra vero, quae ex indissolubilitate enascuntur, solas plerumque cupiditates attingunt, transitoria sunt magna ex parte; et quae vinci, sin minus facile, aliqua saltem animi constantia possunt. Hac de causa Christus discipulis mirantibus quod de vinculi coniugalis firmitate ipse edixerat, atque respondentibus : *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*, illam adiecit sententiam: *Non omnes capiunt verbum istud*, et occasionem arripuit commendandi continentiam.

Exinde patet, quinam sit verus religionis christianae spiritus relate ad coniugium. Hic eo tendit, ut vinculum matrimonii numquam dissolvatur, quin etiam id absolute vetat. Interim praesidia praebet, quae dolorem leniant ex male partis coniugiis, non solum commendando omnium virtutum, patientiae praecipue, exercitium; item tolerantiam infirmitatis et defectuum, qui humanae sunt naturae ingeniti; sed auxilia supernaturalia gratiae ad vincenda incommoda, quae vix aut ne vix quidem a tali statu separari possunt, pollicetur. Quapropter naturalis contractus ad dignitatem evectus est sacramenti, ut

indidem tamquam ex inexhausto fonte coniuges hauriant subsidia ad perferenda onera adnexa coniugio.

Quod si coniuges ea media negligant, si parvipendant, si malint naturae vitiis indulgere, sibi non autem Christi religioni adscribant, quae illos circumstant, mala. Nam si res bene riteque perpendatur, patebit maxima saltem, quae exaggerantur, incommoda ex cupiditatibus non satis domitis ac repressis originem trahere. Hae vincantur, et superata erunt magna ex parte eiusmodi incommoda, aut saltem non adeo urgebunt, ut confugere debeant coniuges ad vinculi solutionem.

Caeterum hoc ipso quod christiana religio multas ob causas doceat fieri posse divortia quoad torum et cohabitationem, si res eo pervenirent, ut necesse foret coniuges ad certum incertumve tempus invicem separari, datur locus leniendi doloris, ac vias omnes pertentandi ad animorum conciliationem ac resipiscendi; quin etiam stimulus additur ut dissidiorum causae e medio tollantur.

Beatitas huius mundi semper imperfecta est, nec umquam plene obtineri potest. Illudimur vana spe quam saepissime, dum ad eam assequendam novus rerum ordo excogitatur. Hac ratione plures decipiuntur, et dum sibi quasi de adepta iam felicitate adblandiuntur, miseriores se esse experimento discunt. Itaque suprema beatitas est consectanda, quae non obtinetur nisi virtutum omnium exquisito cultu, et in Deum sincera pietate sancte servatis praeceptis, quae nobis data sunt. Aliis nuptiis non semel homines infeliciores redduntur, ut patet etiam ex iis, qui, altero defuncto coniuge, thalamum repetunt. Secus deberet fieri perpetuus transitus de uno in aliud coniugium, in quo spes affulgeat tranquillioris vitae obtinendae. Quis vero adeo desipiat, ut haec admittat?

Hac ratione omnes declamationes evanescunt, quibus adversarii indissolubilis unionis infortunia, pericula, aliaque id genus multa exaggerant. Religio pharmaca praebet his malis

omnibus aut tollendis aut leniendis, quin opus sit recurrere ad iterationem nuptiarum, quae impar est ad beatitatem afferendam.

Fateor gravissima percelli iniuria, qui infidelem in matrimonio coniugem experitur. Nihilominus et huic malo religio remedium afferre consuevit, dum optionem parti innocenti tribuit aut in perpetuum se ab infideli ac nocente coniuge seiungendi, aut cum illa ad resipiscentiam revocata se conciliandi. Si velit caelibem deinceps vitam ducere, atque invita etiam coniuge statum religiosum amplecti, aut initiari sacris ordinibus, nemo est qui hoc ei deneget. Quod si hoc in casu pars derelicta in flagitia proruat, hoc sibi solum ac propriae malitiae imputare debet, non autem deserenti, seu dimittenti, qui utitur iure suo.

Quod si laesus coniux caelibem vitam nolit ducere, potest indulta venia coniugi delinquenti iterum cum ea copulari. Eo vel magis, quod interdum immunes viri omnino non sint ab omni culpa in uxorum aberrationibus, dum aut se nimis difficiles erga eas ac duros praebent, aut nimis indulgentes ac faciles, dum licentiam potius vitae, quam libertatem, et consuetudinem tolerant virorum extraneorum, atque uxores quodammodo in pericula labendi ipsi coniiciunt. Quocirca dignae interdum sunt, quibus iniuria condonetur, si vere eas patrati sceleris poeniteat, statuantque de caetero in officio permanere. Quo refertur monitum illud S. Augustini, qui scribit: « Haec » crimina (adulteria) in vetere Dei lege nullis sacrificiis mun» dabantur... et ideo tunc omni modo prohibitum est ab alio » contaminatam viro recipere uxorem.... Nunc autem postea » quam Christus ait adulterae: *Nec ego te damnabo, vade, deinceps noli peccare;* quis non intelligat debere ignoscere » maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec » iam se debere adulteram dicere, cuius poenitentis crimen » divina credit miseratione deletum (35)? » et paulo post:

(35) *De coniug. adult.* lib. II. cap. VI. n. 5.

« Quibus consideratis atque tractatis, si communis conditio, » commune malum, commune periculum, commune vulnus, » communis salus, fideliter et humiliter cogitetur, non erit » turpis, neque difficilis, etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugum, ubi per claves regni » coelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum (36). »

Dixi : *si verę eas patrati sceleris poeniteat;* nam si fucata tantummodo fuerit illarum resipiscentia; si nulla solida spes affulgeat, fore ut caste vivant, eo in casu nullum superesse potest dubium, quin vir non modo non teneatur nocentem recipere, sed potius debeat eam a se repellere iuxta illud toties a Patribus laudatum : « Qui tenet adulteram, stultus est et » impius (37); » secus enim agens, suspicionem reae conniventiae praeberet, ac patronum veluti se ostenderet turpitudinis.

Quod de viris dictum est, idem sentiendum de uxoribus, si quos habeant maritos lascivientes ac turpibus adulterinis nexibus implicatos. Cum vero difficilius sit mulieribus virum adulterum a suo contubernio et a toro seiungere, eas his verbis compellat Augustinus, ut saltem id pertentent, ne coniuges suos negligere videantur :

« Audiant me : zelent viros suos; non sibi servent vanam » gloriam, qua solent a maritis impudicis matronae laudari, » quia impudicitiam virorum suorum aequo animo ferunt. » Nolo talem patientiam habeant christianae mulieres : prorsus » zelent viros suos; non propter carnem suam, sed propter » animas illorum. Omnino ego moneo, ego praecipio, ego » iubeo : episcopus iubet, Christus in me iubet. Novit ille in » cuius conspectu ardet cor meum. Ego, inquam, iubeo. » Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra » illos Ecclesiam. Non dico, iudices publicos, non proconsu- » lem, non vicarium, non comitem, non imperatorem; sed

(36) Ibid. Cap. IX. n. 8.
(37) Prov. XVIII. 22.

» Christum. In caeteris omnibus ancillae estote virorum ves-
» trorum, subditae ad obsequium. Nulla sit in vobis proter-
» vitas, nulla superbia, non contumeliosa cervix, non aliqua
» inobedientia : prorsus tamquam ancillae servite. Sed ubi
» ventum fuerit ab illud negotium, ubi vos beatus Apostolus
» aequavit, dicens : *Uxori vir debitum reddat, similiter et*
» *uxor viro* : subintulit : *uxor non habet potestatem corporis*
» *sui, sed vir*. Quid te extollis ? Audi quod sequitur : *Similiter*
» *et vir non habet corporis sui potestatem, sed mulier*. Ubi ad
» hoc ventum fuerit, clamate pro re vestra. Aurum tuum
» vendit maritus pro necessitate sua : ferto femina, ferto
» ancilla... Contemne omnia propter amorem viri tui.
» Sed castum opta, pro castitate litiga. Patienter pereat villa
» tua, non anima ipsius te patiente pereat (38). » Verum etiam hic magna opus est prudentia, ne proinde temere se gerant, exquirendum ipsis erit docti viri consilium, qui pro rerum adiunctis suggeret, quid faciendum sit (39).

Quod postremo loco obiecit Erasmus, non esse timendum ne dissolutionibus perpetuis periculum immineat, adducto exemplo ethnicorum, penes quos suus constabat matrimonio honos, quamvis apud ipsos mutuum fuerit divortii ius, falsum esse tum historice tum practice patet. Falsum quidem historice, quia compertum est ex omnium gentium antiquarum, si unam forte vel alteram excipias in sua adhuc infantia degentes, documentis, ideo vel maxime corruptissimas extitisse, quod repudia praeter modum frequentarent (40). Possem documenta haec ex illarum annalibus, si opus foret, facile proferre, sed

(38) Serm. CCCXCII. cap. IV. Opp. ed. Maur. tom. V. col. 1505.

(39) Cf. Trombelli *De matrim.* tom. II. diss. VII. Bononiae 1781.

(40) Satis est vel leviter percurrere, quae de facilitate divortiorum penes ethnicas nationes omnes scripsit vel ipse Io. Gerhardus op. cit. *Loc. theolog.* Loc. XXVI. cap X. sect. III. art. 2. memb. 2. §. 597. et 598. ubi plura antiquorum reperiuntur hac de re testimonia, ex quibus luce meridiana clarius patet, quo ex eiusmodi facilitate perventum fuerit. Haec testimonia exhiberem, nisi essent notissima. Et tamen Erasmus ausus est scribere. « Penes quos suus » constabat matrimonio honos !

cum alias attulerim aut indicaverim, hic abstineo, praesertim cum de re agatur omnibus nota. Illud potius mirari subest, quanam ratione Erasmus, utpote vir eruditus, et cui haec erant compertissima, potuerit ad ethnicorum exemplum provocare : quo scilicet cognoscitur nil aliud nisi impotens desiderium scopum obtinendi, quem sibi praefixerat, vellicandi quod sancte in Ecclesia quovis seculo servatum est, ab eaque toties constitutum iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam.

Falsum praeterea id ipsum agendi ratio, quae passim viget apud Protestantes, luculenter ostendit. Cum enim semel ostium apertum esset divortiis perpetuis ob adulterii crimen, illico in praeceps ruerunt, causasque multiplicarunt adeo, ut vix apud illos matrimonium ullum subsistat. Specimini sint, quae scripsit Bucerus sub ipsis ita dictae reformationis initiis. Cum enim plures enumerasset divortii causas, concludit : « Haec adferenda » hic putavi ad eam explicandam quaestionem, num concedi » a christianis principibus et rerumpublicarum moderatoribus » possit, divortium facere, et ad alteras transire nuptias, aliis » quam fornicationis et stupri de causis. Ex quibus omnibus, » si omnia rite et *Ex verbo Dei* panderentur, satis liquebit, » neminem, nec virum nec mulierem, cui opus sit ad bene » casteque vivendum coniuge, ac coniuge cohabitante, atque » coniugii officia necessaria faciente, prohiberi debere, quin » vir talem quaerat uxorem et habeat, et mulier talem virum, » si deprehensum et evictum sit (*sic*), vel virum, cui pia » mulier nupta fuit, vel mulierem, quam vir pius uxorem » duxit, praestare necessaria coniugii officia aut obstinate » nolle, aut eiusmodi commisisse scelera, ut propter turpi- » tudinem suam non possit : aut denique incurabili impediri » impotentia, quominus per corporis vires illa valeat coniugii » officia persolvere (41). » Quae deinde fuse persequitur cap.

(41) *De regno Christi* cap. XLII. pag. 124. in collectione inscripta : *Scripta Anglicana*. Basileae 1577. Quod Buceri opus vulgo appellabatur *cantus Cygni*, eo quod fuerit postremum. De Bucero proinde merito scripsit Tapperus

XLIII. et seqq.; ut alios praeteream, de quibus alias scripsimus.

Ne quis vero suspicetur haec theoretica potius esse quam practica, praesto sunt innumerae divortiorum sententiae, quae per annos singulos in Borussia et in aliis Germaniae regionibus, nec non in provinciis foederatis Americae ferri solent, ut vel ipsos protestantes eorum pudeat. Exinde factum est, ut haud raro ministri protestantes sategerint tot divortiis fraenum iniicere (42). Cuius rei nonnulla suo loco documenta attulimus. Haec fortasse Erasmus ne suspicabatur quidem, dum talia commentus est, sed facile praevidere potuisset, quin etiam debuisset.

Vis rara ***esse*** *divortia?* Concludit Erasmus, *cura ut non tam facile coëant coniugia; iudicio coëant, coëant auctoritate parentum, aut eorum, quorum interest.* Bene quidem: monitum est sane egregium. At quid si fraeni impatientes sint, qui coniugia coëunt? Si illis dominentur cupiditates, quae vix rationis compotes eos esse sinunt, qui illis duci se patiuntur? Si aures occludant consiliis, monitis, minis, quandoque etiam legibus ipsis? Si ex impetu agant, nec resipiscant nisi postquam in nassam se ultro iniecerunt? Nonne pene innumeri ubique terrarum caeco eiusmodi amore insaniunt? Ergo ne debebunt omnia ab his inita dissolvi coniugia, ut locus detur prudentiori electioni? Accedit haud raro parentes ipsos in culpa esse, quod infelicia

in explic. capit. XVIII Lovan.: « Facilius dissolvi matrimonia, auctore Bucero, » quam civiles contractus. »

(42) Recolantur, quae paulo ante attulimus ex publicis documentis circa conatum coarctandi divortii titulos. His addimus, quae refert periodica collectio *La Civiltà cattolica* an. VIII. n. CLXIII. tom. V. I. Sab. Genn. 1857. pag. 127. « *La Corrispondenza prussiana.* ibi legitur, giornale del ministero, contiene » due articoli... Il primo è, che vi si ammette almeno per un certo tempo, la » separazione *a mensa et toro*; nel secondo si annulla una decina di ragioni, » le quali eran fin qui giudicate sufficienti ad autorizzare il divorzio. E infatti » la legislazione avea gran bisogno di riforma in questo punto; non essendo » raro in Berlino il trovar donne con quattro o cinque mariti tutti vivi; e con- » tando si annualmente in Prussia circa 6900. processi per divorzio, con circa » 3000. sentenze di divorzio. »

coniugia ineantur. Interdum enim impedire illos nexus coniugales adnituntur, qui beatum exitum haberent, ac filios aut filias suas sin minus cogant, pertrahunt saltem ad iungendas nuptias cum illis, quos nollent. Verum praevalent apud parentes identidem tituli, divitiae, honores, cognationes, clientelae, aliaque id genus multa, quibus fit, ut filii velint nolint, debeant ducere, non quos ipsi optarent, sed quos parentes praeelegerunt. Felicia ne erunt eiusmodi connubia? Nil minus. Sed potius se eiusmodi coniuges persaepe mutuo prosequuntur odio; in rixas perpetuas et simultates erumpunt; exinde vero disrupta matrimonia, lites et, quae ea sequuntur, mala gravissima. Et tamen ipsi parentum auctoritati et eorum, quorum intererat, consilio obsecuti sunt. Ergo ne, iterum sciscitor, debebunt omnia haec coniugia pariter dissociari?

Neque illud omittendum est interdum parentes et sponsos decipi. Etenim non desunt, qui, ut ad optatas perveniant nuptias, malas tum physicas tum morales qualitates ita dissimulent ac tegant, ut nulla ratione pateant, donec finem suum fuerint assecuti, ac recedendi nulla via, et pedem a laqueo retrahendi nullus detur locus. Tunc moerores, gemitus, questus. Attamen hi omnes commonitionem Erasmianam, quoad eius fieri potuit, executioni mandarunt, nec tamen quidquam profecerunt. Numquid et istis omnibus, qui certe pauci non sunt, via aperienda divortiis, ut feliciori foedere se coniungant? Quid si secunda et tertia vice decipiantur? En quo ducant theoriae ab hominibus seu ab huius seculi sapientibus excogitatae, ut illas opponant Ecclesiae catholicae doctrinae sanctisque principiis.

Itaque nulla alia via suppetit, quam ut a teneris unguiculis utriusque sexus adolescentibus sanctissimae religionis dogmata ac saluberrima praecepta instillentur, atque in eorum cordibus alte defigantur. Siquidem si his se morigeros praebuerint, Deus ipse providentia sua concurret, ut foedera nuptialia optimum sortiantur effectum iuxta illa biblica oracula: « Beatus qui habitat cum muliere sensata (43). » « Mulieris bonae beatus vir;

(43) Eccl. XXV. 11.

» numerus enim annorum illius duplex (44). » « Pars bona mu-
» lier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis
» bonis (45) ; » aliaque eiusmodi, quibus Scripturae sanctae abundant.

Quod si contingat initum coniugium optatum non sortiri exitum, sola religio his malis pharmaca salutaria praebebit, facilemque reddet longanimitatem, patientiam, lenitatemque in vitiis tolerandis, quibus alteruter coniugum irretitus fuerit, donec ad saniora consilia redeat, et ad meliorem frugem se recipiat. Hac ratione plures in eiusmodi statu ad sanctitatem atque ad heroicum, ut vocant, virtutis gradum pervenerunt. Cuius rei testis est experientia in religione catholica, in qua innumeri prope sanctitatis apicem hoc modo attigerunt. Quae si admiranda potius quam imitanda videantur, suppetunt etiam vulgaria ac frequentissima exempla reconciliationum, adeo ut post temporaneum divortium in gratiam redierint, et amico foedere coniuges ad mortem usque perseverarint. Si quid vero sit patiendum, dolor mitigabitur spe melioris eventus, neque ulla necessitas cogit ad divortia perfecta facienda, atque ad iterandas nuptias, quae praeterquam quod a religione damnantur, sunt fons plurium malorum, quae coniuges, sobolem, ipsamque societatem affligunt, atque pessumdant.

CAPUT VI.

De dissolutione matrimonii rati, non consummati.

Notum est omnibus matrimonium in legitimum, ratum, et consummatum distingui ; legitimum seu verum coniugium est, quod ab infidelibus ad normam legis naturalis contrahitur ; ratum illud est, quod initur a fidelibus ac sacramentum efficitur, eo ipso quod sacramentum fidei seu baptismum susceperunt, quo fit, ut eorum contractus solo consensu legitime praestito evehatur ad dignitatem sacramenti utpote signum gratiae practicum et efficax,

(44) Ibid. XXVI. 1.
(45) Ibid. v. 3.

repraesentans coniunctionem Christi cum Ecclesia ; consummatum vero dicitur vel non consummatum, prout copula intercesserit inter coniuges vel non intercesserit. Eiusmodi distinctionis saepe fit mentio in iure canonico, et magni est momenti in quaestione, quam agitamus.

Ratione enim istius distinctionis coniugium maiorem vel minorem firmitatis gradum habet. Sane, ut suo loco ostendimus, matrimonium infidelium quamvis consummatum dissolubile est, ac solvitur per conversionem coniugis ad fidem christianam, renuente altero coniuge sine contumelia Creatoris cohabitare cum parte conversa. At matrimonium fidelium consummatum esse prorsus quoad vinculum indissolubile exploratum est, quemadmodum hactenus certis argumentis ostendimus. Nec Ecclesia aut Rom. pontifex potest aliquando consummatum fidelium connubium dissolvere ullo in casu (1). Inter haec medium tenet locum coniugium ratum et non consummatum, quod solvi posse per solemnem religionis professionem doctrina catholica est.

Hanc doctrinam adorti sunt novatores saec. XVI., seu ut ipsi se vocant, sacrorum emendatores, verius autem corruptores, qui quum ad unum omnes abhorreant a votis religiosis, utpote magna ex parte e claustris transfugae et apostatae (2),

(1) Prout nonnulli perperam autumarunt. Cf. de hoc argum. Gibert in op *Tradition ou histoire de l'église sur le sacrement du mariage*, tom. III. pag. 244 seqq.

(2) Quorum princeps extitit Lutherus, qui sacerdos et religiosus cum perdita sanctimoniali sacrilegum matrimonium celebrare est ausus. De quo non minus vere quam sagaciter scripsit Ida Hahn Hahn in op. quod post suam ex protestantismo conversionem ad Ecclesiam catholicam edidit, quodque inscripsit Germanice *De Babylone ad Hierusalem* iuxta vers. Gall. doct. Leonis Bessy, « Comment, inquit, se défendre de cette pensée, que Luther, en contractant son mariage en état de péché mortel, attira sur tous ses partisans une » réprobation mystérieuse, précisement en ce point, qui exerce une influence » si décisive sur le bonheur ou le malheur de générations entières et sur » tout l'ensemble de l'éducation sociale? Mais aussi, par là même que cette » mortelle blessure faite à la morale publique se dévoile aux yeux de tous » d'une manière si effrayante, et que nulle sagesse humaine n'est en état de la » fermer, n'a-t-on pas le droit d'espérer que ceux qui en sont atteints ou » menacés auront recours au seul remède dont ils puissent attendre la guérison, le retour à l'Eglise mère? »

nil magis cordi habuerunt, quam ut inanitatem professionis religiosae praedicarent. Hi propterea, dum faciles adeo se praebuerunt in dissolvendis coniugiis etiam consummatis fidelium, difficiles omnino in concedenda dissolutione connubii rati in gratiam vitae perfectioris sectandae semet exhibuerunt : imo etiam prorsus et absolute denegarunt eiusmodi dissolutionem fieri unquam posse. Istorum audaciam fregit concilium Tridentinum, ut mox videbimus.

Ianseniani, qui protestantium vestigia premere sibi proposuerunt, eamdem instaurare doctrinam aggressi sunt impugnantes definitionem concilii Tridentini, ac si adversaretur Scripturae et traditioni. Inter quos eminent Leridant (3), Pilé (4), iuxta quem fides circa matrimonii indissolubilitatem a seculo duodecimo obscurata est, ac irritum est habendum Tridentini concilii decretum, ut cui defuerit necessaria libertas. Hos sectatus est Tabaraud, qui eos ferme exscribit, utpote iisdem principiis imbutus (5).

Nulla autem ratione ferri potest, quod scripsit Maldonatus seu potius auctor op. *De sacramentis* eius nomine vulgati (6) de hoc argumento; cum enim quinque praemisisset difficul-

De turba vero sacerdotum et monachorum, qui votis suis insuper habitis currebant exemplo Lutheri ad novam sectam, haec iam aetate sua, seu initio sic dictae reformationis scribebat Wizel : « Nec non deturbat omnia aucupium » nummulorum. Nisi actutum des, curritur ad sectam. Quod si posset talibus » mercenariis contingere in secta unde victitarent, profecto Ecclesiam equis » et velis desererent, usque adeo *neminem fere non delectat carnalissimae* » *sectae licentia, voluptas trahit. Conquestio de calamit. statu.* » Lipsiae 1538. C. a. apud Dollinger. *La Réforme* tom. I. pag. 104, Paris, 1847.

Plura item cf. hac de re apud Audin. *Hist. de la vie de Luther*, tom. deux, chap. XI. *Sécularization des couvents et mariage des moines. Désordres produits par l'ouvrage du réformateur sur le célibat.* Et ita res perseveravit iugiter a nuptiis Lutheri ad nuptias Achilli, et de Sanctis, et ita porro perseverabit in futurum.

(3) *Examen de deux questions sur le mariage*, pag. 458. seqq.

(4) *Dissert. Sur l'indissolub. absolue du lien conjugal.* 2 vol. in-12.

(5) *Principes etc.* Ed. 1. pag. XXXVIII. et pag. 255 seq. et iterum pag. 391 seq. in nova autem ed. pag. 381 seqq. Cf. ap. Carrière tom. I. n. 304.

(6) Cf. Alegambe in Biblioth. soc. Iesu.

tates, quibus urgetur doctrina catholica de solutione matrimonii rati et non consummati, subdit : « Haec argumenta videntur »mihi habere non posse ullam responsionem, nisi aut concedamus, matrimonium ratum et nondum consummatum non esse »verum matrimonium et verum sacramentum, aut certe Ecclesiam *ita existimasse*, cum decrevit licere post matrimonium »ratum, conferre se ad religionem, altero coniuge invito, et »licere alteri adire alias nuptias. Quod autem hoc sensu Ecclesia »definierit, manifestum est ex illis omnibus canonibus, quibus »statuit. Nam in illis omnibus nominat *sponsum* et *sponsam* eos, »qui coniuncti sunt matrimonio rato, non consummato. Nusquam autem appellat coniuges, neque maritum, neque uxorem. »Adde quod in nonnullis etiam ex illis manifeste dicat non esse »verum matrimonium et coniugium, antequam sit consummatum. At certe hoc indicat ipsum nomen *consummatum*, quasi »perfectum et absolutum (7). »

Quae quidem satis temere dicta esse videntur; difficultates autem, quibus responderi non posse autumat hic auctor, paulo post excutiemus iisque satis atque abunde responderi ostendemus.

Interim ex hactenus dictis patet, nobis vindicandam esse Ecclesiae circa hunc articulum doctrinam adversus omnes eius impugnatores. Quod vero attinet ad has vindicias, praemittere adhuc debemus, illas scientifice spectatas varias esse pro sententiarum varietate, quae inter catholicos theologos viget. Siquidem alii eiusmodi dissolutionem repetunt ex iure naturali; alii ex iure ecclesiastico; alii demum ex iure divino. Unumquodque autem placitum suis peculiaribus urgetur difficultatibus, quas dissimulare nec possumus nec debemus, ut ex earum collatione quid verisimilius censendum sit colligamus. Absoluta quaestione dogmatica de solutione coniugii rati per solemnem religionis professionem, expendenda erit quaestio theologica, utrum aliis

(7) *Opera varia theologica*. Lutet. Paris. 1677. tom. II. *De matr.* par. IV. cap. VI. pag. 474 seq.

gravibus de causis coniugium ratum pontificia dispensatione atque auctoritate dissolvi possit, de qua quidem quaestione duplex doctorum sententia habetur, quarum altera eam potestatem Ecclesiae seu Rom. pontifici denegat, altera vero adstruit.

Ut igitur qua par est perspicuitate ac methodo incedamus, distinctis articulis de his omnibus pertractabimus, praemissa generali doctrina a concilio Tridentino definita hoc canone VI. sess. XXIV. «Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi; anathema sit.»

Articulus I. — De veritate doctrinae catholicae circa dissolutionem vinculi coniugalis per solemnem religionis professionem alterius coniugum.

Sermo hic est de matrimonio vere ac presse sumpto, adeoque de vero et proprio sacramento, cum agatur de matrimonio inter fideles baptizatos inito. Idque ad excludendam singularem Maldonati sententiam, quod scilicet sacri canones, ac propterea et canon Tridentinus, non loquantur nisi de matrimonio, quod verum proprie non sit, nec verum sacramentum. Quomodo enim concilium Tridentinum potuisset appellare *matrimonium* illud quod ratum tantum est, necdum consummatum, si illud non habuisset ut verum matrimonium, verumque sacramentum, cum constanter in tota hac sessione hanc vocem iugiter in propria ac rigorosa significatione usurpaverit? Hoc vere absonum est, ac si semel admitteretur, vix non mutaret universa eiusdem concilii doctrina.

Hisce praemissis merito Tridentinum definivisse dissolvi coniugium ratum fidelium per professionem religiosam patet ex sensu traditionali totius ecclesiasticae antiquitatis. Siquidem hic sensus ab immemorabili viguit in Ecclesia christiana, ut maioris perfectionis sectandae gratia sive sponsalia, sive matrimonia rata dirimerentur, ut pateret aditus ad consilia evangelica profitenda. Romani pontifices filum traditionis secuti nonnisi ratio-

nem determinaverunt, et conditiones, quo rite id fieret, utpote supremi in Ecclesia moderatores. Fieri enim poterat, ut abusus obreperent, si res privatorum arbitrio relinqueretur. Caeterum suis sanctionibus nihil novi summi pontifices intulerunt.

Hunc vero sensum traditionalem viguisse ab antiquissima aetate, facile deprehendimus ex tot exemplis illis seu factis, quae nobis praebet historia ecclesiastica. Non erunt ea quidem, si singillatim ac seorsum expendantur, apodictica ad rem conficiendam, quam intendimus; attamen illorum collectio manifeste patefacit spiritum, qui iugiter in Ecclesia viguit. Haec itaque subiiciam cum nonnullis animadversionibus criticis, quibus veritas suo lumine illustretur.

Primum exemplum habemus in S. Thecla adeo ab universa antiquitate commendata. De ea igitur S. Ambrosius scribit: «Thecla copulam fugiens nuptialem, et sponsi furore damnata, »naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit(8).» Et S. Epiphanius: «Thecla, inquit, cum in Paulum incidisset, »pactas nuptias dissolvit, cum primario cuidam civitatis totius, »ac longe diviti, nobilissimo, splendidissimoque desponsa iam »fuisset. Verum terrena ideo sancta illa contempsit, ut coeles»tium compos esse posset (9).» At non diffitemur excitari dubium merito posse, utrum de sponsalibus, an de coniugio agatur, quod S. Thecla contraxerit, ut plures existimant (10).

Alterum quod afferri consuevit exemplum desumitur ex duobus illis aulicis, qui, ut scribit S. Augustinus, lectione permoti vitae S. Antonii, relicto seculo «Manserunt in casa: et »ambo habebant sponsas: quae posteaquam hoc audierunt, dica»verunt etiam ipsae virginitatem Tibi (Deo) (11).» Verum

(8) *Lib. De virginib.* cap. VIII. n. 12. Opp. ed Maur. tom. II. col. 167.

(9) *Haeres* LXXVIII. n. XVI. ed. Petav. tom. I. pag. 1048. Cf. quae de hac S. virg. et martyr. scripsit Tillemontius, *Memoire etc.* tom. II. pag. 60 seqq.

(10) Cf. Baronium in notis ad Martyr. Rom. die 15. Sept. nec non Bollandian. ad eamd. diem. Tom. VI. *Acta sanct.* pag. 550 seqq. ubi critice expendunt, quae ad hanc S. virginem ac martyr. referuntur.

(11) *Confess.* lib. VIII. n. 15.

dubitari et hic potest, num illae fuerint potius sponsae quam uxores. Quod autem a quibusdam dicitur incertum esse, annon, si fuerunt vere uxores, matrimonium fuerit etiam consummatum, excluditur verbis S. Augustini, qui testatur illas Deo dicasse suam *virginitatem*.

Tertium exemplum adest in S. Alexio, qui floruit sub finem sec. IV. et initium sec. V. sub S. Innocentio (12). De quo in eius vita legitur : «Cum eum nuptialibus infulis aptum iudi-»cassent (parentes eius), elegerunt ei puellam ex genere impe-»riali, et ornaverunt thalamum, et impositae sunt eis singulae »coronae (13) in templo S. Bonafacii martyris per manus hono-»ratissimorum sacerdotum, et sic cum gaudio et laetitia laetum »duxerunt diem. Vespere autem facto, dixit Euphemianus filio »suo : Intra, fili, in cubiculum, et visita sponsam tuam. Ut »autem intravit, coepit nobilissimus iuvenis, et in Christo sapien-»tissimus instruere sponsam suam, et plura ei sacramenta disse-»rere ; deinde tradidit ei annulum suum aureum, et rendam (14), »id est caput baltei, quo cingebatur, involuta in prandeo (15), »et purpureo sudario, dixitque ei : suscipe haec, et conserva »usque dum Domino placuerit, et Dominus sit inter nos. Post »haec... discessit ad mare (16).» Iam vero hic absque dubio agitur de vero coniugio rato non consummato ac dissoluto. Eadem leguntur in caeteris actis, praesertim vero in vita Arabica a Bollandianis primum vulgata (17).

Omitto exempla Gregoriae virginis, de qua S. Gregorius Magnus (18), ac de cuiusdam Catelli sorore Stephano desponsata, quaeque monasticum est institutum professa, ut idem

(12) Qui sedere coepit in pontificatu an. 411. et desiit an. 417.

(13) Erat hic ritus nuptialis receptus non solum apud Graecos, verum etiam apud Latinos.

(14) Nempe *Zonam*, ut ex Cangio ad hanc vocem.

(15) Id est *velo*, ut ex Cangio.

(16) Apud Bolland. die XXI Iulii. tom. IV. Iulii pag. 252.

(17) Ibid. p. 267.

(18) Lib. III. *Dialog*. cap. XIV. ed. Maur. tom. II. col. 301.

refert S. Pontifex (19), cum certo non de matrimonio rato in his agatur, sed de sponsalibus tantum. Quartum exemplum affertur ex S. Leobardo, de quo scribit S. Gregorius Turonensis. «Cogen»tibus parentibus ut arrham puellae, quasi uxorem accepturus, »daret, compellitur.... Haec patre loquente, licet haberet alium »filium, facile tamen tali aetatulae persuasit voluntati propriae »contraire. Denique dato sponsae anulo, porrigit osculum, »praebet calceamentum, celebrat sponsaliae diem festum... »Deus... conpunxit cor eius, ut relicto seculo manciparetur ad »cultum divinum (20).» Ast et hoc exemplum referri posse videtur ad solam sponsalium dissolutionem.

Magis ad rem nostram accedere videtur, quod refert ven. Beda de Edildrida scribens : «Accepit rex Ecgfridus coniugem »nomine Edildridam.... cuius consortio cum uteretur duodecim »annis, perpetuo tamen mansit virginitatis integritate gloriosa, »sicut mihimet sciscitanti.... Valfridus episcopus referebat, »dicens se testem virginitatis eius esse certissimum, adeo ut »Ecgfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse dona»turum, si reginae posset persuadere eius uti connubio... quae »multum diu regem postulans, ut seculi curas relinquere, atque »in monasterio tantum vero regi Christo servire permitte»retur. Quod ubi vix aliquando impetravit, intravit monaste»rium (21).» Certe hic agitur de matrimonio tantum rato, eoque discisso quoad vinculum; nam testante Thoma Eliensi, rex novum iniit coniugium. Scribit enim, quod cum frustra rex Edildridam, seu ut eam vocat, Ethledredam, recuperare adnisus fuisset «Eboracum redit, Ermemburgemque sibi matri»monio copulavit (22).»

Ex his aliisque eiusmodi documentis facile est colligere qui-

(19) Lib. VII. epistol. XXIII. Ibid. col. 867.

(20) *Vitae Patrum*, cap. XX. ed. Maur. col. 1252.

(21) *Hist. Anglor.* lib. IV. c. XIX. ed. Basil. 1563. tom. III. col. 138.

(22) In Historia Eliensi apud Whartonum *Anglia sacra* part. I. Londini 1691. pag. 598.

nam iugiter in Ecclesia traditionalis sensus viguerit, et quinam spiritus eam informaverit. Etsi enim non omnia, quae prolata sunt, exempla rem conficiant, satis tamen indicant, quid hac de re Ecclesia senserit, donec Rom. pontifices, oblata sibi occasione, decreta sua emiserunt, quibus omne sublatum est dubium de istorum matrimoniorum dissolutione.

Ac primus quidem, cuius certum documentum extat, est Alexander III. qui an. 1180. hanc decretalem emisit : « Verum » post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, » altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut sancti » quidam de nuptiis vocati fuerunt; dummodo carnalis com- » mixtio non intervenerit inter eos : et alteri remanenti, (si com- » monitus continentiam servare noluerit,) licitum est ad secunda » vota transire : quia, cum non fuissent una caro simul effecti, » satis potest unus ad Deum transire, et alter in seculo rema- » nere (23). » Et iterum : « Caeterum quia, licet a praefato viro » desponsata fuit, adhuc tamen, sicut asserit, ab ipso est inco- » gnita : mandamus, quatenus si praedictus vir ipsam carnaliter » non agnoverit, et eadem ad religionem transire voluerit, » recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religio- » nem transire, vel ad virum suum redire intra duorum men- » sium spatium debeat, ipsam a sententia, qua tenetur, ab- » solvas ; quod si ad religionem transierit uterque, restituat » alteri quod ab eo noscitur accepisse. Sane quod Dominus in » evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis » uxorem suam dimittere, intelligendum est, secundum inter- » pretationem sacri eloquii, de his quorum matrimonium car- » nali copula est consummatum, sine qua consummari non » potest (24). »

Ex quibus decretis habemus, in priori quidem constitutum generale principium de dissolutione coniugii rati necdum con-

(23) *Decret.* Gregorii IX. lib. III. tit. XXXII. *De convers. coniugat.* cap. *Verum.*

(24) Ibid. cap. VII. *Ex publico.*

summati, ac interpretationem textus evangelici : *Quod Deus coniunxit, homo non separet,* nec non alterius : *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa* etc. de matrimonio consummato ; cum scilicet coniuges facti sunt *una caro* ; in posteriori vero magis determinatum habemus duorum mensium spatium ad definitivam deliberationem.

Alter pontifex est Innocentius III. an. 1210. qui Lugdunens archiepiscopo rescripsit : « Nos inquisitioni tuae taliter respon-
» demus, quod etsi possit non inconsulte videri, quod ex quo
» matrimonium inter legitimas personas, per verba de praesen-
» ti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi,
» ut vivente reliquo, alter ad secunda vota transmigret.... Nos
» tamen nolentes a praedecessorum nostrorum vestigiis de-
» clinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit
» per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum,
» reliquo inconsulto, ad religionem transire ; ita quod reliquus,
» ex tunc legitime poterit alteri copulari: hoc ipsum tibi consu-
» limus observandum in articulo praenotato, quamvis falsa sit
» causa, per quam ob susceptionem veli praedicta mulier est
» inducta, cum sine qualibet tali causa, idipsum religionis ob-
» tentu facere potuisset. Porro licet praedicta mulier videatur
» in veli susceptione religionis habitum assumpsisse, si tamen
» velit in domo propria remanere, quasi propositum castitatis
» in seculo servatura, nihilominus consummandum est matri-
» monium iam contractum, nisi se voto obstrinxerit ad obser-
» vantiam regularem : in quo casu compelli potest, ut relicto
» seculo, religionis propositum exequatur (25). »

Deprehendimus porro ex hoc decreto, Innocentium nihil novi constituisse, sed in eo edendo praedecessorum suorum vestigiis inhaesisse, qui certe solus Alexander III. esse non potuit. Alia proinde praecessisse hanc in rem Rom. pontificum decreta, quae forsan perierunt, admittamus necesse est.

(25) Ibid. cap. XIV. *Ex parte tua.*

Ut igitur praesens argumentum absolvamus, ex adductis antiquitatis documentis eruimus, primo in Ecclesia iugiter hunc sensum viguisse de favore divinitus collato in gratiam perfectioris instituti per professionem evangelicorum consiliorum. Eruimus deinde, Rom. pontifices loqui de eiusmodi coniugiorum dissolutione ad profitendam religionem tamquam de re iamdiu superioribus seculis recepta, quin ulla assignari epocha possit. Exinde pronum est inferre, viguisse ab initio traditionem apostolicam circa hunc articulum, quem demum solemni ratione concilium Tridentinum suo canone sancivit. Sane nullum opponi potest ex tota antiquitate documentum, quo contrarium adstruatur. Iam vero iuxta regulam S. Augustini: *Quae sunt contra fidem vel bonam vitam*, (Ecclesia) *nec approbat, nec tacet, nec facit,* (26). Cum vero non modo negative, verum etiam positive constet in Ecclesia ab immemorabili, licet sub diversa forma pro temporum adiunctis, eiusmodi institutum servatum fuisse, rursum altera eiusdem S. Doctoris regula adhibenda est: « Si quid horum » tota per orbem frequentat Ecclesia;... quin ita faciendum sit » disputare, insolentissimae insaniae est (27). »

Ad quam regulam si attendisset Maldonatus, seu auctor disputationum de septem sacramentis, ea profecto non opposuisset, quae eam omnino destruunt. Postquam enim scripsit, difficilem hanc esse quaestionem, utrum scilicet liceat matrimonium ratum dissolvere ad profitendum aliud vitae genus perfectius, nimirum religionem, *aut aliud eiusmodi, ut ministerium ecclesiasticum;* item utrum liceat illi, qui relinquitur, contrahere alias nuptias, alio vivente; his, inquam, praemissis subdit: « Utrumque » licere decretum est multis canonibus ecclesiasticis. Sed sunt » maxima argumenta in contrariam partem. »

Haec autem argumenta quinque sunt. 1. Quod matrimonium ratum non differat essentia a matrimonio consummato; 2. quod Christus Dominus etiam de matrimonio rato dixerit: *Quod Deus*

(26) Epist. LV. *ad Ianuar.* cap. XIX. n. 35. ed. Maur. tom. II. col. 142.
(27) Epist LIV. *ad Ianuar.* cad. V. n. 6. col. 126.

coniunxit, homo non separet; 3. quod in matrimonio rato alter alteri coniugi potestatem tradat corporis sui, nec liceat eamdem alteri traditam conferre sine consensu eius, cui tradita est; 4. quod matrimonium sit pactum solemne non secus ac solemne votum, adeoque non possit altero invito, qui matrimonium ratum iniit, continentiam profiteri; 5. denique, quod Augustino auctore non alia de causa coniugium christianorum prae caeteris indissolubile sit quoad vinculum, nisi quia est sacramentum. Iam vero matrimonium non consummatum vere et proprie est sacramentum, prout est consummatum (28).

Ast ipse veluti certum assumere videtur nonnisi auctoritate ecclesiastica dissolvi coniugium ratum, ut patet tum ex horum argumentorum indole et natura, tum ex eo quod dixerit *multis canonibus ecclesiasticis* id fuisse decretum. Attamen hoc non est exploratum, cum plures iique gravissimi theologi oppositam teneant sententiam, ut paulo post expendemus. Qua sola animadversione non minimum vis eorumdem argumentorum infirmatur. Praeterea non animadvertit inter hos canones haberi canonem Tridentinum, qui dogmaticus est, non autem mere disciplinaris. Demum falsum est quod affirmat, posse dirimi coniugium ratum *ob ministerium ecclesiasticum*. Nunquam id docuit aut sensit Ecclesia.

Porro si semel constiterit Deum ipsum ita de matrimonio rato constituisse in favorem perfectionis evangelicae, quemadmodum constituit de coniugio infidelium, cum alter ad fidem convertitur, renuente altero sine contumelia Creatoris cum converso cohabitare, in favorem religionis christianae, proposita argumenta magna saltem ex parte ex se concidunt. An vero Christus ita statuisse dicendus sit, dogmatice quidem seu theologice pendet

(28) Auctor quicumque fuerit *De sept. sacrament.* loc. cit. nihil novi argumentis suis protulit, et quod non fuerit ab aliis oppositum praecipue a protestantibus Chemnitio *Examine* sess. XXIV. Magdeburgensibus *Centuria* I. lib. 2. c. 12. col. 657. a catholicis vero a Claudio Espenceo lib. 8. *De continentia* cap. 4. et ab Erasmo in *Annot.* ad I. Cor. VII. v. 10. Ast et illud exploratum est a catholicis illa omnia iam dissoluta *ante Maldonatum* fuisse.

ab examine, quod instituimus, traditionis, scientifice autem putebit ex discussione sententiarum, quae inter theologos vigent, quasque iam expendere aggredimur articulo insequenti; iisque expensis, propositas difficultates dissolvemus.

ARTICULUS II. — De iure, quo matrimonium fidelium ratum et non consummatum per solemnem religionis professionem quoad vinculum dissolvatur.

Cum in tres sententias theologi partiantur circa ius, quo dirimitur coniugium ratum, aliis, ut innuimus, hanc dissolutionem ex iure naturali, aliis ex iure ecclesiastico, aliis denique ex jure divino repetentibus, cumque unaquaeque et suis fundamentis fulciatur et suis etiam laboret difficultatibus, operae pretium ducimus unamquamque singillatim distinctis paragraphis excutere.

§. I.

De illorum theologorum sententia, qui dissolutionem coniugii rati ex iure naturali repetunt.

Plures magni nominis theologi huic sententia, duce B. Thoma, qui istorum agmen ducit, adhaerent. Hos recensent Salmanticenses (29), inter quos eminet card. Bellarminus (30); ex recentioribus praestant Ludov. Habert (31), Drouin (32), nec abnuunt Collet (33), Lagedemon (34), aliique.

Horum theologorum sententiae fundamentum est in duplici principio, quod cum S. Thoma constituunt. Contendunt itaque, coniugium ratum dissolvi ex eo, quod ratio ipsa doceat semper licitum esse de statu minus perfecto ad perfectiorem transire, si id fieri possit absque alterius detrimento. Iam vero statu

(29) Tract. IX. *De matrim.* cap. IV. puncto III. n. 28.
(30) Lib. II. *De monachis* cap. XXXVIII. n. 16.
(31) *De matr.* Cap. II. §. VII. resp. 5.
(32) *De matr.* quaest. IV. cap. III. §. I. prob. IV.
(33) *De matr.* cap. V. sect. V. n. 346.
(34) *De matr.* quaest. VII. art. 2. sect. I. concl.

coniugii perfectior est religionis status; poterit ergo ab uno ad alium transitus fieri detrimento quando id fiat sine ullius, porro nullum detrimentum pati qui derelictus est, matrimonio nondum consummato, patet ex eo quod nullum afferatur soboli damnum, quae non existit; nullum uxori, quae virgo permanet, nec ullam hac de causa infamiam subit; aliunde ius par est in utroque; proinde nulli fit hoc discessu iniuria.

Secundo evincitur ex eo, quod matrimonium semper contrahatur sub hac implicita saltem conditione, nisi velim ante consummationem religionem ingredi ac profiteri, prout id mihi conceditur.

Sic autem disserit S. Thomas: «Ante carnalem copulam est »inter coniuges tantum vinculum spirituale; sed post etiam »est inter eos vinculum carnale. Et ideo sicut post carna»lem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem; »ita per ingressum religionis, vinculum. quod estante carnalem »copulam, solvitur: quia religio est quaedam mors spiritualis, »qua aliquis seculo moriens vivit Deo (35).» Alibi vero Angelicus Doctor alterum principium attingit scribens: «Ante »carnalem copulam non est omnino translatum corpus sub »potestate alterius, sed sub conditione, nisi interea alter coniu»gum ad frugem melioris vitae convolet. Sed per carnalem »copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat uterque in »corporalem possessionem sibi traditae potestatis (36).»

Huius sententiae patroni, cum ex ipsa rei natura et ex analogia fidei argumenta deducant ad evincendam dissolubilitatem coniugii rati, inferunt haud opus esse ad eius probationem proferre testimonia sive biblica sive traditionalia. Ecclesia quippe uti iuris naturalis interpres, spectata utriusque status coniugalis et religiosi perfectione, indicavit hanc illi esse anteponendam, atque ad eam aditum patere, cum nondum matrimonium suam adeptum est perfectionem per sexuum commixtionem.

Ast non spernendis haec premitur opinio difficultatibus sub

(35) *Suppl.* quaest. 61. art. 2. in corp.
(36) *Suppl.* quaest. 61. art. 2. ad 2.

utroque aspectu, quo est proposita. Siquidem nisi prius constituatur ex divina traditione, matrimonii vinculum non esse prorsus indissolubile iure divino positivo, ex sola ratione nihil evincitur. Nam si Deus constituit coniugium in genere inter christianos prorsus indissolubile, quidquid ex rationis penu statuatur, patet nullius roboris esse.

Nec satis est professionem religiosam esse statum perfectiorem, de quo nulla est quaestio, sed ostendendum praeterea esset, post sancitum solemne foedus coniugale, quo alter alteri ius fecit in corpus suum, fas esse profiteri statum religiosum sine alterius libero consensu. Alioquin posset coniux votum etiam emittere continentiae, sacros ordines suscipere, aliaque eiusmodi praestare, quae perfectiora sunt statu coniugali; attamen nemo catholicorum id unquam affirmavit.

Nec obest solum statum religiosum mortem spiritualem ac civilem efficere, quae comparatur morti naturali, quae matrimonium dirimit consummatum. Nam quaestio in eo praecise versatur, utrum quis possit sibi spiritualem mortem inferre, quando id in eius potestate non amplius situm esse videtur ob anteriorem obligationem, eamque iustitiae, quam contraxit. Pessime porro ageret, qui gravatus aere alieno substantiam suam in pauperes distribueret, ac interea debita sua non persolveret. Gratis deinde assumitur, id non vergere in alterius detrimentum; nam si agatur de viris, res ita esse potest; sed si de puellis agitur, non ita se habet, cum aegre interdum maritum inveniant, quandoque nonnisi post plures annos, quandoque etiam nunquam. Puellis autem, quae in se non experiuntur vocationem ad religiosam vitam vel ad caelibatum, invenire honestum consortem, hac in vita summa res est (37).

(37) Dixi *Quae in se non experiuntur vocationem ad religiosam vitam, vel ad caelibatum.... hac in vita summa res est;* prorsus enim admitti non potest quod domina De Gasparin in suo op. *Le mariage au point de vue chretien.* Paris 1844. 2. édit. affirmare ausa est cap. I. matrimonium praeferendum esse caelibatui utpote finem supremum foeminae; sic enim scribit pag. 53: « Oui, »la femme est faible pour l'homme et le mariage est fait pour la femme, il est

Quod vero attinet ad principium alterum de consensu conditionali, reponunt adversarii, eiusmodi conditionem praesumi potius quam probari. Nam haec conditio neque implicite seu tacite a contrahentibus ponitur, qui intendunt inire coniugium ratione consueta, ut fruantur iure suo; et patet ex retinentia partis derelictae. Sed neque ex parte Ecclesiae eiusmodi apponitur conditio, cum ea nuspiam id declaraverit. Immo cum agatur de sacramento, eam excludit, cum non possit sacramenti effectus suspendi, et dum contractus coniugalis per consensum de praesenti conficitur, hoc ipso conficitur sacramentum, quod gratiam producit ex opere operato, quaeque nec moras patitur nec suspensionem. Alioquin in ipsa coniugii consummatione, per quam hypothetica conditio expletur, conficeretur sacramentum, communicareturque gratia, quod est absurdum. Sane qui in coniugii mutuo consensu praebendo profiterentur continen-

» *sa fin naturelle ici-bas*, il est parmi les moyens terrestres, le plus efficace »que Dieu lui ait donné pour aider à son perfectionnement et pour arriver à la »satisfaction de ses instincts élevés. » Et pag. 36. « Ce n'est pas ici ou là, clair »et rarement semés qu'on les rencontre, ces comparaisons qui font éclater *la* »*supériorité du mariage, c'est par tout.* » Scilicet in universa sac. Scriptura. Quumque sibi obiecisset verba Apostoli I. Cor. VII. ubi ipse praefert caelibatum coniugio, non veretur haec foemina Calviniana rigida et methodistica inficiari Apostolum hac in re fuisse inspiratum. En verba quibus se defendit in fol. periodico *Archives du christianisme* 20. Iuil. 1851. pag. 130. « Ce »chapître, inquit, renferme deux paroles : l'une de Dieu, *l'autre de l'homme.* »Il y a des portions de ce chapître où Paul parle seul; il y a d'autres portions »où le Saint-Esprit parle par la bouche de Paul . . . Tout ce qui y concerne le »célibat est de l'homme. Du premier verset au dixieme, c'est Paul qui parle. »Vient ensuite la parole du Seigneur. La parole humaine recommence au »verset douzième; elle s'arrête avec le seizième. La parole de Paul, *l'ex-*»*pression de son opinion particulière* reprend au verset vingt-cinquième et » elle continue jusqu'à la fin du chapître. » Quam quidem particularem Apos-»toli opinionem circa *doctrinam*, vocat *errorem funestum*. En eius verba ibid. 8. Mar. 1851. pag. 53. «*Erreur funeste, qui impose le devoir de lutter contre* »*une autorité tendrement* aimée.» O foeminam petulantem, cui apprime conveniunt Tertulliani verba in lib. *De praescrit.* cap. 41. *Ipsae mulieres haereticae quam procaces! Quae audent docere, contendere.* Et quidem cum apostolo Paulo, quem *funesti erroris* accusare non veretur, ne se turpiter errare fateatur! Talis est haereticorum erga Biblia veneratio. Eadem ratione se gesserat saec. III. Ptolaemeus, haereticus gnosticus, respectu Moysis.

tiam, isti nunquam sacramentum reciperent, neque gratiam sacramentalem. Quis porro hoc dixerit? Non denique hanc conditionem exposcit natura ipsa contractus coniugalis; quia reperiretur in omnibus matrimoniis legitimis sive in vera sive in falsa initis religione. Nam quod insitum est ipsi rei naturae, toties reperiri debet, quoties res ipsa subsistit; subsistit autem verum matrimonium etiam apud infideles et haereticos, apud quos tamen locum habere non potest ea conditio (38).

Sud quocumque igitur respectu sententia haec perpendatur, constat eam nutare, nec firmiter consistere (39).

§ II.

De illorum theologorum placito, qui constituunt dissolvi matrimonium ratum iure tantum ecclesiastico.

Permoti difficultatibus, quibus prima urgetur sententia, non pauci theologi in eam venerunt opinionem, ut ius hoc dissolvendi coniugium ratum deducerent ex Ecclesiae auctoritate, quae accepta a Christo ligandi solvendique generali facultate, eiusmodi coniugia dissolvit, aut saltem uti interpres iuris divini id constituit. Eminent inter hos Suarez (40), Kugler (41), Antoine (42) Simonet (43), Theologi Wircenburgenses (44), card. La-Luzerne (45), Pothier (46).

(38) Haec postrema ratio nullius ponderis esse videtur; tum quia nemo unquam dixit hanc conditionem provenire ex iure naturali absoluto, sed solum in hypothesi quod Deus constituerit statum perfectionis evangelicae: tum quia haec conditio in falsa religione supponi nequit.

(39) Cf. Suarez *De religione* tom III. lib. IX. cap. 25. ubi fuse eam persequitur.

(40) Loc. cit. n. 20 seqq.

(41) Quaest. XXII. n. 1671 seqq.

(42) *Theol. dogm.* tom. II.

(43) Dist. IV. art. 6. prop. 1. 2.

(44) N. 406. Tract. *De matr.*

(45) *Instruct. sur le Rituel.* n. 814.

(46) N. 475-483 apud Carrière tom. I. n. 669.

Suarez, qui istorum fere agmen ducit, ad huius sententiae veritatem adstruendam tribus innititur probationibus. Primam desumit ab exclusione; quia hoc votum solemne religionis habet hunc effectum non ex sola natura rei, neque ex divino iure immediate; ergo interveniente Ecclesiastico iure. Priora duo uti probata supponit, tertium vero ostendit ex Ioannis XXII. extravagante *Antiquae de voto,* in qua summus pontifex negat votum castitatis ordinis habere hunc effectum : *Cum nec iure divino, nec per sacros reperimus canones hoc statutum* (47). Ex quibus verbis colligit ipse, aliquod ex his tribus esse necessarium ad hunc effectum, et quodlibet eorum potuisse sufficere; ergo merito idem dicimus de voto castitatis religiosae; cum ergo in hoc voto de effectu constet, et de iure divino non constet, imo sufficienter probetur non existere, sistendum est in iure ecclesiastico, de quo satis constat.

Alteram probationem eruit Suarez ex eo, quod hic effectus non excedat amplitudinem ecclesiasticae potestatis, ut constat ex adductis Ioannis XXII. verbis, quae illam supponunt; tum ex illimitata facultate a Christo Petro concessa ligandi ac solvendi, pascendique oves suas.

Tertiam denique probationem promit ex facto, seu, ut ipse loquitur, ex *signo*, Ecclesiae nimirum agendi ratione, quatenus Ecclesia diversa ratione hac potestate usa est, dum noluit hunc effectum per votum, quod in sacra ordinatione emittitur, aut per simplex votum castitatis in seculo servandum; voluit autem seu constituit, ut hunc effectum produceret votum *solemne* religionis, quod prius ad id non requirebatur, ut patet per exempla ex antiquitate ecclesiastica deprompta. In his enim nullam solemnem religionis professionem invenimus, sed propositum servandae castitatis, eiusque observantiam. Quia nempe nondum Ecclesia constituerat, ut per solum solemne religionis votum coniugium dirimeretur. Idque confirmat exemplo votorum

(47) Inter Extravagantes, seu Constitutiones viginti a Ioanne papa XXII. editas, tit. VI. *De voto et voti redemptione* an. 1332. Avenione. Apud Pithoeum tom. II. *Ius canon.* p. 381.

simplicium, quae a scholasticis Soc. Iesu emitti solent, quae olim vim non habebant dirimendi matrimonium subsequens, postea vero ex constitutione pontificia, eam vim adepta sunt (48). Hinc concludit ex sola Ecclesiae potestate derivandum hunc effectum de dissolutione coniugii rati et non consummati per professionem religiosam, quae iuris ecclesiastici est, saltem quoad solemnitatem,

Caeteri vero theologi nonnisi diversis verbis easdem hasce probationes evolvunt; nisi quod alii adiiciunt, hanc esse conditionem tacitam ab Ecclesia appositam celebrationi coniugii omnium fidelium. Siquidem Ecclesia eodem iure, quo potest constituere impedimenta matrimonium dirimentia, potuit conditionem apponere, ut matrimonium tamdiu dissolubile sit, quamdiu non fuerit consummatum. Et sic optime omnia, ut ipsi putant, explicantur, atque evanescunt difficultates, quae contra urgeri possent.

Ast eiusmodi conditio, quae recidit in superiorem, quam paulo ante expendimus, non afficit nisi modum, quem Ecclesia tenet, dum iuxta hanc sententiam sua utitur potestate, nec dici potest novum argumentum, seu nova probatio. Iam argumenta ipsa perpendamus.

Reponunt igitur adversarii : qui hanc tuentur sententiam, assumunt Ecclesiam praeditam hac potestate a Christo fuisse, nec tamen id evincunt. Quae enim ab ipsis proferuntur testimonia biblica, nimis vaga sunt, ac generalem collatam Ecclesiae potestatem solum respiciunt, non autem specialem, de qua disserimus, quaeque si urgerentur, plus evincerent, quam hi theologi vellent. Nam si id concludunt ex verbis : *Quodcumque ligaveris, quodcumque solveris*, quare ea extendere non possent etiam ad matrimonium consummatum ? Idem dic de aliis : *pasce agnos meos*.

Assumunt praeterea, Ecclesiam, dum matrimonium ratum dissolvit ob solemnem religionis professionem, usam esse po-

(48) Nempe Gregorii XIII. in Constit. *Ascendente Domino*.

testate sibi propria, quam a Christo accepit, et non potius se gessisse ut divini iuris interpretem. Hac enim in hypothesi omnia etiam exponuntur, quae a Suarezio dicta sunt de exemplis ex antiquitate depromptis, in quibus, ut plurimum saltem, non agitur nisi de proposito continentiae servandae, aut de ipsa observantia. Siquidem Ecclesia utpote divini iuris interpres iudicavit illis in casibus ius divinum dissolutioni contracti matrimonii favere. Alioquin intelligi non posset, quomodo tot seculorum intercapedine, quot a Christo ad nos usque fluxerunt, ne unum quidem afferri possit exemplum potestatis, qua usa Ecclesia fuerit respectu voti emissi ex occasione sacrae ordinationis aut simplicis continentiae.

Hac ratione, qui hanc sententiam impugnant, se extricant ab auctoritate Ioannis XXII. qui per *sacros canones* potuit designare interpretationem per eos canones exhibitam iuris divini. Si enim hic summus Pontifex persuasum sibi habuisset, posse id facere auctoritate sua, opus non habuisset tam longa discussione; satis enim ei fuisset auctoritate sua id constituere.

Verum haec sunt negativa, nec nisi indirecte hanc impetunt sententiam. Positive autem eam aggrediuntur hoc certe haud spernendo argumento. Si ab Ecclesiae potestate pendet constituere, ut professio solemnis religionis hunc effectum producat dissolvendi coniugia rata non consummata, in eiusdem pariter Ecclesiae potestate esset hunc ipsum effectum professioni religiosae demere; quod si hoc fiat, actum esset de veritate canonis dogmatici Tridentini, cui subesse aliquando falsitas posset. Hoc argumentum urget Benedictus XIV. quaest. DXLVI. n. 35. scribens : « Cessat indissolubilitas matrimonii rati in casu, » quo alter ex coniugibus professionem religiosam emittat, et » haec solubilitas originem habet a iure divino.... et clarissime » ostenditur ex can. VI. sess. XXIV. *De matr.* ubi anathema » profertur adversus asserentes matrimonium ratum non solvi » per professionem religiosam; si enim post hunc Tridentinum » canonem de fide est, coniugium ratum solvi per professionem,

» solubilitas debuit esse imposita a solo Deo, qui eam potuit fa-
» cere sempiterne veram, uti subtiliter argumentatur card. De
» Lauraea (49). »

Ex his facile est colligere, neque hanc sententiam suis destitutam esse difficultatibus, quas late urget Pontius, qui Vasquezii caeterorumque, qui eidem sententiae adstipulati sunt, discutit ac dissolvit argumenta, (50) prout et alii recentiores praestiterunt.

§. III.

De illorum theologorum sententia, qui solutionem vinculi matrimonii rati ob professionem religiosam repetunt a iure divino.

Hisce discussis, superest ut tertiam exploremus sententiam, illorum scilicet, qui ius, de quo agimus, a solo arcessunt iure divino eoque positivo. Hanc adstruunt Sanchez (51), Pontius (52), Tournely (53), Billuart (54), Collet (55), aliique fere omnes recentiores communi calculo, eique adhaesit Benedictus XIV. (56).

Eam porro evincunt tum negative, seu per exclusionem, tum positive. Negative quidem, quatenus eiusmodi ius, cum non possit deduci ex lege mere naturali, neque ex lege ecclesiastica, eo ipso ex lege divina positiva provenire dicendum est. Duo priora excludenda esse satis constat ex difficultatibus, quibus superiores sententiae urgentur, quasque nos exposuimus.

Positive autem idem evincunt illis omnibus argumentis, quibus hoc fidei dogma adstruximus adversus Protestantes, nempe

(49) *Quaest. canonic. et moral.* opp. ed. Venet. 1767. tom. XIII. part. II. pag. 128. Hoc eodem argumento, ut suo loco vidimus, usus est Pius VI. perstringens episcopum Motulensem et Pistorienses.

(50) *De matr.* lib. IX. cap. III. seqq.

(51) Lib. II. disp. XIX. n. 3.

(52) Lib. IX. cap. V.

(53) Quaest. V. art. 2.

(54) Disp. V. art. 2. §. 4.

(55) Cap. VII. art. 3. sect. 6. n. 396. et seqq.

(56) Quaest. cit.

ex traditione depromptis. Ex illis enim ostenditur iugiter in Ecclesia, quin origo assignari possit, viguisse hoc institutum, ut etiam post contractas nuptias ante corporum commixtionem, sponsus aut sponsa profiteri possent continentiam, ac separari invicem, altero etiam invito. Ecclesia autem nunquam ita se gerentes coëgit ad cohabitationem et torum. Nullum saltem in tota antiquitate contrarium documentum suppetit. Quamvis autem passim in allatis exemplis non legatur derelictum coniugem ad alia vota transiisse, imo de quibusdam contrarium legatur, attamen potuissent certe id facere, quemadmodum reipsa id fecisse nemine contradicente, novimus Ecgfridum, Angliae regem, qui Edildrida uxore eius monasterium ingressa, alteram duxit uxorem Ermemburgem, prout superius retulimus ex Beda et Thoma Eliensi (57).

Quam traditionem sectantes Rom. Pontifices eiusmodi dissolutionem decretis suis probavere, profitentes se hac in re permotos fuisse sanctorum exemplis; ac verba Christi : *Non licet viro uxorem suam nisi causa fornicationis dimittere*, de matrimonio consummato interpretati sunt, ut vidimus factum esse ab Alexandro III. cap. *ex publico, de convers. coniugat.* et ab Innocentio III. cuius pariter verba dedimus. Cum igitur hi pontifices nihil novi intulerint, sed quod iamdiu receptum erat, unice sanxerint, merito infertur ex antiqua traditione, eaque divina, hoc privilegium in favorem professionis religiosae, seu perfectionis evangelicae ad nos usque devenisse.

Id magis ex eo confirmatur, quod agatur de re maximi momenti, quae fidem moresque attingit; de re, quae ab immemorabili in Ecclesia universa obtinuit, eaque probante atque sanciente, quin ullus uspiam, qua late patet christianus orbis, reclamaverit. Quocirca divina auctoritate ita fuisse constitutum concedi deberet, etiamsi monumenta deessent, iuxta inconcussum illud Augustini principium : « Quod universa tenet Eccle-

(57) Cf. Pagi in not. ad Baronium an. 677. n. 12. Ubi notandum est ab Eddio Stephano in vita S. Wilfridi, Ecgfridum vocatum esse virum religiosum, nec ab ullo fuisse insimulatum ob secundas ab eo initas nuptias.

» sia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, » non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime credi- » tur (58). »

Atque huc spectat theoria, quam dedimus in nostris praelectionibus de distinctione inter traditionem et instrumenta seu media, per quae agnoscimus traditionem (59). Fieri enim potest, ut vigeat traditio, nec tamen omnia suppetant instrumenta ad illam cognoscendam, sive quia non omnia litteris aut monumentis consignata sunt, sive quia nonnulla eorum temporis decursu perierunt, sive aliis quibuscumque de causis. Verum hic defectus suppletur Ecclesiae praxi ac iugi seusu traditionali, qui facto ipso decurrit per saecula. Idque revera factum novimus in re de qua agimus, quamque ubique receptam ac invalescentem novimus quavis Ecclesiae aetate, quin, ut saepius diximus, originem deprehendere possimus.

Ne autem quidpiam in ambiguo relinquamus, multos offendit. quod a nobis dicatur divino posivito iure, eoque immediato constitutum fuisse, ut matrimonium ratum dissolvatur ob solemnem religionis professionem, cum tamen nonnisi serius et quidem ecclesiastica tantum institutione eiusmodi solemnitas inducta fuerit (60). Immo longe verisimilius est antiqua monachorum vota non fuisse nisi simplicia (61), nec vim habuisse dirimendi coniugia, prout primo constitutum est in conc. Lateranensi II. an. 1139. sub Innocentio II. celebrato, his verbis : « Statuimus.... quatenus monachi atque conversi » professi, qui sanctum transgredientes propositum uxores, » sibi copulari praesumpserint, separentur : huiusmodi nam- » que copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam » constat esse contractam, matrimonium non esse cense-

(58) *De baptismo contra Donatist.* lib. IV. cap. 24. n. 31. Opp. cit. ed. tom. IX. col. 140.

(59) Tract. de loc. theol. part II. sect. II. *De tradit.* n. 837.

(60) Nempe a conc. Lateran. IV. an. 1215. sub Innocentio III.

(61) Cf. Pontium lib. VII. cap. 22.

» mus (62). » Qui proinde ante id temporis post nuncupata vota nuptias inirent, id quidem illicite attentabant, ac poenis ita contrahentes subiiciebantur ; attamen nuptiae ipsae validae habebantur, prout multiplici auctoritate et exemplis adstruit Basilius Pontius (63). Quum igitur votorum solemnitas ecclesiasticae sit institutionis, votaque simplicia matrimonium invalidum non redderent, intelligi vix aut ne vix quidem potest, qua ratione ex divino iure positivo possit adstrui per professionem religiosam dirimi quoad vinculum coniugium ratum. Eo vel magis quod, ut vidimus, a Gregorio XIII. constitutum fuerit vota simplicia scholasticorum societatis Iesu vim habere dissolvendi matrimonium subsequens , quem effectum ante eiusmodi constitutionem minime producebant. Quae quidem omnia explanantur, si semel admittatur iure tantum ecclesiastico hunc effectum a religiosa professione proficisci.

Ast facile haec omnia diluuntur si in religiosa professione id quod ad eius substantiam spectat ab iis, quae accidentalia sunt, secernatur. Ad status religiosi substantiam pertinet professio trium evangelicorum consiliorum, qua quis se mancipat Deo in continentia perpetua, in abdicatione dominii, aut saltem usus bonorum temporalium (64), et obedientia legitimo spirituali superiori. Inter ea, quae accidentalia nuncupavimus, adnumerari debent, quas diximus, solemnitates seu formalitates, ut usus loquendi obtinet, et legales effectus, qui ex iisdem proveniunt.

Iam vero observatio evangelicae perfectionis, seu evangelicorum consiliorum semper in Ecclesia viguit, cum nunquam defuerint viri sancti, qui perpetuam servaverint, ac professi sint castimoniam, qui se bonis abdicarint, atque sub praelati seu superioris,

(62) Cap. VII. §. *Ut. Lex*, et refertur causa 27. cap. 40. in *Decreto* et apud Harduin. tom. VI. par. II. col. 1109.

(63) Lib. VII. capp. 14-15-16.

(64) Dixi, *in abdicatione saltem usus* ; siquidem non desunt, qui contendant, primis seculis religiosos voventes paupertatem retinuisse bonorum suorum dominium. Cf. Pontium lib. VII. cap. 13. Nunc autem exploratum est id probatum esse in non paucis religiosis ordinibus et congregationibus ab apostolica Sede, ita ut, qui votum emiserint paupertatis, possint bonorum suorum retinere dominium seu proprietatem vel ad tempus, vel etiam in perpetuum.

saltem episcopi, dependentia ac nutu vitam duxerint. Hi portionem electam constituerunt quavis aetate dominici gregis, etiam priusquam instituta monastica ortum in Ecclesia haberent. Plerique eorum, quorum exempla attulimus, ad hunc censum pertinent, ac tria recensita consilia evangelica sectati sunt. Ecclesia probavit horum institutum, seu vivendi rationem, atque utpote iugis ac viva interpres voluntatis Christi, declaravit eos ab ipso Christo auctos esse hoc privilegio, ut in gratiam perfectioris huius status, si quod inierint coniugium ante eius consummationem dissolveretur, ac pars derelicta ad novas iungendas nuptias libera permaneret.

Ne autem abusus irreperent, Ecclesia temporis decursu constituit, ut quaedam solemnitas hoc vitae genus muniret. Consistit autem eiusmodi solemnitas in duobus potissime, tum in perpetuitate extrinseca ex parte acceptantis, qua sublata est facultas praelato liberum dimittendi eum, qui voverit (65), et in *illegitimatione*, quae ex lege ecclesiastica accessit iisdem votis, qua redditur vovens inhabilis et ad matrimonia ineunda, et ad rerum dominia acquirenda, aut saltem ad eorumdem liberum usum habendum (66). His deinde accesserunt formalitates temporis, loci, ritus etc. quae illam solemnitatem comitarentur, ut actio tota iuridice legitima ac valida censeretur.

Qua solemnitate semel inducta, Ecclesia constituit, ut coniugia rata deinceps non dissolverentur nisi per solemnem in religione approbata professionem. In qua nihil novi Ecclesia induxit, sed conditionem tantum adiecit, qua certior fieret de professorum voluntate ac dispositione, ut possit iis privilegium a Christo concessum favere. Eo vel magis quod Ecclesia a Christo potestatem acceperit, ut suo loco ostendimus, moderandi contractum coniugalem naturalem uti materiam proximam sacramenti matrimonii, ac personas ipsas inhabiles reddendi ad contrahendum.

(65) Quod intelligendum est *per se*, ut aiunt; nam fieri potest, ut id praestare valeant praelati obtenta ad hunc finem a Rom. Pontifice auctoritate.

(66) Cf. Pontium loc. cit. cap. 9.

Hisce enucleatis, pronum iam est explanare propositam difficultatem. Nam etiamsi solemnitas cum adnexis formalitatibus serius a iure ecclesiastico inducta fuerit, tamen cum haec extrinseca sit et non afficiat substantiam professionis religiosae, potuit ipsa subsistere cum privilegio a Christo facto, antequam illa solemnitas ab Ecclesia institueretur. Apprime praeterea intelligitur, quomodo olim per vota simplicia irrita non fierent coniugia, quae post inductam solemnitatem iam irrita evadunt. Intelligitur insuper, quomodo interdum sola professio perpetuae continentiae absque voto expresso diremerit vinculum nuptiale, uti contigit ex. gr. in S. Thecla, S. Caecilia, S. Alexio aliisque eiusmodi, a quibus difficile omnino est ostendere emissum explicite fuisse votum sive castitatis, sive obedientiae, sive paupertatis, cum nihilominus perfectionem evangelicam inirent quoad suam substantiam, neque Ecclesia quidpiam constituisset, quo impedirentur privilegio Christi uti, hinc dissolutum ipsorum coniugium est. Intelligitur demum, quomodo Gregorius XIII. dum vim hanc tribuit votis simplicibus scholasticorum soc. Iesu dissolvendi coniugia, qua antea carebant, iure suo usus fuerit restituendi postremis hisce temporibus pro singulari hoc casu, quod obtinuit in Ecclesia longo seculorum tractu, praesertim cum agatur non iam de votis simpliciter privatis, sed aliquo modo publicis.

Quae cum ita sint, huic sententiae utpote solidiori, ac magis dignitati sacramenti prospicienti adhaeremus, quae nunc inter recentiores communis effecta est.

His expletis, accedere iam tuto possumus ad solutionem difficultatum, quibus veritas catholica impetitur tum a protestantibus, tum ab iis etiam, qui doctrinam orthodoxam profitentur, sed hac in re minus recte locuti sunt.

Articulus III.—De difficultatibus, quibus asserta a Tridentina synodo catholica veritas impugnatur.

Praemittimus catholicam veritatem a privatis theologorum placitis esse prorsus independentem, et quamvis nobis verisi-

milior visa fuerit sententia illorum, qui effectum hunc repetunt ex iure divino positivo atque immediato, quum tamen reiici absolute non debeant, utpote sua probabilitate haud destitutae illorum sententiae, qui aut a iure naturali aut a iure ecclesiastico adstruunt, catholicae veritatis vindices ad tuendam a novatorum impetu doctrinam catholicam promiscue uti possunt quavis hypothesi, cum nullam Ecclesia reprobaverit.

Qui itaque agressi sunt veritatem canonis VI. Tridentini pugnarunt ex Scriptura et traditione, quas contendunt nullum fundamentum dogmaticae huic definitioni praebere. Nam in Scripturis, inquiunt, non modo nullum verbum aut apex occurrit, quo adstrui possit solvi coniugium ratum fidelium per solemnem religionis professionem, sed contrarium potius adstruitur, dum ait Christus : *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* et insuper aperte declaravit : *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari* (67). Quibus verbis allusit Christus aperte ad id, quod Adam de matrimonio adhuc rato ac nondum consummato in paradiso protulerat : « *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae* (68). » His cohaerens Apostolus scripsit : « *Alligatus es uxori? noli quaerere* » *solutionem* (69) ; » et iterum : « *Mulier sui corporis potestatem* » *non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potesta-* » *tem non habet, sed mulier* (70). » Cum autem haec omnia de quovis coniugio sive consummato, sive non consummato verissime dicta sint, profecto nonnisi contra apertam Scripturarum auctoritatem adstrui potest coniugii rati per solemnem religionis professionem solutio.

Haec quidem ex Scripturis opponuntur; non est tamen quod his permoveamur; nam si spiritu privato Scripturae intelligi deberent, posset difficultas oriri; verum cum earum interpres

(67) Matth. V. 32.
(68) Genes. II. 24.
(69) I. Cor. VII. 27.
(70) Ibid. V. 4.

Ecclesia sit, quae eas alio omnino sensu intellexit atque interpretata est, omnis profecto difficultas evanescit. Simul ac enim Christus hoc privilegium profitenti perfectionem evangelicam sub Ecclesiae directione concessit, fieri non potest, ut obiecta loca contradicant Christi ipsius dispositioni. Ad eiusmodi autem contradictionem tollendam satis est ut allatos textus exponamus de matrimonio consummato.

Nihil vero est quod huic expositioni repugnet; et sane effatum Christi Domini : *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, de matrimonio consummato accipiendum esse patet ex occasione, qua illud Christus protulit, videlicet ad abolendum libellum repudii; nec non ex verbis immediate praecedentibus : « *Iam non sunt duo, sed una caro* (71).» Quod si quis instaret, etiam coniugium ratum fuisse a Deo coniunctum, adeoque ab homine sciungi non posse, reponimus iuxta sententiam tertio loco expositam, non ab homine, sed a Deo, nempe Christo, separari.

Idem dic de altero textu : *Omnis qui dimiserit uxorem suam* etc. Nam ex substrata materia et ex scopo Christi Domini evidens est in eo sermonem esse de matrimonio consummato, nec trahi ad rem nostram ullatenus posse.

Sic verba ab Ada prolata de lege universali matrimonii, quo fit ut coniuges sibi mutuo adhaereant, vitamque individuam vivant, accipienda esse, nemo est qui inficiari possit; nos autem agimus de casu exceptionali ac singulari, qui ex positiva Christi lege dependet, adeoque ea verba generalia perperam obiiciuntur. Eo vel magis quod neque Adae aetate, imo neque in veteri foedere exceptio, de qua loquimur, locum obtinuerit.

Apostolum disserere in utroque obiecto testimonio de coniugio consummato ac de communi lege apertum est, adeo ut supervacaneum sit id velle adstruere. Hinc urgeri contra hanc doctrinam ea non possunt. Verissimum quidem est per contractum coniugalem sive virum sive mulierem ius acquirere in

(71) Matth. XIX. 6.

alterius corpus, nisi alteruter a pacto resiliat, antequam alteri sui corporis copiam fecerit; at ius istud amittitur, cum quis privilegio sibi a Christo concesso ad perfectiorem vitam profitendam uti velit, antequam ad coniugii consummationem perventum fuerit.

Ita ea omnia concidunt, quae a novatoribus ex Scripturis urgentur, ut evincant canonem Tridentinum illis adversari, quae illum ne attingunt quidem.

Videamus iam num validiora sint, quae ex traditione promunt tela. Aiunt itaque, tam infirmam ac labilem nimis eam esse, ut ei inniti fidei dogma possit. Siquidem pleraque sanctorum exempla, quae ex antiquitate proferuntur, si ad critices lancem exigantur, multiplici ex capite deficere deprehenduntur. Etenim deficiunt ex parte fundamenti historici, cum illorum acta aut spuria sint, aut non satis gravi auctoritate fulciantur; eiusmodi ex. gr. acta sunt S. Theclae, Caeciliae, Alexii etc. Sed praeterea deficiunt ex parte rei, cum nuspiam referatur aliquem istorum a nuptiis seu potius sponsalibus resiliisse ad institutum religiosum profitendum, aut voto se obstrinxisse; quae tamen necessaria essent, ut ad catholicorum causam accommodari allata exempla possent. Deficiunt denique ex parte solemnitatis religiosae professionis, quae iuris ecclesiastici, adeoque humani est, et quidem nonnisi sequioribus seculis instituta; quo fit ut sancti illi antiqui hac de causa nequiverint sua coniugia dissolvere. Quapropter nunquam reperimus in seculo relictos, vivente priori coniuge, novas nuptias celebrasse, quod tamen ostendere necesse foret, ut vis aliqua probationis exinde erueretur. Omnibus igitur perpensis, aequo rerum aestimatori patebit nullum aliud fundamentum suppetere catholicis ad thesim suam fulciendam praeter Rom. pontificum decreta, quae nonnisi seculo XII. tandem edita sunt. Ecquis vero his fidat recentibus documentis ad traditionem divinam adstruendam, cum praesertim compertum sit ex decretorum istorum tenore pontifices illos permotos fuisse ad ea conficienda exemplis veterum sanctorum, quae, uti ostensum est, huc referri nequeunt, et de quibus dubitare

adhuc licet an recte se gesserint, cum non omnia sanctorum gesta, ut notum est, rectam agendorum regulam praebeant ?

Verum pleraque istorum argumentorum a nobis praeoccupata sunt, et ad ea dissicienda satis est constitutis principiis insistere.

Contra omnem veritatem assumitur traditionem nostram infirmam ac labilem esse, quum eam auspicati fuerimus a prioribus Ecclesiae seculis, et protraxeribus ad seculum usque XII. et deinceps a sec. XII. usque ad Tridentinam synodum, a qua hoc fidei dogma demum solemni decreto assertum est.

Deficere porro multiplici ex capite sanctorum exempla adversarii quidem affirmant, ast non evincunt, prout ex ipsorum inspectione facile ostenditur.

Ac primo non deficiunt ex parte fundamenti historici. Dum autem id dicimus, haud intendimus omnia probare, quae identidem a theologis, praesertim vetustioribus, congesta sunt ; critices enim arte nondum ad perfectionem adducta, non minus catholici quam protestantes, prout ipsorum lucubrationes anteactae illius aetatis palam faciunt, interdum offenderunt. Itaque his minus certis omissis, nos insistimus allatis exemplis, quorum fundamentum historicum iure in dubium revocare nequit (72).

Secundo non deficiunt ex parte rei ; quia etiamsi non legamus quemquam illorum, qui in seculo relicti sunt, novas iniisse nuptias, non inde sequitur, id eos non fecisse. Scriptores enim ecclesiastici solliciti unice fuerunt de referendis actibus virtutis eorum, qui Christi amore nuncium remiserunt seculo ad continentiae propositum servandum, quin persequerentur ea, quae parti alteri contigerunt. Caeterum vidimus Ecgfridum Anglorum regem novum reipsa iniisse coniugium sec. Ecclesiae VI. exeun-

(72) De Actis S. Theclae cf. quae scripsit Honoratus a S. Maria in op. *Reflexions sur les règles et l'usage de la critique*. Paris. 1713. tom. I. p. 178-295 et tom. II. p. 18. seqq. Acta vero S. Caeciliae non ita pridem vulgavit ac vindicavit D. Gueranger in op. *Histoire de sainte Cécile*. Deux ed. Paris 1853. Cf. praesertim ch. XXXV. seq. *Examen et réfutation des arguments de l'école janseniste contre les Actes de sainte Cécile* pag. 398 seqq. De Actis S. Alexii cf. Bollandianos loc. cit.

te, aut ineunte VII. nemine nedum reclamante, sed ne admirante quidem ; immo vero eumdem virtutis ac pietatis laude novimus commendatum. Argumento igitur est agi in hoc transitu ad secundas nuptias de re consueta, et communiter recepta.

Concedi utique potest in nonnullis sanctorum veterum exemplis incertum esse, num de sponsalibus tantum, an vero de nuptiis proprie agatur ; in aliis tamen de nuptiis presse sumptis procul dubio sermo est. Notum autem est penes veteres receptum passim fuisse, ut coniuges nomine sponsi aut sponsae nuncuparentur.

Tertio non deficiunt ex parte solemnitatis professionis religiosae, etsi solemnitas formali sensu accepta sequioribus tantum seculis ad abusus tollendos, aut praecavendos inducta sit ; professio religiosa quoad suam substantiam nunquam non obtinuit in Christi Ecclesia, ex quo nempe evangelica consilia ab hominibus perfectionis studiosis fuerunt in praxim deducta (73). Cum vero non modus profitendae evangelicae perfectionis, sed res ipsa sit, quae, ita Christo volente, coniugium ratum dirimat sub Ecclesiae directione, parum refert, quod modus iste antiquitus non obtinuerit. Hic defectus non impediebat, quominus professio religiosa ex se hunc produceret effectum. Dixi *sub Ecclesiae directione,* nam ipsius erat expendere, utrum omnes conditiones, concurrerent, quae requiruntur ad valide ac licite coniugium dissolvendum. Longe verisimilius est sanctos aut sanctas ab episcopi aut sacerdotis ad id constituti nutu in perfectionis proposito servando, et partem etiam relictam in novis celebrandis

(73) Cf. Suarez *De religione*, tom. III. lib. III. cap. 2. ubi apposite animadvertit « aliud esse loqui de statu religioso puro ac nudo, quoad ea quae substantialia » sunt ; aliud vero esse loqui de illo ut determinato ad certam regulam, seu » certum vivendi modum, vel quod perinde est, ut talibus circumstantiis vesti » tum. » Qua distinctione constituta, affirmat statum religionis secundum se, et quoad substantiam ab ipso Christo Domino immediate traditum et institutum fuisse, atque ita dici posse de iure esse divino non praecipiente, sed consulente. Quae quidem deinde et confirmat auctoritate gravissimorum virorum catholicorum, et Ecclesiae Patrum, atque pluribus rationibus evolvit et enarrat in totius capitis decursu.

nuptiis directos fuisse. Nec enim ista privatorum arbitrio dimittenda sunt.

Romani porro pontifices, uti iam monuimus, nihil novi intulerunt decretis suis, sed ea sanxerunt, quae antiquitus iamdiu in usu erant, ac dubia, quae a nonnullis excitata sunt, traditioni divinae innixi dissolverunt, ut ex eorumdem decretorum verbis manifestum est. Si qua Scripturarum effata opponi videbantur, ea interpretati sunt, et quo sensu intelligi deberent, exposuerunt. Si maturius eiusmodi dubia ipsis proposita fuissent, citius etiam ipsorum haberemus responsa, prout S. Gregorius M. respondit ad interpellationem quamdam, iuxta decreta legalia, id est iuxta leges non debere laedi in bonis suis desponsatam, quae ad Dominum converti voluerit, seu ad profitendam religionem in monasterium se conferre (74).

Iure autem summos pontifices in suis decretis innixos fuisse sanctorum veterum exemplis ostendimus, nec pluribus opus est. Ex Ecclesiae porro approbatione patet sanctos, qui ita se gesserunt, sancte omnino et ad evangelicae legis normam ea in re se gessisse, utpote qui coelesti instinctu ad id fuerint permoti, ut antiqui Patres loquuntur, caeteris huiusmodi exemplum imitandum proponentes.

Caetera, quae ex traditione obiici solent, causam non attingere, ex eo liquet, quod non ratum tantum, sed potius matrimonium consummatum respiciunt, cuiusmodi est epistola S. Gregorii M. ad Theoctistam Patriciam, in qua legitur : « Si dicunt causa » religionis coniugia debere dissolvi, sciendum est, quia etsi hoc » lex humana concessit, divina lex tamen prohibuit (75). » At ex orationis serie aperte constat S. Pontificem loqui de matrimonio consummato, quod utique ob religionis professionem dissolvi quoad vinculum nequit ; pergit enim paulo post adducta

(74) Lib. VII. epist. 23. ed. Maur. tom. II. col. 867. ubi agit de laudata Catelli sorore, quae, cuidam Stephano cum esset desponsata, Neapoli in monasterium se contulit ad vitam religiosam profitendam *divinae propitiationis instinctu*, ut ipse loquitur. Ubi obiter notandum adversarios aeque impugnare dissolutionem coniugii rati ac sponsalium ob ingressum in religionem.

(75) Lib. XI. epist. 45. ed. cit. col. 1130.

verba : « Scimus quia scriptum est : *Erunt duo in carne una.* » Si ergo vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir di- » mittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, » vel etiam fortasse ad illicita migrantem ; quae est ista conver- » sio, in qua una eademque caro et ex parte transit ad continen- » tiam, et ex parte remanet in pollutione? (76) » Quin potius ratione contrariorum videretur inferri posse ex S. Gregorii principio, quod cum nondum una caro effecti fuerint, liceret causa religionis coniugia dissolvere. Alludit autem per illa verba : *etsi lex humana concessit* ad Novellas Iustiniani imperatoris, quibus eiusmodi separatio religionis obtenta permittebatur (77), quas quidem leges merito S. Gregorius reprobat uti divinae legi adversantes.

Idem ferendum iudicium de eo, quod statuit Egbertus Eboracensis in capitulis a se vulgatis : « Legitimum coniugium non » licet separari sine consensu amborum, potest tamen alter alteri » cum consilio episcopi licentiam dare ad servitutem Dei ac- » cedere. Quidam etiam dicunt, si vir, sive mulier ex consensu » religionem ceperit, licet alterum accipere novum coniugium, » sed puellam vel puerum, si continens esse non poterit. Quod » non laudo. Sed si quis vult coniugatus converti ad monaste- » rium, non est recipiendus, nisi prius a coniuge, castimoniam » profitente, fuerit absolutus. Nam si, illo vivente, per incon-

(76) Ibid.

(77) Novell. 22. *De nuptiis* ubi de causa repudiorum, item lib. V. cod. tit. 17. et in Digestis tit. *De divortiis*; nec non Novell. 123. *De sanctissimis episcopis*, praesertim cap. 40. *Solvatur matrimonium*. Ex quibus legibus factum est, ut Graeci quandoque sua coniugia dissolvant etiam consummata ad profitendam vitam monasticam. Hi innituntur praeterea auctoritati, ut ipsi contendunt, S. Basilii, qui in *Regulis fusius tractatis. Interrog.* XII. constituit, ut qui matrimonio functus est, atque monachus fieri vult, possit se in monasterium recipere, etiamsi assensum suum uxor dare detrectet. Item exemplo Theonae abbatis, de quo refert Cassianus collat. XXI. cap. 9. quod cum in coniugio per quinquiennium constitisset, demum uxore repugnante, ea relicta ad monasterium convolaverit, in quo adeo sancte vixit, ut miraculis claresceret. Ast perperam. Cf. Bellarm. lib. II. *De monach.* cap. 38.

» tinentiam alteri nupserit, procul dubio adultera erit, et qui » eam dimisit, participes erit peccati illius (78) : » Nam hoc in capitulo de matrimonio consummato hunc episcopum agere inde colligitur, quod loquatur de eo, quod contingere consuevit, non autem de casu exceptionali, cuiusmodi est coniugium ratum et non consummatum; siquidem necesse non est, ut cum coniugium ratum dissolvitur religionis causa, qui manet in seculo continentiam profiteatur; ut vult Ecgbertus, sed potest alium sibi coniugem libere comparare. Ut omittam notum profecto fuisse episcopo Eboracensi, quod factum fuerat seculo vix anteacto ab Angliae rege Ecgfrido (79).

Quod si episcopus Veronensis, de quo sermo est in cap. 7. *Ex publico, de convers. coniugat*, excommunicatione multavit coniugem, quae nondum consummato matrimonio religionem ingredi constituerat, per ignorantiam id fecisse dicendus est, eiusque sententiam Alexander III. irritavit contrarium sanciens (80). Exinde patet, nihil sive ex Scriptura sive ex traditione opponi posse, quod catholicam doctrinam infirmet.

Reliquum igitur est ut ea dissolvamus, quae pseudo Maldonatus cum aliis catholicis opposuit deprompta ex natura ipsius matrimonii ac sacramenti, quibus adnectimus, quae ex iisdem fontibus a novatoribus arcessuntur.

Itaque verissimum esse fatemur, matrimonium ratum a consummato *natura* non differre; at ex divina dispositione differunt quoad *effectus*. Siquidem coniugium fidelium consummatum ita indissolubile est, ut nullo unquam in casu eius vinculum abrumpi possit, quamdiu alter coniugum in vivis est. Contra vero matrimonium ratum locum praebet dissolutioni, ita Deo volente, ad perfectius institutum consectandum in solemni religio-

(78) Cap. CXVIII. apud Labb. tom. VI. Conc. col. 1576. nec non apud Wilkins *Concilia Magnae Britanniae et Hiberniae*. Londin. 1737. tom. I. in Excerptis D. Ecgberti arch. Eboracens. cap. CXX. pag. 108.

(79) Et hoc in hypothesi de genuina collectione canonum, quae sub Ecgberti Eboracensis nomine circumfertur : nam et hoc nunc a criticis negatur.

(80) Lib. III. *Decretal.* tit. 32.

sae vitae professione. Quod quidem, ut superius exposuimus, ab extrinseco provenit, seu a voluntate divina.

Fatemur pariter, si lubet, Christum de matrimonio etiam rato dixisse : *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* verum contendimus hoc in casu non hominem, sed Deum ipsum separare, quod ipsemet coniunxerat. Hoc enim sibi reservavit ad promovendam evangelicam perfectionem, quam ipse proposuit.

Rursum et illud ultro concedimus, in matrimonio rato alterum coniugem alteri tradere sui corporis potestatem; hanc enim complectitur consensus mutuus, quo perficitur coniugale foedus. Ast contrahentes hanc praebent potestatem adnexam privilegio sibi divinitus facto resiliendi a contractu, eamque revocandi religiosae perfectionis intuitu, neque ad hoc indigent alterius consensu, cum independenter ab eo uti valeant iure suo, seu sibi a Christo concesso. Dum enim ipsi contrahunt, eadem ratione, qua se obligant mutuo ad onera, quae huiuscemodi status sunt propria, sic iuribus omnibus donantur, quae ex Dei voluntate eidem adnexa sunt, inter quae et illud recensetur, quo de agimus.

Quartum argumentum redit in illud, quod modo expendimus, adeoque eadem aptari debet responsio. Pactum enim solemne ac solemne votum induunt naturam rei, de qua pactum initur, atque obiectum est voti. Si igitur matrimonium ratum hoc privilegio, de quo disserimus, divinitus auctum est, patet pactum solemne minime officere solutioni a Deo decretae.

Demum non abnuimus, matrimonium ratum vere et proprie sacramentum esse, et S. Augustinum hac de causa coniugium christianorum prae caeteris esse indissolubile quoad vinculum docuisse. Haec tamen catholicae non officiunt doctrinae. Nec enim hoc sacramentum aliquem imprimit characterem, neque tale est ut suspendi aut tolli etiam interdum non possit eius effectus. Ex eo quod matrimonium sive ratum sive consummatum sit sacramentum, fit ut gratiam sacramentalem producat

ad munera status coniugalis rite obeunda, et, quantum ex se est, reddat nuptiale foedus permanens ac insolubile, et hoc est quod S. Augustinus docuit, quia est signum efficax gratiae ad vivum repraesentans unionem Christi cum Ecclesia. Verum hoc non impedit quominus *ab extrinseco*, uti expositum est, nempe Dei voluntate positiva, hoc sacramentum quamdiu matrimonium consummatum non est, effectum producat indissolubilitatis perpetuae, sed dissolvatur per solemnem religionis professionem.

Ex his patet necesse nobis non esse ad solvendam difficultatem statuere cum nonnullis theologis, sive quod matrimonii rati significatio diversa sit ab ea, quam prae se fert consummatum; quod scilicet per illud significetur coniunctio Christi cum anima fidelium per gratiam, quae dissolubilis est, per istud vero Verbi cum humanitate per unionem hypostaticam, aut per charitatem cum Ecclesia, quae prorsus indissolubiles sunt; sive quod matrimonium ratum non sit adeo perfectum, quale est consummatum (81); sive denique quod ratum coniugium ineatur sub conditione, qua deficiente, transeat in absolutum. Haec quidem sunt praeclare dicta, at non plene satisfacere videntur, sive quia haec non destruunt rationem sacramenti, sive quia S. Augustinus ad eiusmodi distinctiones non recurrit, sive quia non admodum solide videntur constituta.

(81) Bellarminus lib. II. *De monachis* c. 38. n. 24 seqq. scribit: «Sacramentum matrimonii triplicem habet significationem. *Primo* significat gratiam invisibilem, sive coniunctionem Christi cum anima; *secundo* coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatem; *tertio* coniunctionem Christi cum Ecclesia per naturae conformitatem. Ex quibus matrimonium ratum habet solum primam, ut docet S. Thomas in 4. d. 27 q. 1. art. 3. q. 2. ad 1. et Innocentius III, cap. *Debitum de digamis*. Quae significatio sufficit ad constituendum verum sacramentum; sed ea non facit matrimonium insolubile. Nam illa coniunctio Christi cum anima non est insolubilis, ut patet; matrimonium autem consummatum habet alias duas; » prout ibidem ostendit; deinde concludit: n. 26. « Matrimonium ratum esse verum sacramentum, sed non perfectum *quoad omnem significationem*. » Ast haec non omnibus probantur. Nam matrimonium ratum significat etiam unionem Christi cum Ecclesia per charitatem; eiusmodi autem coniunctio indissolubilis est; nec enim unquam potest Christus ab Ecclesia sua separari. Verum hoc alii viderint.

Quidquid porro de hoc sit, ex eo quod dixerimus, per hoc sacramentum non imprimi characterem, intelligimus quomodo, dissoluto primo coniugio tantum rato, possit coniux, qui relictus est, novum cum alio celebrare connubium, vivente adhuc coniuge, quem antea duxerat.

Post haec nullius est negotii caeteras difficultates persequi ac solvere, quae a novatoribus urgentur ; uti cum dicunt : Si matrimonium ratum solvi posset, quia Deus ad statum perfectiorem vocat, solvi idem poterit per votum etiam simplex continentiae, cum et hoc sit de meliori bono; nec alio se obstrinxerunt voto sancti veteres, quorum exempla allata sunt. Insuper ratio afferri nequit, quare professionis religiosae intuitu solvi possit matrimonium ratum, non autem consummatum ; cum idem motivum in utroque vigeat. Sane utrumque matrimonium essentialiter in eo convenit, quod sint ambo maritalis coniunctio individuam vitae societatem retinens, quae quidem societas individua nonnisi morte absolvitur. Exqua definitione utrique coniugio communi patet, utrumque esse penitus indissolubile tum iure naturali tum iure divino. Quod autem tale est, profecto nulla humana auctoritate aut humana institutione, cuiusmodi est solemnis religionis professio, dissociari potest. Demum non intelligitur, quomodo solvi possit per solemnem religionis professionem matrimonium ratum, solvi autem nequeat per ordinum sacrorum, praesertim vero presbyteratus et episcopatus susceptionem, qui hominem constituunt in statu longe perfectiore.

Prima difficultas disiicitur concedendo adversariis nihil repugnare per se, quod etiam simplex votum continentiae posset dissolvere coniugium ratum ; quandoquidem Christus generatim hoc indulsit profitenti perfectius vitae institutum ; cum tamen Ecclesiae suae potestatem tribuerit regendi fideles in actis suis et in praxim deducendi hoc privilegium in casibus particularibus, ut omnia ordinate fierent, Ecclesia pro diversis rerum ac temporum adiunctis ita rem temperavit, ut ex una parte hoc privilegium obtineret effectum, ex altera vero praecaveret abusus, qui

ex parte privatorum gliscere ac obrepere poterant. Iuxta hoc principium Ecclesia constituit, ut diversis temporibus diversa obtineret disciplina.

Nam primum probavit dissolutionem coniugii rati per solum discessum alterutrius contrahentis, qui sese vellet perpetua continentia, atque abdicatione omnimoda bonorum temporalium, ac dependentia a legitimis pastoribus perfectius Dei famulatui mancipare. Difficile sane est ostendere, quod veteres sancti solemni aliquo voto se obstrinxerint; coniicitur quidem ac praesumitur id eos fecisse, ast non probatur, cum deficiant hac de re documenta. Postea vero, cum introduci coeperint monastica instituta, Ecclesia exegit ab iis, qui matrimonio tantum rato coniuncti erant, ut si vellent hoc solvere, monasticum institutum professione religiosa amplecterentur, quae tamen monastica professio, uti iam diximus, nonnisi vota simplicia complectebatur. Progressu autem temporis eadem Ecclesia demum constituit ad praecavendos abusus, ut Christi favore in dissolutione eiusmodi coniugiorum nonnisi illi fruerentur, qui in aliqua religione approbata vota solemniter nuncuparent. Hanc vero determinationem concilium Tridentinum sancivit canone suo: et Gregorius XIII. declaraverit, hunc ipsum effectum parere vota simplicia a scholasticis in societate Iesu emissa: atque hoc pacto etiam per votum simplex reipsa coniugium attentatum dirimitur.

Hac ratione omnia componuntur, quae de antiquioribus sanctis, de voto simplici, de solemni professione religiosa dicuntur. Nunc iterum in mentem revoco in professione religiosa secernendam esse rei *substantiam* ac *modum*: quoad substantiam ea a Christo provenit, quoad modum ab Ecclesia. Haec duo permisceri inter se nequeunt, uti adversarii facere consueverunt, dum aiunt, quod est divinae institutionis non posse irritum fieri ab humana potestate. In quo ipsi triplici ratione peccant, dum assumunt perfectius vitae genus, quod a viro religioso suscipitur, esse institutionis humanae, cum sit institutionis divinae; dum

pariter assumunt ab Ecclesiae auctoritate provenire, quod professio religiosa solvat coniugium ratum, cum id statutum sit a Christo (82); dum denique permiscent rei substantiam in professione religiosa cum eo, quod in eadem adscititium est, nempe cum solemnitate, quae certe ab Ecclesia suam originem repetit.

Altera difficultas ex eo petitur, quod ratum solummodo, non vero etiam consummatum matrimonium religiosa professione solvatur: sed haec quoque evanescit, si ratio habeatur divinae voluntatis, quae aliter constituit, prout Ecclesia illius interpres iugiter professa est; et si aliquando id attentatum fuerit, constanter reprobavit, praesertim cum apud Graecos hic abusus pariter ob leges imperiales inolevit solvendi ob monasticam professionem coniugium consummatum (83). Sane id patet tum ex antiquo auctore epistolae ad Celantiam inter Hieronymianas recensitae, qui acriter matronam hanc arguit, quod absque mariti consensu continentiam vovisset (84); tum ex S. Augustini epistola ad Armentarium et Paulinam, ubi Armentarium ad servandum continentiae votum, quo se obstrinxerat, hortatur, vetat autem illud servare, si eius uxor suum non praebeat assensum, adiiciens: « Nam et vovenda talia non sunt a coniuga» tis, nisi ex consensu et voluntate communi. Et si praepropere » factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persol» venda promissio (85) » Eadem repetit S. Pater in epist. ad

(82) Reipsa Chemnitius in *Examin. conc. Trid.* ad. can. V. (siquidem ipse canonem VI. sub num. V. posuit), utrumque uti certum assumit.

(83) Id enim invenimus constitutum, uti iam diximus, in Novella 22. Iustiniani *De nuptiis* ubi de iure repudiorum. Item lib. 5. cod. tit. 17. et in Digestis tit. *De divortiis.* Insuper in Novella 123. *De sanctissimis episcopis*, cap. 40. *Solvatur matrimonium.* Idque postquam Photius suo *Nomocanoni* leges imperiales tamquam partem iuris canonici inseruit; prout factum est circa dissolutionem coniugii ob adulterium. Exinde enim omnis mali labes penes Graecos repeti debet.

(84) Haec epistola ab Erasmo, et ab editoribus Maurinis adscripta est S. Paulino: contra vero Vallarsius eam tribuit Sulpicio Severo, qui fuit SS. Hieronymo et Paulino coaevus. Cf. huius editoris adnotationem. Eam exhibet immediate post epistolas S. Hieronymi genuinas sub num. CXLVIII.

(85) Epist. ed. Maur. CXXVII. n. 9.

Ecdiciam (86) ; tum ex S. Gregorio M. in cit. epistola ad Theoctistam, atque ex S. Basilio qui disserens de admittendis ad profitendam vitam monasticam ita scribit : « Atque ii etiam , » qui matrimonio coniuncti, ad huiusmodi vitae genus accedunt, » interrogandi sunt, *an mutuo consensu id efficiant*, ex Apostoli » praecepto. *Nam*, inquit, *sui corporis potestatem non habet*, » sicque qui accedit, coram pluribus testibus recipiendus est... » Quod si dissentiat altera pars, repugnetque, quod minus sol- » licita sit, quomodo placeat Deo, in mentem veniat illud Apos- » toli dicit : *In pace autem vocavit nos Deus* (87); » nec non ex conciliis ac summis pontificibus, quorum decreta relata sunt a Gratiano causa XXVII. q. 2. et in Decretalibus lib. III. tit. XXXII. (88).

Licet autem, prout dicitur in tertia difficultate, utrumque coniugium tum ratum, tum consummatum quoad essentiam conveniant, ac utrique aptari debeat matrimonii definitio, quod in perpetua vitae consuetudine retinenda consistat, pro diverso tamen stadio maiorem vel minorem obtinent firmitatem ex Dei dispositione. Ad eum enim modum, quo Deus in veteri lege, non obstante data definitione, constituit ut matrimonium consummatum, ad deterius malum vitandum, dissolvi posset per libellum repudii, in nova constituit, ut possit dissolvi matrimonium ratum perfectioris vitae sectandae causa. Et quemadmodum per mortem corporalem abrumpitur vinculum carnalis coniugii , ita per mortem spiritalem spiritualis coniunctio dirimitur.

In quarta difficultate petita ex indissolubilitate matrimonii iure divino ac naturali latet aequivocatio. Siquidem coniugalis foederis indissolubilitatis est quidem utrique iuri conformis, ac etiam, si lubet, in utroque iure fundata; ast non est adeo utroque iure ita imperata, ut dissolutio intrinsece mala dici

(86) Epist. CCLXII. n. 9. et 10.

(87) *Regulae fusius tractatae. Inter.* XII. Opp. ed. Maur. tom. II. pag. 554.

(88) In Decreto Gratiani l. c. a cap. 21 ad 26. In Decretalibus vero cap. 2. 3. 4.

debeat utpote contraria primariis utriusque principiis. Alioquin Deus nunquam potuisset dare dispensationem, aut permittere, ut licite aliquando dissolveretur. Iam vero constat Deum et in antiquo foedere matrimonio etiam consummato solutionem indulsisse, et in novo pariter permittere solutionem coniugii in infidelitate contracti. Quod si ita est, patet omnimodam indissolubilitatem neutro iure firmari, adeoque rite nonnullis in casibus ita Deo volente posse coniugium dissolvi; porro unus ex his casibus est matrimonium ratum, ex quo aliquis transitum facit ad solemnem religionis professionem.

Ut postremae difficultati satisfiat, sufficit animadvertere continentiam extrinsecam esse sacris ordinibus, qui constare possunt cum et sine illa, nec nisi Ecclesiae lege eos ordines suscipientibus illam impositam esse iustissimis de causis, ut suo loco ostendimus (89). Per se autem non repugnat status coniugalis cum his ordinibus, neque cum statu sacerdotali nominatim, ut patet, caeteris omissis, ex ecclesiae Graecae disciplina. Contra vero religiosae professionis essentia etiam in continentiae professione consistit. Hac ratione optime intelligitur, quomodo dissolvatur matrimonium ratum per professionem religiosam, non autem per sacrorum ordinum susceptionem, quae cum illo natura sua non repugnat.

Ad episcopalem statum speciatim quod attinet, comparatum cum statu religioso, eam questionem pluribus expendit eximius Suarez, qui utrumque statum distingui affirmat ex eo quod status religiosus sit status perfectionis acquirendae, status vero episcopalis sit perfectionis communicandae. Ex quo infert statum religiosum non modo instructum esse oportere mediis idoneis ad perfectionem comparandam, verum etiam ad obstacula removenda, quae illi acquisitioni obsistere, seu illam impedire possent. Contra vero nihil horum postulat status episcoporum, qui supponitur perfectus, et cum quo cohaerent magnus honor, superior potestas et minor subiectio, ac rerum temporalium

(89) In Tract. *De ordine*, cap. V. prop. II.

possessio tamquam media apta ad proprium munus exercendum, supponuntque excellentiorem perfectionem in eo, qui ad talem statum ascendit. Cum igitur inter media idonea ad perfectionem acquirendam consiliorum evangelicorum observatio sit, nimirum castitatis, subiectionis et abnegationis bonorum temporalium, fit ut status religiosus natura sua componi nequeat cum statu coniugali, ast idem dici nequit *ex se*, ut animadvertimus, de statu episcopali, cui Ecclesia sola continentiam alligavit. Exinde dignoscitur quod quamvis status episcopalis, atque etiam, si ita placet, status sacerdotalis perfectiores *per se* sint statu religioso, tamen per hunc dirimatur coniugium ratum, non item vero per illos (90).

ARTICULUS IV. — De Romani pontificis auctoritate circa solutionem coniugii rati alias ob causas praeter solemnem religionis professionem.

Difficilem prima fronte salebrosamque attingimus quaestionem, circa quam theologi in diversas dilabuntur sententias non modo antiqui, verum etiam recentiores; alii autem ob difficultatem, quam ea prae se fert, insolutam relinquunt. Agitur enim de auctoritate Rom. pontificis ad concedendam dispensationem in coniugali vinculo matrimonii rati et non consummati alias ob causas praeter solemnem religionis professionem, de qua hactenus sumus loquuti. Quam quidem auctoritatem alii Rom. pontifici denegant, alii eamdem ipsi vindicant. Nec desunt gravia pro utroque placito rationum momenta, quae expendere opus est, ut collatis inter se, et eorum iudicio facto, quid tenendum sit, statuere valeamus.

(90) Cf. Suarez *De religione*, part. II. lib. I. a cap. XIV. ad XX. ubi universum hoc argumentum expendit fuseque persequitur de statu religioso ad statum episcopalem comparato. Notandum tamen, fuisse singularem opinionem card. Ostiensis in *Summa*, eadem pollere vi sacrum ordinem ac professionem religiosam ad solvendum matrimonium ratum. Ast haec doctrina directe opponitur Constitutioni Ioannis XXII. *Antiquae de voto*, quam superius allegavimus, adeoque nullum habuit adstipulatorem. Cf. etiam Bellarm. lib. II. *De monachis* c. 38. n. 13 seqq.

§. I.

Argumenta, quibus utriusque sententiae negantis et affirmantis patroni utuntur.

Omissis antiquioribus theologis, quorum elenchum adstruxit Sanchez (91), quique *probabilissimam* illorum sententiam vocat, qui dispensandi facultatem denegarunt Rom. pontifici, ex recentioribus eamdem doctrinam profitentur Pontius (92), Silvius (93), Tournely (94), Drouin (95), Collet (96) et alii.

Argumenta, quibus innituntur haec sunt. 1. Si Rom. pontifices hac praediti fuissent a Christo potestate, ea ab initio ac deinceps usi essent; atque nunquam usque ad Martinum V. (97) ea facultate adeo necessaria, Ecclesiaeque utili sunt usi; nempe usque ad seculi XV. initium; argumento igitur est ineluctabili, ea praeditos non fuisse.

2. Ut adstrueretur Rom. pontifici eiusmodi potestas, verbo Dei scripto, aut tradito id deberet confici; porro neque ex Scriptura, neque ex traditione aliquod suppetit testimonium. Non ex Scriptura, quae de hoc omnino silet; siquidem Christi verba ad Petrum directa: *Quodcumque solveris, quodcumque ligaveris* urgeri nequeunt; nimis enim probarent, posse videlicet Rom. pontificem etiam solvere fidelium coniugium consummatum, quod nemo dixerit. Non ex traditione; nullum enim uspiam apparet huius potestatis vestigium aut in Patribus aut in conciliis, aut in aliis traditionis fontibus, e quibus hauriri id possit.

(91) Lib. II. disp. XIV. n. 1.

(92) Lib. IX. c. 3.

(93) *Comment.* in 3. part. 5. Thomae quaest. LXI. art qu. 2.

(94) Quaest. V. art. 2. concl. 5.

(95) Lib. IX. c. 3. §. 3. q. 6.

(96) Cap. V. sect. VII. n. 433 seqq.

(97) Quae enim ante Martinum V. a nonnullis proferuntur huius dispensationis exempla, uti S. Gregorii VII. quoad comitem Mathildem, et Alexandri III. extra rem sunt.

3. Verum, dato etiam, quod Rom. pontifex eam a Christo potestatem acceperit, hac in hypothesi eiusmodi potestas esset humana sive ecclesiastica, cuiusmodi est illa, qua ipse solvit quempiam a voto, iureiurando, aliisque id genus plurimis; iam vero per ecclesiasticam potestatem dispensari nequit in eo, quod est divinae institutionis, qualis est indissolubilitas matrimonii rati.

4. Sane matrimonium ratum quoad essentiam idem est ac matrimonium consummatum iuxta tritam matrimonii definitionem : *viri ac mulieris legitima coniunctio individuam vitae societatem retinens :* adeoque firmitatem habet indissolubilem tum iure divino tum iure naturali. Ex iure quidem divino, quia, ut loquitur Tridentinum sess. XXIV. «Perpetuum, indisso-»lubilemque nexum matrimonii primus humani generis parens »divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit : Hoc nunc os »ex ossibus meis etc. » Et Catechismus Rom. subdit : «Siqui-»dem Salvator ait : quod Deus coniunxit, homo non separet. »Quamvis enim matrimonio, quatenus naturae est officium, »conveniat, ut dissolvi non possit etc. (98).» Ex iure igitur naturali prout coniugium officium naturae est, ac prout eiusdem postulat definitio, et quia prolis educandae studio, et aliis eiusdem bonis repugnat, ut eius vinculum dissolubile sit, uti prosequitur Catechismus Romanus (99).

5. His accedit, quod matrimonium fidelium ratum sit sacramentum; haec porro sacramenti ratio maiorem addit firmitatem coniugali vinculo. Hinc postquam Catechismus Rom. adstruxit coniugii indissolubilitatem provenientem ex iure divino ac naturali, subdit : «Id maxime fit, quatenus est sacramentum, qua »ex re etiam in omnibus, quae naturae lege eius propria sunt, »summam perfectionem acquirit (100).» Qui autem fieri potest, ut Romanus pontifex dispenset in eo, quod indissolubile prorsus est tum naturali, tum divino iure, tum ratione sacramenti?

(98) *De matrim. ut sacram.* cap. VIII. sect. I. n. 11.
(99) Ibid.
(100) Ibid.

6. Id quod potest frequenter solvi, non est insolubile; iam vero si matrimonium ratum potest per dispensationem pontificiam solvi, potest frequenter solvi, adeoque non est insolubile; sane quod possit eiusmodi coniugium a pontifice frequenter solvi ex eo patet, quod frequenter possint causae proponi, quae animum dispensare valentis moveant. Hinc quidam scribunt, Gregorium XIII. uno die cum undecim dispensasse. Est autem apud omnes in confesso matrimonium esse insolubile, sive sit consummatum sive ratum tantummodo; ergo solvi nequit per dispensationem.

7. Hoc, quod posterius dictum est, ex eo confirmatur, quod vinculum voti aut iuramenti eius etiam, quod per solum pontificem potest solvi, non est insolubile, et hoc ideo quia potest per dispensationem pontificiam solvi; ergo nec vinculum coniugii rati erit insolubile, si posset similiter solvi.

8. Non potest summus pontifex statuere, ut matrimonium ratum solvatur per unum aliud, quod fuerit consummatum. Ergo nec potest per dispensationem illud solvere: eiusdem siquidem est potestatis solvere, et casum, quo solvatur, statuere.

9. Quod si nonnulli pontifices matrimonium quandoque ratum solverunt, dicendum est, eos hac agendi ratione secutos fuisse sententiam probabilem, et apud iuris canonici peritos communem: quod in re obscura ipsis licuit; et illi, quibuscum sic fuit dispensatum ex iusta causa, tuti fuerunt (101). Non defuerunt tamen alii pontifices, qui existimarent se tali potestate non pollere, ut

(101) Huc referuntur, quae animadvertit Bossuetus *Hist. des variat.* liv. VII. n. 50. et 62. ex occasione dispensationis a Iulio II. concessae Henrico VIII. ad ducendam uxorem defuncti fratris sui Arcturi: « Ces matières de dispense se »règlent souvent par *de simples probabilités*; et on n'est pas obligé d'y re»chercher la certitude de la foi, dont même elles ne sont pas toujours »capables... Qu'il y ait pu avoir sur cette matière quelque diversité de senti»ments, c'est assez qu'il ne fût pas évident que la dispense fût contraire aux »lois divines, auxquelles les chrétiens sont obligés. Cette matière était donc »de la nature de celles où tout dépend de la prudence des supérieurs, et dans »lesquelles la bonne foi doit faire le repos des consciences. » Ed. de Versailles tom. XIX. pag. 447. et 454 seq.

Innocentius III. cap. *Ex parte* tit. *De convers. coniugat.*, ubi respondet matrimonium inter legitimas personas contractum, illis viventibus nullo casu posse dissolvi, nisi vel ex revelatione divina, vel si per carnalem copulam consummatum non fuerit, per alterius professionem in religione. Censebat igitur in matrimonio etiam non consummato dispensationem pontificiam nihil posse quoad eius diremptionem. Idem sensisse Alexandrum III. ex conc. Lateranensis parte VI. c. 8. colligi potest, prout Pontius egregie illud expendit. Idem constat de Adriano VI. de quo refert Dom. Soto, quod cum ab eo huiusmodi dispensatio postulata esset, oblataque fuerit sententia Caietani, demiratus est, virum theologum hoc sibi in animum inducere potuisse : et ideo improbis, inquit, precibus succumbens, respondit se dare quod posset, sed tamen credere nihil posse (102).

Quae cum ita sint, concludit Auctor *De re sacramentaria :* « Neminem, qui vere theologus fuerit, a doctrina Ecclesiae » exempla talia (Rom. pontificum) dimovebunt; tum quia incerta » penitus sint ; tum quod disciplina divinitus constituta factis » contrariis convelli non possit (103). »

Affirmantem autem sententiam propugnant haud minoris auctoritatis theologi, Sanchez (104), Suarez (105), Bellarminus (106), Salmanticenses (107), Kugler (108), aliique passim, praecipue vero Benedictus XIV. (109), una cum canonistis pene omnibus (110).

Hi porro inversa, ut ita dicam, ratione ac via procedunt ad hanc adstruendam sententiam. Hoc enim argumentum instituunt. Certum est ab aliquot saltem seculis Romanos ponti-

(102) Dist. 27. q. I. art. 4.
(103) Drouin loc. cit.
(104) Loc. cit.
(105) Loc. cit.
(106) Lib. II. *De monachis*, c. 38. n. 22.
(107) Cap. IV. n. 61.
(108) Quaest. XXIII. n. 1692.
(109) *Quaest canonic.* Quaest. XXIV. CVIII. CCCCXLXXIX. et alibi.
(110) Horum prolixum catalogum exhibet Sanchez lib. II. disp. XIV. n. 2.

fices, nunquam Ecclesia reclamante, dispensasse a vinculo matrimonii rati. Ergo hac debuerunt esse a Christo Domino praediti potestate in Ecclesiae bonum ac utilitatem.

De prima affirmatione, seu de antecedente nullum nunc dubium superesse potest. De Martino V. et Eugenio IV. fatentur adversae sententiae theologi, ipsos dispensasse in matrimonio rato, fulti gravi testimonio S. Antonini (111), nec non de Paulo III. et Pio IV. auctoritate innixi Navarri (112), ac de Clemente VIII. Urbano VIII Gregorio XIII. idoneis pariter testimoniis permoti, ut de insequentibus pontificibus sileamus.

Satis nobis sit verba exscribere Benedicti XIV. quibus uti certam hanc potestatem et praxim assumit dicens: « Cessat » quoque indissolubilitas matrimonii rati in aliis omnibus casi- » bus extra professionem religiosam, in quibus summus ponti- » fex, iustis et gravissimis de causis, censet eius dissolutioni » esse locum, ita suadente Tridentino, ita exposcente observan- » tia, ita demum convincente continuata plurium seculorum » praxi Sedis Apostolicae, ex quibus interpretatio iuris divini » optime colligi potest (113); » et alibi iterum scribit: « Nullam » de potestate summi pontificis moveri amplius posse quaestio- » nem in eo, quod attinet ad dispensandum super matrimonio » rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit » communis inter theologos et canonistas, et in praxi recepta, » uti notorium est (114). » Ego quoque certo novi plures eiusmodi dispensationes factas fuisse ab insequentibus pontificibus Pio VII. Gregorio XVI. Pio IX., ut omittam non paucas resolutiones congregationum Concilii et SS. Inquisitionis de petenda a pontifice dispensatione illis in causis, in quibus casus iste agitatus est (115).

(111) In *Summa theol.* Part. 3. tit. 1. cap. 21. §. 3. ed. Veron. 1740. p. 102. seq.

(112) In *Euchiridio*, uap. 22. n. 20.

(113) *Quaest canon.* q. CXLVI. n. 36.

(114) Ibid. Quaest. CCCCLXXIX.

(115) Quoad vetustiores dispensationes cf. Christophor. Cosci *De separatione tori coniugalis*, tom. I. lib. I. cap. 16. n. 3. 4, et 69. Romae 1775. pag. 251 seqq. Quoad recentiores cf. Zamboni *Collect. declarat. S. Congreg. conc. Trident.*

Itaque cum *factum* extra omnem dubitationis aleam constitutum sit, facile his theologis est transitum facere ad *ius*, non solum ob illud generale principium, quod ad instar axiomatis receptum est : « De pontificis potestate, postquam dispensavit, » dubitare, instar sacrilegii est. Esset enim Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiae suae providisset (116) ; » verum etiam ob argumenta, quae hanc inesse pontifici potestatem suadent.

Ac primum est argumentum negativum. Quod non adversatur Scripturae ac traditioni, quodque cedit in bonum Ecclesiae, et a Rom. pontificibus fieri consuevit, in horum potestate constitutum esse censendum est ; talis porro est dispensatio matrimonii rati.

Sane quod non adversetur Scripturae exinde patet, quod illae constanter loquantur de matrimonio consummato, prout illius oracula hac de re exponunt ipsi Romani pontifices, inter quos Alexander III. in cap. *Ex publico* (117). Quod vero non adversetur traditioni ex eo ostenditur, quod nullum testimonium ex antiquitate proferri possit, ex quo contrarium constet, contra vero invenimus pontifices, qui data occasione dispensarunt solvendo coniugium iam contractum at nondum consummatum.

III part. verbo *Dispensatio* §. 16. tom. VI pag. 295 seqq. Eiusmodi porro dispensationes datae potissimum sunt in dubio de impotentia alterutrius coniugis, omissis experimentis, quae ex iure fieri debuissent. Harum dispensationum placet hic elenchum chronologicum praebere, quibus novissimas adiicio.

Itaque data est dispensatio in causa Urbanens. 12. Ian. 1726.
In causa Mediolanens. 24. Mai 1732.
In causa Hispalens. 9. Sept. 1741.
In causa Icruensi 16. Augusti 1783.
In causa Neapolitana 28. April. 1827.
In causa Gandavens. 17. Dec. 1845.
In causa Taurinens. 11. April. 1848.
In causa Tiburtina 12. Sept. 1853.
In causa Cadicens. 24. Ian. 1857.
In causa Neapolit. 27. Mart. 1858.

(116) Ita Veracrux in *Speculo* part. II. col. 27.

(117) Tit. *De convers. coniugat.* cap VII.

Secundum argumentum est positivum. Christus constituens Petrum in Ecclesia sua primatem, suumque vicarium, eumque illa potestatis plenitudine praeditum esse voluit, qua eiusdem Ecclesiae ac fidelium omnium utilitati ac necessitati providere posset. Quam quidem potestatis plenitudinem amplissimae illae ac illimitatae formulae exprimunt quibus ipse usus est ad hanc potestatem ei communicandam : *Quodcumque ligaveris, quodcumque solveris;* item *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Nisi igitur ostendatur exceptio respectu matrimonii rati, quemadmodum constat in matrimonio fidelium consummato omnem exceptionem excludi, etiam ad illius solutionem potestatem Petro collatam protendi dicendum est, prout reipsa protenditur ad solutionem voti solemnis aut iuramenti. Ergo Rom. pontifex, qui divino iure in hac potestatis plenitudine Petro succedit, id ipsum praestare posse dicendus est.

Romanus praeterea pontifex utpote supremus in Ecclesia doctor et sacrarum Scripturarum perinde ac divinae traditionis interpres, divina oracula, quae sunt de firmitate coniugii, intellexit cum exceptione in peculiaribus casibus quoad matrimonia rata. Quoties proinde ii incidunt casus, in quibus iidem pontifices deprehenderunt, quod nisi eiusmodi coniugia solverent, plurimum detrimenti obveniret in animarum perniciem, scandala insuper gravissima, aliaque non minora incommoda orirentur, toties hac extraordinaria potestate usi sunt (118).

Alii eamdem adstruere nituntur doctrinam ex significatione matrimonii rati, quam diversam esse dicunt ab ea, quam habet matrimonium consummatum, prout paulo ante exposuimus. Nos ultro eiusmodi significationes matrimonii admittimus cum com-

(118) Eiusmodi necessitas manifestius apparebat antequam concilium Tridentinum decreto suo irrita fecisset clandestina matrimonia. Per haec enim saepe fiebat, ut Ecclesia, quae non iudicat de internis, deberet sancire publice matrimonia, quae nulla erant et adulterina ob impedimentum ligaminis ex clandestine antea inito coniugio, si ratum solum permanebat, poterat Rom. pontifex illud dissolvere, et hac ratione obviare nullitati posterioris matrimonii in facie Ecclesiae celebrati aut celebrandi. Quod profecto leve non erat emolumentum.

muni doctorum suffragio. Verumtamen hoc argumentum ex diversa significatione petitum non adeo firmum videtur, ut ei inniti possimus. Siquidem, ut animadvertit Pontius, ea significatio non afficit indissolubilitatem matrimonii aut dissolubilitatem, sed signum est a posteriori, ex quo colligimus eam solubilitatem cessasse, aut permanere; ast quod matrimonium sit nec ne solubile id pendere ab institutione Christi (119). Huic igitur insistendum est, eo vel magis quod non defuerint, qui existimarent matrimonium etiam ratum significare unionem Christi non solum cum anima, verum etiam cum Ecclesia, cum Paulus Ephes. V. unionem illam indicans dicat universe : *Hoc sacramentum magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia;* praesertim cum non modo fidelium, sed etiam matrimonia infidelium, multo vero magis matrimonia Hebraeorum aliquo modo unionem Christi cum Ecclesia, aut etiam unionem hypostaticam significarent. Quocirca non videtur solide dici posse ideo solvi matrimonium ratum, quia solum significat unionem Christi cum anima uniuscuiusque fidelis.

His propterea, aliisque eiusmodi minus certis argumentis dimissis, ne infirmetur potius quam adstruatur thesis, hic sistunt graves theologi in sua protuenda sententia, qua affirmant posse Romanos pontifices extraordinaria potestate sibi a Christo concessa, cum opus fuerit, solvere coniugium ratum fidelium.

§. II.

Utriusque sententiae argumentorum discussio et conclusio.

Hactenus praecipuos auctores, qui pro alterutra opinione decertant una cum praecipuis argumentis, quibus pro sua quique thesi utuntur in medium attulimus; nunc iam necesse est ea inter se conferre, ut eorum vim ad probandum detegamus. Sic enim fiet, ut facilius veritatem assequamur, et quaenam ex illis sit nobis amplectanda videamus. Scopum porro obtinebimus ac-

(119) Lib. I. cap. XIV.

curata eorumdem analysi instituta, prout deposito studio partium, et maiori, qua fieri poterit, claritate efficere aggredimur.

Dissimulare haud possumus nonnulla argumenta, quibus permoti sunt theologi ad denegandam Rom. pontificibus potestatem dispensandi in matrimoniis ratis fidelium, primo obtutu videri admodum valida, et ita comparata, ut persuasionem quamdam gignere facile possint. Attamen si propius spectentur, illico patebit magis apparentia ea esse quam solida.

Revera duo priora argumenta negativa desumpta ex non usu istius potestatis per quatuordecim pene priora Ecclesiae secula, atque ex silentio Scripturarum et traditionis multiplicem exceptionem admittunt. 1. Quia adhuc incertum est num ante Martinum V. alii pontifices non dispensaverint; neque ex defectu documentorum inferri legitime potest aliquid factum non esse, aut Martinum in hac danda dispensatione antecessorum suorum exemplum ac vestigia non fuisse secutum. Id enim probari nequit. Imo S. Antonius contrarium supponit; asserit enim iam sua aetate quod « Canonistae *communiter* tenerent contrarium, » scilicet quod Papa potest dissolvere illud; » et aliorum refert rationes atque auctoritates, demum provocat, seu remittit lectores ad « aliquas bullas et Martini V. et Eugenii IV. continentes » talem dispensationem sive dissolutionem matrimonii non con» summati, contrahentibus postmodum illis cum aliis (120). 2. Ili ipsi theologi propugnant adversus novatores per religionis professionem solvi matrimonium ratum; iam vero primum documentum authenticum huius declarationis suppetit ex Alexandro III. et Innocentio III. qui floruerunt sec. Ecclesiae XII. et XIII. Idem dic de potestate Rom. pontificis in dispensando ab impedimentis dirimentibus *praeviis*, cuius facultatis ante Innocentium III. vix suppetit solemne aliquod factum. 3. Qui haec obiiciunt, non advertunt eamdem difficultatem moveri posse adversus quemcumque pontificem, qui primo aliqua facultate sibi

(120) Loc. cit. ed Veron. 1740, part. III, *Summae theol.* tit. I. c. 21. pag. 102 seqq.

propria usus fuerit, cum semper excipi posset, ante talem nominatim pontificem, neminem usum ea potestate fuisse. Quod profecto absonum est.

Quod vero attinet ad alterum argumentum negativum de silentio traditionis, magis adhuc nutat. Siquidem vidimus ex Benedicto XIV. hanc potestatem constare *ex traditione*. Haec autem potest inesse ac vigere in Ecclesia, quin de ipsa constet per instrumenta, quibus nobis patefieri solet, ut alias adnotavimus; cum duo haec, traditionis scilicet existentia in Ecclesia, et eiusdem traditionis documenta, per quae dignoscitur, valde inter se discrepent; prout contingit in pluribus aliis doctrinae catholicae capitibus.

Tertium argumentum, quod est Sylvii, iuxta quem potestas, quae profluit aut exercetur immediate a Rom. Pontifice, etiamsi is a Christo eam acceperit, non potest dici divina, sed solum humana aut ecclesiastica, adeo ut eadem non possit dispensari in eo, quod divinae est institutionis, falsum est et absonum. Falsum quidem, quia exinde sequeretur non posse Ecclesiam accepta a Christo potestate plura constituere, quae versentur circa ea, quae divinitus sunt instituta; ex. gr. ut in re, de qua agimus, sistamus, sequeretur Ecclesiam constituere non posse, ut plura vel pauciora impedimenta dirimant matrimonia praeter ea, quae in Levitico habentur: item legem caelibatus pro clericis, aliaque eiusmodi; quod tamen catholicorum nemo dicere ausus est. Falsum praeterea et absonum est hoc principium, quasi nempe dum divinus legislator Christus Dominus amplissimam contulit potestatem ad ea decernenda, quae ad Ecclesiae suae bonum ac utilitatem faciunt, non posse huius potestatis subiectum ea uti ad ea moderanda, quae divinitus constituta sunt. Receptum est principium, quod qui per alium facit, per se ipsum facere censetur. Dum igitur Ecclesia nomine Christi et potestate ab eo accepta aliquid constituit, ipse Christus id constituere censendus est. Tertio denique hic auctor pro certo assumit, quod tamen ab aliis iure meritoque negatur, nimirum divina institutione matrimonium ratum esse prorsus insolubile. Quocirca praeterquam quod eiusmodi argumentum falsum et absonum est, ophisticum etiam esse deprehenditur.

Quod quarto loco proponitur de eadem essentia utriusque coniugii tum rati tum consummati, quibus propterea eadem convenit definitio, verissimum est, dummodo tamen admittatur diversus inter utrumque gradus. Ex qua gradus diversitate iuxta quosdam theologos consequitur, ut alterum sit indissolubile, alterum vero per legitimam auctoritatem solvi possit. Haec porro diversitas in eo consistit, quod matrimonium ratum differat a matrimonio consummato, ut iidem theologi loquuntur, sicut perfectum differt ab imperfecto ; in illo enim deest pars integralis, qua perficitur coniugium ; haec autem integritas habetur in matrimonio consummato. Hinc ad eum modum, quo eadem convenit definitio homini integro atque perfecto, ac homini, cui pars integralis aliqua deest, utpote caeco, manco, claudo, surdo etc. ; nec tamen non potest homo hac ratione imperfectus eadem praestare, quae posset homo integer atque perfectus, sic matrimonium consummatum id habet, ut sit omnimode insolubile, dum ratum matrimonium manet solubile. Hoc autem discrimen vocibus ipsis designatur, quibus denominantur *consummatum et non consummatum*. Quid enim aliud significat consummatum nisi *perfectum*, et inconsummatum sive ratum nisi *imperfectum*? Quod nunquam de alio dicitur, nemo enim distingueret inter sacerdotium ratum et consummatum ad discernendum eum, qui nunquam sacrificium obtulerit, ab alio, qui obtulit (121). Itaque utrumque matrimonium essentia unum sunt, una eademque definitio utrique convenit ; utrumque propterea ex se est indissolubile utroque iure, si lubet, naturali ac divino. Verum inter se differunt quoad integritatem et perfectionem, quo fit, ut diximus, quod alterum habeat absolutam indissolubilitatem, alterum vero potestate a Deo communicata possit dissolvi. Alii addunt, differre unum ab altero, ob diversam significationem coniunctionis Christi cum anima, aut cum Ecclesia. Verum quidquid de hoc sit, quacumque ratione solutum plane est hoc argumentum.

(121) Cf. Bellarm. lib. II. *De monachis*, cap. XXXVIII. n. 20 seqq.

Argumentum quintum, quod petitur ex ratione sacramenti, haud melius rem conficit, quam argumentum proxime antecedens, quocum habet cognationem. Certissime sacramentum est matrimonium tum ratum, tum consummatum. Hoc nemo negaverit. Ast sacramentum ordinatum est ad conferendam gratiam, non autem per se ad tribuendam indissolubilitatem. Hanc matrimonium habet ex divina institutione, et quodammodo ex lege naturali, quatenus sequitur naturam contractus. Quod si ratio signi, nempe significationis unionis Christi sive cum anima fideli, sive cum Ecclesia aut in charitate aut in carne maiorem tribuit coniugio firmitatem, ut aliqui contendunt, intelligendum id est, ut ipsi explicant, pro diversa significatione, quam nanciscitur coniugium, prout diversum habet gradum perfectionis (122) iuxta paulo ante exposita. Et haec quidem ut responderemus *ad hominem* iis theologis, qui hoc urgent argumentum; caeterum, ut alias diximus, hoc pendet a divina dispositione.

Caetera, quae adiiciuntur, argumenta nullam seriam faciunt difficultatem. Etenim quod solubile dici deberet coniugium ratum, si Rom. Pontificis auctoritate solvi posset, nullum est inconveniens. Etsane S. Thomas dissolubile dicit matrimonium ratum scribens: «Et ideo nec omnimodam indivisibilitatem »habet (123).» Et sic alii theologi passim. Caeterum in hoc quaedam latet aequivocatio; siquidem matrimonium ratum potest, imo et dici debet indissolubile tum ratione sui, sive ab intrinseco, tum dispositione divina generali, sive ab extrinseco; attamen dici potest dissolubile dispositione divina, nempe ab extrinseco per ingressum alterius coniugis in religionem et per dispensationem pontificiam, extraordinaria ad id tributa auctoritate, qua utitur Pontifex ut Christi vicarius, gravi interveniente causa; si hos casus excipias, nec coniuges privata auctoritate, nec alius quispiam ullo in casu possunt coniugium ratum dissolvere. Et en quomodo hac sublata aequivocatione, rite omnia componantur, et quo sensu in confesso sit apud omnes

(122) Cf. Bellarm. loc. cit. n. 23 24.

(123) Suppl. 3. par. quaest. 61. art. 2. ad 3.

matrimonium esse insolubile, et quonam sensu etiam solubile dici queat.

Exinde responsio fluit ad id, quod de vinculo voti aut iuramenti additur, quod, cum possit a summo Pontifice solvi per dispensationem, ideirco solubile dicatur: nam eadem ratio valet tam pro solutione voti ac iuramenti, quam pro solutione matrimonii rati, cum horum obligatio sit de iure divino; scilicet natura sua sunt insolubilia; at solubilia sunt potestate a Deo communicata, ut nuper expositum declaratumque est.

Non video, quare ex eo, quod non possit Romanus Pontifex statuere, ut matrimonium ratum dissolvatur per aliud, quod fuerit consummatum, inferat Sylvius, qui hoc proponit, non posse summum Pontificem per dispensationem matrimonium ratum solvere. In primis absurda videtur hypothesis *de matrimonio alicro consummato*, dum adhuc subsistit primum matrimonium licet solum ratum. Hac enim in hypothesi Rom. Pontifex bigamiam simultaneam probaret, quod certe ab ipso praestari nequit. Potest autem summus Pontifex per dispensationem solvere, iusta de causa, coniugium ratum, quo soluto, possunt coniuges liberi effecti cum aliis celebrare matrimonium. Haec sola hypothesis possibilis est, in qua nihil est, quod repugnet. Legem autem generalem, qua decernatur, quod in tali particulari casu matrimonium ratum dissolvatur, ideo nunquam statuet Rom. Pontifex, quia difficile omnino est omnia recensere adiuncta, quae determinare solent ipsum ad solvendum eiusmodi coniugium, et quia praeterea non omnia, quae licent, semper expediant. Caeterum quod absolute posset Rom. Pontifex legem constituere etiam generalem non abnuit S. Antonius (124), et non pauci theologi post illum, qui insuper hunc casum, in quo

(124) Sic enim scribit loc. cit. «Potest ergo Papa etiam de potestate ordinata circa matrimonium non consummatum hanc constitutionem facere, et sic patet ratio conveniens rationi, ut notatur 27. quaest. 2. *Quapropter*. Unde circa non consummatum potest Ecclesia statuere quidquid placet; dum tamen subsit causa iusta, et hoc voluit finis cap *Ex publico*. Dicit tamen ipse Ostiensis, quod non expedit, quod circa hoc multum laxet habenas, nec etiam est tutum.»

dispensare posset, assignant. Horum sententias referunt et expendunt Salmanticenses (125). Adeoque multiplici sub respectu nutat hoc Silvii argumentum, quod suum effecit Collet (126.)

Quod postremo loco affertur ad suadendum, haud posse Rom. Pontifices dispensare in matrimonio rato cum pluribus constet partibus, necesse est ut eas singillatim discutiamus, ne si simul eas complectamur, minus perspicua sit responsio.

Cum igitur hi theologi dissimulare nequeant, plures Pontifices Romanos hac potestate usos esse in dissolvendis coniugiis ratis, nec aperte audeant eos erroris arguere, ideo confugerunt ad probabilitatem sententiae, quam illi secuti sunt. Verum, esto quod interdum possint Rom. Pontifices in suis actis inniti sententiae probabili; ast quod omnes longo seculorum decursu, initium saltem sumendo a Martino V. ad aetatem usque nostram, ita se gesserint, sin minus absonum, durum saltem dictu omnino videtur. Etsi enim practice prudenter se gererent, theoretice saltem tot doctissimos sanctissimosque Pontifices errasse ac errare in re tam gravi, quae ad mores pertinet, et universam afficit Ecclesiam, dicendum esset; aut saltem ex adversariorum doctrina summi Pontifices periculo se exposuissent, atque exponerent dandi dispensationem iure divino invalidam. Et sane quotquot hanc Rom. Pontifici denegant potestatem, eos non modo errasse, sed praeterea eosdem ab Ecclesiae doctrina recessisse affirmant, et a doctrina revelata, a qua eos non recessisse modo, sed ei sese etiam opposuisse autumant. Quin etiam toties nullitati, aut saltem aperto nullitatis periculo docent exposuisse sacramentorum administra-

Inter eos, qui solutionem coniugii ob solemnem religionis professionem repetunt ex iure ecclesiastico, non desunt qui ita rem explicent: Ecclesia interpres voluntatis Christi declaravit coniugium ratum posse dissolvi: generali quidem lege statuit illud dissolvi ob solemnem religionis professionem: pro caeteris vero casibus non lege universali, sed privilegio ac dispensatione utitur.

(125) Cf. Tract. IX. *De matr.* Cap. 4. Dub. 3. n. 61. 62.

(126) Loc. cit. n. 449.

tionem Rom. Pontifices quoties sine potestate, aut cum potestate dubia dispensarunt in matrimoniis ratis (127). Adhuc enim vigente priori coniugio, posterius nullum evadit. In hac itaque sententia Romani Pontifices indulsissent vel concubinatui vel polygamiae; quod dicere nefas est. Nefas idcirco est asserere Rom. Pontifices uni probabilitati et quidem tenui innixos praebuisse ac etiamnum praebere has dispensationes, adeoque eiusmodi effugium in tuto non constituit Rom. Pontificum agendi rationem (128).

Romanos autem Pontifices antiquiores existimasse, uti subdunt hi theologi, se tali potestate non pollere, exploratum non est, nec probari posse videtur. Hi Pontifices perhibentur Nicolaus I. Alexander III. Innocentius III. quibus addunt ex nonnullorum auctoritate Hadrianum VI. Verum perperam hos Pontifices veluti contrarium sentientes proferri ex documentorum analysi facile est ostendere.

Ac primo Nicolai omnium vetustissimi allegatur epistola ad Carolum, episcopum Moguntinum, in qua legitur: «Hi qui »matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia, aut »furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem »coniugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de »his, qui ab adversariis excaecantur, aut membris truncantur, »aut a barbaris exseeti fuerint (129).» Ex quibus inferunt Pontius et Colletus, *manifestum est* supervenientem impotentiam non videri Nicolao I. sufficientem causam dissolvendi matrimonium, qui indistincte statuit matrimonium semel contractum ne ob gravissimas quidem amentiae, furoris, detruncati membri, atque etiam exsectionis causas dirimi posse.

(127) Hanc rationem urget Collet loc. cit. n. 445.

(128) Atque hic animadvertendum est theologos plerosque omnes, qui huic adhaerent placito in doctrina morali ad probabilioristarum classem pertinere, qui diris probabilismum devovent. Hi tamen ipsi non verentur affirmare, Rom. Pontifices in re tanti momenti *opinioni probabili* innixos matrimonia rata dissolvisse atque porro dissolvere.

(129) Apud Gratianum in *Decreto* II. par. causa XXXII. quaest. VII. cap. 25. *Si quis matrimonium.*

Ast vero in toto Nicolai textu ne verbum quidem occurrit quo insinuetur ipsum locutum de matrimonio tantum rato fuisse. Quin potius omnia suadent eum de matrimonio consummato disseruisse, quum difficile sit supponere illa quae enumerantur contingere brevi intervallo, quod inter celebrationem matrimonii, eiusque consummationem effluere solet. Praeterea sanctus Pontifex in allegata epistola non agit de dispensatione quae ab illo fuerit petita ac denegata, sed de responso doctrinali quaestioni sibi propositae. Verum, quod caput est, eiusmodi epistola quae sub Nicolai nomine a Gratiano profertur, est omnino apocrypha, et ex huc illucque collectis fragmentis consuta (130). Quod quidem Pontio utpote antiquiori auctori

(130) Cf. Car. Sebast. Berardi in op. *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti*. Taurini 1755. par. II. tom. II. pag. 293 seqq. *De epistolis ad Carolum, archiepiscopum Moguntinensem, et eius suffraganeos*, ubi non solum vir doctus ostendit suppositititiam esse eiusmodi epistolam, sed praeterea fontes, ex quibus desumptus sit textus a Gratiano allegatus, patefacit scribens: « Dicendum adhuc superest de canone 25. caus. 32. quaest. 7. Sed hunc » frustra aut in conc. Moguntino, aut in memorata Nicolao pontifici tributa epis- » tola quaereres. Falsa ea primum inscriptio. Legitur apud Burchardum, qui » primus in lib. 9. cap. 28. fragmentum illud laudavit ex epistola Nicolai ad » Carolum, Moguntinum episcopum, scribentis; caeterum alia est capitis inscrip- » tio in vetustioribus collectionibus. Reginonem memoro, qui tempora Nicolai » pontificis attigit; nam ipse in lib. 2. de ecclesiast. disciplina postquam in cap. » 129. verba descripsit quaedam Romanae legis nomine (illa ipsa, quae sub » nomine Fabii papae Gratianus retulit in can. 26. caus. 32. quaest. 7.), ita » prosequitur in cap. 130. *Ex eadem*, nimirum ex lege Romana: *Si qui matri-* » *monium sani contraxerunt, et uni ex duobus insania aut furor, aut aliqua* » *infirmitas accessserit, ob hanc infirmitatem coniugia talium solvi non possunt.* » *Similiter sentiendum de his, qui ab adversariis caecantur, aut membris de-* » *truncantur*. Verba illa: *aut a barbaris exsecti fuerint*, quae legimus apud » Gratianum, desiderantur in codice Reginonis, quemadmodum etiam apud Ivo- » nem in part. 8. cap. 166. Baluzius in notis ad Reginonem iam visus est indi- » care, undenam Gratiani fragmentum sit repetendum; ait enim apud Paullum » iureconsultum lib. 2. sentent. tit. 19. caput istud sic expressum haberi: *Neque* » *furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed contractum* » *matrimonium furore non tollitur;* cui sententiae hanc interpretationem » subiunxit Anianus: *Si qui matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus* » *amentia, aut furor accessserit, ob hanc infirmitatem coniugia talium solvi* » *non possunt.* »

exciderit, mirum esse non debet; ast mirari subest hoc non advertisse Colletum, qui ceteroquin accuratus esse solet. Itaque Nicolaus ab hoc censu expungendus est.

Alter Pontifex, qui contrarius perhibetur, est Alexander III. cuius a Pontio quatuor hac de re allegantur decreta ex appendice concilii Lateranensis III. par. V. cap. 8. *Super hoc;* cap. 17. *Porro si qui vir et mulier;* cap. 18. *Sollicitudini tuae*, et cap. 22. *Super eo*, in quibus iuxta ipsum summus hic Pontifex patefecit, se tali potestate dissolvendi coniugium legitime contractum non pollere.

Iuverit proinde hos textus afferre et perlustrare, ut quod Alexander reipsa senserit colligamus. Atque ut a primo exordiamur, nempe a cap. VIII. ita se habet Alexandri responsum : « Consuluisti nos, utrum inter virum et mulierem, praestito » vel non praestito sacramento, si legitimus consensus interve- » nerit de praesenti, carnali copula non secuta, liceat mulier alii » nubere : vel si nupserit alii et carnalis fuerit copula secuta, an » ab ipso debeat separari. Super hoc inquisitioni tuae taliter re- » spondemus : quod si legitimus consensus a solemnitate, qua » fieri solet praesente sacerdote, aut etiam eius notario, sicut etiam » in quibusdam locis adhuc observatur, coram idoneis testibus » interveniat de praesenti, ita quod unus alium in suam mutuo » consensu verbis expressis recipiat, utrinque dicendo : *Ego* » *te recipio in meam, et ego te in meum :* sive sit iuramentum, » sive non, non licet mulieri alii nubere : et si nupserit, et » fuerit carnalis copula subsecuta, ab eo separari debet, et ut » ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli : quamvis » alii aliter sentiant, aliter etiam a quibusdam praedecessoribus » nostris sit aliquando iudicatum (131). »

Ut interim hic sistamus, fidenter assero nihil hoc in contextu reperiri, quod ad rem nostram referatur. Etenim 1. nos agimus *de iure*, seu de eo quod Rom. Pontifex possit aut non possit circa dispensationem in matrimonio rato; in hac autem decretali agitur *de facto*, declarante Pontifice in casus specie, de quo in-

(131) *Acta concil.* Hard. tom. VI. par. II. col. 1732.

terrogatus fuerat, quid censendum ; at nulla ratione in ea agitur de petita dispensatione, eaque concedenda aut deneganda. 2. Quaestio Pontifici proposita est de matrimonio in genere, sive istud fuerit consummatum sive non. Cui rite respondit Pontifex ex norma iuridica, hoc matrimonium non posse ullo modo dissolvi, etiamsi mulier post initum verbis de praesenti coniugium ante consummationem alteri nupserit, cum eoque carnalem copulam habuerit. Nos ipsi eadem ratione propositae quaestioni responderemus, quia nulla dispensatione interveniente, firmum manet ratum coniugium legitimo consensu celebratum. Quaestio autem nostra versatur circa potestatem Pontificis dispensandi in matrimonio rato, cum iusta intercesserit causa, de qua Alexander hoc in decreto ne verbum quidem habet, multo vero minus professus est se dispensare non posse, ut hi theologi autumant ; 3. verba illa : *Quamvis alii aliter sentiant, aliter etiam a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum*, haud referuntur ad potestatem, de qua hic non agit Alexander, dissolvendi coniugii rati, sed ad peculiarem illam opinionem, quae aliquando viguit, quamque nonnulli interdum Pontifices secuti sunt, quod nempe si mulier post initum per consensum verbis de praesenti expressum cum aliquo coniugium, alii nupserit, cum quo copula secuta fuerit, posset secundum hunc coniugem retinere. Hanc opinionem reprobat Alexander III. (132). Igitur non *egregie* Pontius Alexandri III. rescriptum expendit ad suam firmandam sententiam, sed ex anticipato iudicio.

(132) Ideo apud aliquos invaluerat eiusmodi opinio, quia in veteri iure receptum erat, ut secuta copula inter sponsos, non iam meram sponsalium obligationem haberi, sed verum matrimonii contractum locum habuisse putaretur ; dummodo vera copula, non tantum nisus in copulam intercessisset. idque ex praesumptione, uti exponunt canonistae, de vero consensu de praesenti facto ipso expresso. Atque ita reipsa decretum postea est ab Innocentio III. et Gregorio IX. in cap. 15. 30. et 32. *De sponsalibus*. Hoc vero ius abrogatum est a conc. Tridentino in decreto de Ref. sess. XXIV. cap. I. quo irrita facta sunt matrimonia clandestina. Ex quadam igitur analogia factum est, ut nonulli venerint in illam sententiam reprobatam ab Alex. III de valore secundi matrimonii copula secuta, adeo ut istud praeferrent priori matrimonio tantum rato et non consummato.

Multo minus, quod contendit Pontius, et qui eum sequuntur continetur in aliis capitibus, quae ab ipso allegantur ex eiusdem Pontificis decretis, quae hic non piget describere.

In cap. XVII. insistit Alexander in doctrina cap. VIII. tradita ob paritatem casus sibi propositi, scribens : « Si qui vir » et mulier pari consensu contraxerint matrimonium, et vir ea » incognita, aliam duxerit in uxorem, et eam cognoverit : » cogendus est secundam dimittere, et ad primam redire. » Quia quamvis exinde sit diversa quorumdam sententia, et » non eadem consuetudo Ecclesiae ; tutius tamen videtur, ut » primam hanc quam secundam, cum a prima iudicio Eccle- » siae separari non debeat, postquam cum ea ex pari voto et » consensu matrimonium contraxit. Sane quamquam mulieri » desponsatae et a viro non cognitae, liceat ad religionem » transire, aliam tamen non potest ducere in uxorem. » Neque hoc in capite sermo est de potestate dandi vel non dandi dispensationem.

In capite vero XVIII. haec leguntur : « Super eo siquidem » unde nos consuluit Dilectio tua, quid videlicet servandum » sit et retinendum de muliere, quae cum sit uni viro de- » sponsata, ab alio postea desponsatur et cognoscitur : sollici- » tudini tuae taliter respondemus, quod licet quarumdam » ecclesiarum consuetudo habeat, ut cum secundo viro debeat » remanere ; convenientius tamen videtur, ut si vir et mulier » ad aetatem coniugio aptam devenerint, et infra mulier de- » sponsata fuerit, quod vir mulierem in suam, et mulier virum » in suum recipiat ; licet postea ab alio desponsetur et cognos- » catur, debet primo restitui (133). » Neque in hoc rescripto quidpiam habetur, quod nostram attingat quaestionem.

Item in capite XXII. haec constituta ab Alex. III, occurrunt : « Super eo quod ex litteris tuis intelleximus, virum quemdam » et mulierem de mandato domini utriusque assensu se invicem » recepisse, nullo sacerdote praesente, nec adhibita solemni-

(133) *Acta concil.* Hard. loc. cit. col. 1735.

» tate , quam solet Anglicana ecclesia adhibere , et alium prae-
» dictam mulierem ante carnalem commixtionem solemniter
» duxisse et cognovisse : tuae fraternitati duximus taliter res-
» pondendum , quod si primus vir et mulier pari consensu de
» praesenti sese receperint , ipsa debet primo restitui ; cum nec
» potuerit , nec debuerit post talem consensum alii nubere. Si
» vero consensus talis inter eos non intercesserit sub verbis illis,
» quae diximus , nec carnalis copula etiam assensu de futuro
» praeeunte , secundo viro , qui eam postea traduxit atque
» cognovit, mulier ipsa debet relinqui , et ab impetitione prio-
» ris absolvi ; iniuncta primo poenitentia de laesione fidei vel
» violatione iuramenti , si dedit fidem , vel praestitit iuramen-
» tum (134). » Ut legenti patet , nihil, quod ad quaestionem nostram referatur , in hoc pariter capite reperitur.

Cum autem haec sint omnia et sola documenta, quae ex Alexandro III. a Pontio eiusque asseclis proferantur , quae nihil omnino continent de potestate , quam sibi inesse denegaverint solvendi matrimonia rata , ideo iure meritoque concludimus : ergo ex censu horum Rom. Pontificum adversantium huic doctrinae , etiam Alex. III. eliminandus est.

Restat ut expendamus, quae afferuntur ex Innocentio III. Sunt porro duo ; primum desumitur ex cap. *Ex parte*, in quod haec habet hic summus Pontifex. « Nos inquisitioni tuae taliter
» respondemus, quod etsi possit non inconsulte videri, quod ex
» quo matrimonium inter legitimas personas , per verba de
» praesenti contrahitur , illis viventibus *in nullo casu possit*
» *dissolvi* , ut vivente reliquo , alter ad secunda vota transmi-
» gret, etiamsi unus fidelium, inter quos est ratum coniugium ,
» fieret haereticus , et nollet permanere cum altero sine contu-
» melia Creatoris , nisi forte secus fieret ex revelatione divina ,
» quae superat omnem legem , sicut a quibusdam sanctis legi-
» tur esse factum. Nos tamen nolentes a praedecessorum nos-
» trorum vestigio declinare , qui respondere consulti , ante-

(134) Ibid. col. 1756 seq.

» quam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum,
» licere alteri coniugum , reliquo inconsulto , ad religionem
» transire : ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri co-
» pulari : hoc ipsum tibi consulimus observandum in articulo
» praenotato , quamvis falsa sit causa , per quam ad susceptio-
» nem veli praedicta mulier sit inducta, (nempe quod ductus
» coniux lepra superveniente laboraverit) , cum sine qualibet
» tali causa idipsum religionis obtentu facere potuisset. Porro
» licet praedicta mulier videatur in veli susceptione religionis
» habitum assumpsisse ; si tamen velit in domo propria rema-
» nere , quasi propositum castitatis in seculo servatura , nihi-
» lominus consummandum est matrimonium iam contractum ,
» nisi se voto adstrinxerit ad observantiam regularem : in quo
» casu compelli potest , ut relicto seculo religionis propositum
» exequatur (135). »

In quae verba animadvertit Pontius 1. lepram supervenientem matrimonio rato iudicatam non fuisse ab Innocentio III. sufficientem causam dissolvendi coniugium secus ac senserit Sanchez. 2. Urget verba illa: *in nullo casu posse dissolvi; etiam altero in haeresim incidente , nisi tantum ex divina revelatione;* atque adeo ob solum ingressum religionis , qui casus habetur iam ex divina revelatione. Sensit ergo Innocentius nullam idoneam esse causam dissolvendi matrimonium ratum , nisi quae constiterit ex revelatione divina (136).

Ita quidem , si Innocentius hac in epistola locutus fuisset de potestate Pontificis circa dispensationem in matrimonio rato . et de causis , quibus posset vel non posset permoveri ad concedendam eiusmodi dispensationem , prout assumit Pontius. Iam vero hac de re ne verbum quidem in universa hac decretali. Respondit igitur Pontifex quaestioni sibi propositae ad iuris ecclesiastici regulam , iuxta quam privatae personae nequeunt dissolvere proprium coniugium ratum quacunque de causa . si

(135) Cap. XIV. *Ex parte.* tit. XXXII. *de convers. coniugat.*
(136) Lib. IX. cap. 3. n. 5.

excipias ingressum in religionem, quod quidem ius ex Deo promanat. Caeterum neque propter infirmitatem supervenientem neque propter haeresim, aliamve causam iure pollent fideles dirimendi ratum coniugium initum per verba de praesenti ad exprimendum concessum; adeoque altero adhuc in vivis agente novas cum alio celebrare nuptias nequeunt. Hac ratione respondissent pariter vel ipsi Pontifices, qui dispensationem in matrimonio rato dare consueverunt.

Idem dic de causis, quarum mentionem iniecit Innocentius in suo rescripto: siquidem in eo non agitur de causis, quibus permoveri Pontifex possit ad concedendam vel denegandam petitam dispensationem, de quibus Innocentius non agit, sed de causis, quibus invicem coniuges separari se posse autumarent propria auctoritate. Accedit, clausulam illam generalem Innocentii: «Quod etsi posset non inconsulte videri, quod ex quo »matrimonium inter legitimas personas per verba de praesenti »contrahitur, *illis viventibus in nullo casu posse dissolvi*» complecti etiam casum de ingressu in religionem, ut patet ex adversativa formula, qua usus est Pontifex: «Nos tamen nolentes a »praedecessorum nostrorum vestigiis declinare etc.» Adeoque nimis probaret, si presse sumeretur, et quemadmodum casum excepit ingressus in religionem, sic si opus fuisset et de quaestione nostra fuisset locutus, potuisset excipere dispensationem quae a Pontifice obtineretur. Ergo inaniter urgetur auctoritas huius Pontificis, quasi senserit, haud posse supremum Ecclesiae caput dispensare.

Multo vero minus alterum Innocentii III. rescriptum, quod urgent hi theologi, rem conficit. Sic enim habet Innocentius in cap. *Super eo,* quod in medium proferunt: «Super eo quod interrogasti de sacramento coniugii, breviter »respondeo: illam, quam dixisti a patre coniugi traditam, et ab »eo, cui tradita fuerat, patri commendatam, donec statuta die »in domum suam ille traduceret: dico quod legitimo con»sensu interveniente, ex eo statim coniux fuerit, quod spon»tanea voluntate sese coniugem esse consenserit, non enim

»futurum promittebatur, sed praesens confirmabatur. Qua»propter quidquid cum alia postmodum factum est in coitu sive »in generatione prolis, tanto reprehensibilius est secundum, »quanto verius primum. Constante enim primo, quanto »amplius in Deum committitur, tanto magis culpa augetur. »His ergo cognitis, facile erit negotium praesentium latoris »tuae discretioni debito fine terminare (137).»

Quid porro decernit in hoc documento Innocentius? Non posse per matrimonium consummatum subsequens dirimi matrimonium ratum, quod nemo negaverit. Iam vero quid hoc commune habet cum quaestione nostra? Nihil prorsus.

Quapropter et Innocentius III. e censu Pontificum aliter sentientium seponendus est. Cum vero soli hi tres perhibeantur doctrinae de potestate pontificia in solvendis coniugiis ratis contrarii, consequitur argumentum hoc omni destitui fundamento.

Dixi: *hos solos perhiberi huic doctrinae contrarios:* nec enim moramur quas aliqui referunt historiolas de Hadriano VI. et Innocentio VIII. Quasi nempe prior miratus fuerit de Caietano, quod in mentem theologi haec venerit sententia, ac tandem improbitati cedens postulantis diremptionem responderit, se dare quod posset, etsi persuasum haberet, se nihil posse. Haec enim fabella seipsa confutat; nam ignorare non poterat doctus et pius hic Pontifex a praedecessoribus suis Martino V. et Eugenio IV. aliisque post eos datam eiusmodi dispensationem fuisse; nulla proinde ei ratio suppetebat admirationis, quod Caietanus eam docuerit sententiam: ut omittam in supposita responsione aut eum egisse contra propriam conscientiam, aut decepisse postulatorem.

Idem dic de Innocentio VIII. de quo refert Pontius ex Panormitani fide, quod cuipiam matrimonii rati dissolutionem petenti, ore rotundo negarit se id posse; cumque ei Glossae auctoritas oblata fuisset, responderit: *Maledictus qui te docuit* (138): siquidem et Innocentius VIII. pontificatum gessit post

(137) Apud Harduin. tom. VI. par. II. col. 10.

(138) Lib. IX. cap. 3. n. 15.

Martinum V. et Eugenium IV. (139), qui dispensarunt in matrimonio rato. Quis praeterea illico non videat verba, quae ei tribuuntur, indigna plane esse tanto Pontifice ? Virum certe theologum dedecet his inniti fabellis ad sua placita firmanda.

Ex hac, quam hactenus instituimus, analysi argumentorum, quibus negantem sententiam theologi propugnant, quisque facile deprehendet eadem magis apparentia esse quam solida. Ex eadem enim constat 1. eiusmodi argumenta fundamento esse destituta, ac procedere ex falsa hypothesi ; 2. olere principium sin minus protestanticum, saltem minus orthodoxum et tutum de interpretatione Bibliorum et divinae traditionis privato sensu contrario illi, quem Rom. Pontifices secuti sunt, quasi isti ab Ecclesiae doctrina et a divina revelatione, in sua agendi ratione recesserint. Quod luculenter evincunt, quae ex Drouinio attulimus, de quo inquit Collet « *Solide* auctor libri de re sacramentaria ait : « *Neminem qui vere theologus fuerit, a doctrina Ecclesiae exempla talia dimovebunt, tum quod incerta penitus sunt, tum quod disciplina divinitus constituta factis contrariis convelli non possit* (140). »

(139) Etenim Martinus V. ab an. 1431. clavum Ecclesiae tenuit usque ad an. 1447. quo creatus est pontifex Eugenius IV. qui vixit usque ad an. 1455. Innocentius vero VIII. rexit Ecclesiam ab an. 1484. ad an. 1497.

(140) Collet op. et loc. cit. n. 451. ubi illud : *incerta penitus sunt*, nempe facta Rom. pontificum, qui dedisse perhibentur dispensationem matrimonii rati, coarctat potissimum ad id, quod dicitur de Gregorio XIII. qui referente Henriquez *tredecim* (alii dicunt *undecim*) eodem die dispensationes dedit. Nos non solum incertum, sed plane uti fabulosum factum istud reiicimus. Exinde tamen fas non est caetera facta, quae certissima sunt, ut incerta traducere.

Sed quid dicemus de I. Walter, qui in suo *Manuale del diritto ecclesiastico*. Trad. dal Tedesco di Fortun. Benelli. Pisa 1848. tom. II. §. 319. pag. 250. nota (m) scribit : « Altri casi, nei quali vuolsi, che il Papa abbia dispensato, ciò che nei termini *di un vero matrimonio è impossibile*, si fondano sul fatto del non avere avuto luogo tra i coniugi accoppiamento maritale per causa di avversione ; che vuol dire : son tutti casi, nei quali non era intervenuto un vero consenso, ma si un consenso forzato dalle circostanze. » Verum haec expositio est prorsus absona, atque ad proprium placitum adstruendum excogitata.

Nos autem *minus considerate* haec tanto viro excidisse dicemus. Alioquin concludere ex iis possemus, tot doctos sanctosque Pontifices non fuisse *vere theologos;* item inferre deberemus, fidem adiungendam non esse historicis omnibus documentis, ex quibus factorum veritas certissime constat, imo et iis, quae oculis nostris usurpamus; inferre deberemus, eosdem longo seculorum decursu recessisse *a doctrina Ecclesiae;* deberemus inferre, eos ipsos *a disciplina divinitus constituta*, seu a divina revelatione hac agendi ratione descivisse. Ecquis autem catholicus theologus haec affirmare audeat, ac se iudicem, immo et censorem constituere supremi Ecclesiae capitis et magistri? Itaque non *solide*, sed *minus caute* nobis haec dicta esse videntur, et a modestia, quae in dicto hoc auctore fulget, aliena.

Quod vero attinet ad argumenta, quibus fulcitur altera sententia, animadverto, nil solidi posse opponi, nisi aut negentur facta, quae tamen nullo pacto infirmari, multo vero minus convelli possunt, cum agatur de serie quatuor plus minus seculorum (141), aut evidenter ostendatur eiusmodi facta verbo Dei tum scripto tum tradito adversari, quod defectu documentorum tum biblicorum tum traditionalium, quae contraria sint, effici omnino nequit. Accedit, quod si testimonia biblica, quae opponuntur, aliquam vim haberent, nonmodo sententiam hanc impeterent de potestate pontificis dispensandi graves ob causas a vinculo matrimonii rati, sed etiam pari modo impeterent praecedentem dogmaticam thesim de solutione matrimonii rati per solemnem religionis professionem. Atque hic obiter noto, pleraque argumenta, quae hanc impetunt sententiam, impetere pariter alteram de solutione per solemnem religionis professionem. Scilicet ob easdem pene rationes, ob quas haeretici aiunt, Ecclesiam errare, dum docet matrimonium ratum per solemnem religionis professionem dissolvi, isti catholici theologi affirmant Pontifices errasse, dum ob alias causas matrimonium ratum dissolverunt.

(141) Nempe ab an. 1451. ad an. usque 1858. Ut patet ex elencho chronologico, quem paulo ante exhibuimus.

Quum vero haec a viro catholico probari non possint, et pontificia auctoritas unus ex fontibus seu locis theologicis sit ad firmandam aliquam doctrinam, posteaquam Rom. Pontifices et dictis et factis patefecerunt, se posse divina ad id praeditos facultate, urgentibus causis, exposcentibus item bono ac utilitate fidelium, dispensare in matrimonio rato, nemo iam sine temeritatis nota poterit hanc potestatem in dubium revocare, multo vero minus inficiari.

Nec illud silentio praeterire debemus, quod summi Pontifices haud caeca ratione, sed consulto sese gesserint in eiusmodi dispensationibus concedendis. Etenim Clemnes VIII. voluit ut quaestio haec in congregatione particulari octo S. R. E. cardinalium, quatuor sac. Rotae auditorum, duorumque insignium theologorum expenderetur. Ab eadem porro congregatione suffragium latum est, quo sententia de summi pontificis potestate in dirimendis matrimoniis ratis laudata probataque est, qua insequentes summi Pontifices constantissime ad hos usque dies usi sunt (142).

Quod vero attinet ad causas, ob quas Rom. Pontifices permoveri possint ad eiusmodi dandam dispensationem, nostrum non est iudicium ferre, sed negotium hoc universum prudentiae dimittendum est eorumdem, qui certe ea non utuntur facultate, nisi ea concurrant rerum adiuncta, quae eam postulent. Quo spectat votum card. Lancellotti, in quo postquam odia coniugum et inimicitias inter consanguineos tanquam legitimam causam concedendae dispensationis recensuisset, haec habet: « Et ideo » hanc reprobari posse non credo, maxime ubi iungatur cum » disparitate; et ego facta diligentia non inveni aliquem, qui » similem causam quoquam modo in hoc proposito reprobet, » licet non desint qui aliquas causas reprobaverint (143). »

(142) Cf. *Thesaurum resolution. sac. congr. Conc.* tom. LV. Romae 1786. in *Causa Niciensi seu Turritana* pag. 36.

(143) *In causa Hispal. dissolut. matrim.* apud Ursaya *Discept. Eccles.* tom. III. par. II. discept. XXI. Ibid.

Post eiusmodi discussionem veluti corollarium sequitur, nos absque ulla animi haesitatione huic secundae sententiae calculum nostrum adiicere. Eo vero libentius in hanc concedimus sententiam, quod eam optime convenire videmus cum doctrina, quam in praecedenti articulo adstruximus de matrimonii rati dissolutione ob solemnem religionis professionem. Illa quidem de fide est; at certa quoque haec est, quae de matrimonio rato aliis de causis auctoritate Rom. Pontificis solvendo traditur. Utraque doctrina iisdem pene argumentis probatur, iisdemque fere innititur principiis. Quemadmodum vero solutionem matrimonii rati per professionem religiosam derivavimus ex iure divino, ita et dissolubilitatem ob alias causas deducimus ex eodem divino iure. Divinus enim Legislator statuit, ut matrimonia tantum rata religiosa professione solverentur, et ideo suo in terris vicario potestatem largitus est, eadem matrimonia aliis quoque de causis dirimendi; utrumque autem Ecclesia Christi voluntatis interpres nobis manifestat, licet diversa ratione; nempe primum per definitionem, alterum per praxim suam. Quamvis vero matrimonium ratum absolute atque ab intrinseco seu natura sua indissolubile sit ac dici debeat, solvi tamen ab extrinseco, seu divina auctoritate potest, prout expositum est.

Sed quae de matrimonii christiani proprietatibus tertio hoc libro, nec non quae in totius operis decursu sumpsimus disquirenda, iam satis superque disceptata ac disputata pro nostris, quales eae tandem cumque sint, viribus videntur. Scopulosum profecto pelagus, ac multa syrti periculosum navigavimus. Quare eo nobis laetandum magis, quo felicius ad portum appulsi sumus. At potuimus aliquando pro humanae imbecillitatis conditione, cuius non est omnia cavere, aut alicubi forte illidere, aut a recto navigationis cursu paululum deerrare. Quidni? Hominis est posse falli. Verum etsi me errori obnoxium profitear, attamen et una sum, qualis omnis catholicus theologus esse debet, obsequentissimus sanctae Romanae Ecclesiae

discipulus, ac studiosissimus eius observantiae filius. Quare si quid mihi forte inscienti, aut imprudenti inter scribendum de quaestione tam difficili, tamque per tempora exagitata exciderit, quod vel transversum quidem unguem a veritate discedat iam nunc hic profiteor, me illud tanquam indictum aut retractatum omnino velle. Unum enim animi nostri desiderium, immo voluptas, semper et fuit et est, ac porro speramus a Dei O. M. bonitate ut ad mortem usque sit, *veritatis catholicae triumphus*.

FINIS.

INDEX

LIBER TERTIUS.

DE UNITATE AC INDISSOLUBILITATE MATRIMONII CHRISTIANI

STATUS QUAESTIONIS ET PARTITIO.

SECTIO PRIMA.

DE MATRIMONII CHRISTIANI UNITATE. pag. 1

CAP. I. — DE POLYGAMIA SIMULTANEA.

ART. I. Non solum christiani matrimonii unitati, sed ipsi Matrimonii notioni, spectato etiam solo iure naturae, directe opponitur polyandria et uxorum communio . . . . . » 3

ART. II. Polygamia simultanea iuri naturae absolute non repugnat, eidem tamen minus conformis est, et quadantenus etiam adversatur . . . . . » 18

ART. III. Polygamia simultanea iure divino positivo ante Evangelium absolute vetita non posse dici videtur, nec proinde necessaria divina dispensatio, ut veterum polygamia a crimine contra ius naturale vel divinum defendatur. . . . . » 28

ART. IV. Polygamia simultanea in lege evangelica omnino est abolita, adeo ut christiani Matrimonii proprietas prima ac inviolabilis sit unitas . . . » 44

CAP. II. — DE POLYGAMIA successiva.

ART. I. Ecclesiae doctrina ac dissiplina circa bigamiam, seu secundas nuptias, exponitur et vindicatur . . . . . » 67

ART. II. Doctrina Ecclesiae ac disciplina circa trigamiam ulterioresque nuptias successivas exponitur ac vindicatur . . . . . » 86

SECTIO ALTERA.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII CHRISTIANI. » 102

CAP. I. — DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII IUXTA LEGEM NATURALEM, MOSAICAM ET EVANGELICAM. . . . . » 105

ART. I. De matrimonii indissolubilitate spectato iure naturae . . . . . » ib.

ART. II. De matrimonii indissolubilitate, spectato iure divino positivo, ac nominatim in lege Mosaica. » 121

ART. III. Quaestio expenditur an et quomodo perfecta indissolubilitas, quae ex lege evangelica propria est matrimonii christiani, deducenda sit e ratione sacramenti . . . . . » 137

CAP. II. — DE BIBLIORUM DOCTRINA CIRCA CHRISTIANI MATRIMONII INDISSOLUBILITATEM ETIAM IN CAUSA ADULTERII. . . . . » 147

ART. I. De authentia ac genuina lectione textuum Matth. V. et XIX. . . . . » 148

ART. II. De quibusdam exegeticis interpretationibus textuum Matth. V. et XIX. . . . . » 161

§. I. Nonnullae exegeticae eorum textuum interpretationes historice exponuntur. . . . . » ib.

§. II. Sententia illorum expenditur, qui putant exceptionem fornicationis factam a Christo fuisse tantum ad mentem legis Mosaicae. . . . . » 165

Exeutitur eorum sententia, qui alterutrum Matthaei textum intelligunt de matrimoniis Iudaeorum, vel primorum fidelium, qui ex Iudaismo ad Christi fidem transierunt . . . . . » 167

§. IV. Expenditur illorum placitum, qui vocem *πορνείαν* exponunt de fornicatione vel flagitio ante initum matrimonium patrato. . . . . » 170

§. V. Sententia illorum exeutitur, qui fornicationis vocem non de adulterio, sed de statu fornicario et concubinatu exponunt . . . . . » 174

ART. III. Dogmatica Ecclesiae interpretatio doctrinae biblicae de indissolubilitate Matrimonii christiani argumentis hermeneuticis scientifice demonstratur . . . . . » 188

§. I. Indissolubilitas matrimonii christiani etiam in causa adulterii ex scientifica exegesi textuum Matth. V. et XIX. deducitur. . . . . » ib.

§. II. Eadem interpretatio textuum Matthaei de omnimoda christiani matrimonii indissolubilitate ex Marci X. et Luc. XVI. stabilitur . . . . » 199

§. III. Eadem textuum Matthaei interpretatio de perpetua coniugii christiani indissolubilitate ex apostolo Rom. VII. et I. Cor. VII. confirmatur. . » 208

CAP. III. — DE SENSU TRADITIONALI CIRCA INDISSOLUBILITATEM MATRIMONII CHRISTIANI IN CAUSA ADULTERII IUXTA EVANGELICAM ET APOSTOLICAM DOCTRINAM. . . » 219

ART. I. De sensu traditionali circa indissolubilitatem christiani matrimonii in causa adulterii prioribus quinque Ecclesiae seculis. . . . . » 221

§. I. De Herma. . . . . » ib.

§. II. De S. Iustino M. . . . . » 226

§. III. De Athenagora. . . . . » 230

§. IV. De Tertulliano. . . . . » 231
§. V. De Clemente Alexandrino. . . . . » 240
§. VI. De Origene . . . . . » 243
§. VII. De S. Cypriano. . . . . » 250
§. VIII. De Lactantio. . . . . » 251
§. IX. De concilio Illiberitano. . . . . » 255
§. X. De consilio Arelatensi. . . . . » 261
§. XI. De S. Basilio. . . . . » 263
§. XII. De S. Gregorio Nazianzeno. . . . . » 271
§. XIII. De S. Ambrosio. . . . . » 274
§. XIV. De S. Epiphanio . . . . . » 278
§. XV. De S. Ioanne Chrysostomo. . . . . » 284
§. XVI. De Theodoreto. . . . . » 289
§. XVII. De Asterio Amaseno. . . . . » 294
§. XVIII. De S. Hilario Pictaviensi. . . . . » 296
§. XIX. De Chromatio Aquileiensi. . . . . » 297
§. XX. De S. Hieronymo. . . . . » 299
§. XXI. De S. Augustino. . . . . » 303
§. XXII. De S. Innocentio I. . . . . » 309
§. XXIII. De concilio Milevitano II. . . . . » 313
§. XXIV. Documentorum e primis quinque Ecclesiae seculis de indissolubilitate coniugii in causa adulterii, et difficultatum, quae opponuntur, epicrisis. . . . . » 317
ART. II. De sensu traditionali circa indissolubilitatem christiani matrimonii in causa adulterii a seculo VI. et deinceps. . . . . » 322
§. I. De documentis certis pro indissolubilitate vinculi coniugalis a seculo VI. et deinceps. . . » 323
§. II. De documentis dubiis circa indissolubilitatem vinculi coniugalis a sec. V. VI. et deinceps. . » 329
§. III. Documentorum medii Aevi circa indissolubilitatem coniugii in casu adulterii, et difficultatum, quae contra eam opponuntur, epicrisis. . . . » 354

CAP. IV. — DE GRAECORUM PRAXI DEQUE CANONE TRIDENTINO CIRCA INDISSOLUBILITATEM CHRISTIANI MATRIMONII IN CAUSA ADULTERII. » 359

ART. I. De natura et origine erroneae praxeos Graecorum dissolvendi ob adulterium coniugii, deque Ecclesiae Romanae hac in re erga Graecos oeconomia . . . . . » ib.

ART. II. De natura et vi canonis VII. sess. XXIV. concilii Tridentini . . . . . » 376

CAP. V. — DE SOLUTIONE IMPERFECTA MATRIMONII CHRISTIANI SEU DE SEPARATIONE INTER CONIUGES QUOAD TORUM ET COHABITATIONEM. » 389

ART. I. Concilii Tridentini doctrina de separatione quoad torum et cohabitationem plures ob causas, manente vinculo, exponitur et vindicatur. . » ib.

ART. II. Doctrina concilii Tridentini de separatione quoad torum et cohabitationem ob plures causas, manente vinculo, ab adversariorum difficultatibus vindicatur . . . . . » 398

§. I. Doctrina canonis VIII. concilii Tridentini a nota *novitatis* vindicatur . . . . . » ib.

§. II. Eadem doctrina vindicatur ab altera nota *oppositionis* cum evangelica et apostolica doctrina. » 403

§. III. Doctrina de divortio quoad torum et cohabitationem, manente vinculo, a tertia nota *immoralitatis* vindicatur. . . . . » 412

CAP. VI. — DE DISSOLUTIONE MATRIMONII RATI NON CONSUMMATI . . . . . » 425

ART. I. De veritate doctrinae catholicae circa dissolutionem vinculi coniugalis per solemnem religionis professionem alterius coniugum . . . . » 429

ART. II. De iure quo matrimonium fidelium ratum et non consummatum per solemnem religionis professionem quoad vinculum dissolvatur. . . . » 437
§. I. De illorum theologorum sententia qui dissolutionem coniugii rati ex iure naturali repetunt . . . . . » ib.
§. II. De illorum theologorum placito qui constituunt dissolvi matrimonium ratum iure tantum ecclesiastico . . . . . » 441
§. III. De illorum theologorum sententia qui solutionem vinculi matrimonii rati ob professionem religiosam repetunt a iure divino, ... » 445
ART. III. De difficultatibus quibus asserta a Tridentina synodo catholica veritas impugnatur. . . . » 450
ART. IV. De Romani pontificis auctoritate circa solutionem coniugii rati alias ob causas praeter solemnem religionis professionem. . . . . » 466
§. I. Argumenta quibus utriusque sententiae negantis et affirmantis patroni utuntur. . . . . » 467
§. II. Utriusque sententiae argumentorum discussio et conclusio . . . . . » 474

INDEX

RERUM ANALYTICUS,

ALPHABETICO ORDINE DIGESTUS.

NUMERUS ROMANUS TOMUM, ARABICUS PAGINAM INDICAT.

A

Academia Taurinensis. T. I, 397 et 404.

Armenorum fides circa sacram. matrim. T. I, 11 *seqq.*

Atheismus politicus. T. I, 278 *seqq.*

Auctoritas Romani Pont. solvendi matrim. ratum non consumm. T. III. 423 *seqq.* *Vide* Solvi posse, etc.

B

Benedictio a sacerdote data matrim. cur laudibus effertur a PP. et Concil. T. I. 109. — Denegabatur secundis nuptiis T. I, 110 *seqq.* — Non necessaria ad valid. matrim. 122 *seqq* et *n.* 44. T. II, 288, *n.* 21

Bigamiam successivam sive secundas nuptias, licet Eccl. ægre ferret ac viduitatem eis præferret, non tamen ut illegitimas habuit juxta dictum Apostoli I Cor. VII, 39. ac I, Tim. V, 14, et I Cor. VII, 40. T. III, 67 *seqq.* Talem fuisse Eccl. mentem liquet ex Patribus tum Græcis tum Latinis 69 *seqq.* et *nn* 8 ad 20. Idem constat ex conciliis, 72 *seqq.* — Auctores vero particulares, qui durius de secundis loquuntur nuptiis, si rite exponantur, possunt juxta Ecclesiæ sensum intelligi. 73 *seqq.* et *nn.* 30 ad 40. Et quoniam Eccl. secundas nuptias ut incontinentiæ labem considerabat, varias pœnas statuit in bigamos. 79 *seqq.* et *nn.* 41 ad 65. — Eadem de causa eas non permisit nisi sub quibusdam conditionibus. 84 *seqq.* et *nn.* 68 *seqq.*

C

Canones apostolici. T. II, 51. — 340, n. 8. - 411, n. 159. T. III, 80. — 318 et *n.* 198.

Capellani militum, utrum possint sacram. ministrare militibus eorumque matrim. assistere. T. II, 273 *seqq.*

Capitularia regum Francor. T. II, 349. T. III, 82. — 85.

Causae matrimon. T. I, 75. — Spectant ad Eccl. protestatem, *vide* Potestas Eccles. — non vero principum, *vide* Principum jura, etc.

Civile matrim. : *vide* matrimonium civile.

Civilis contractus, *vide* contractus.

Codice del regno delle due Sicilie, T. I, 334. *n.* 21.

Concilium Agathense. T. II, 345, *seq.* et *n.* 22, T. III, 337.

» Ancyranum. T. II, 22. — 340 *seq.* T. III, 81.

» Antissiodor. T. II, 347. *n.* 32.

» Aquisgranense. T. II, 351.

» Arelatense. T. III, 261 *seqq.* — 281 *n.* 123.

» Aurelianense III. T. II, 138.

» Avernense. T. II, 345.

» Carthaginiense III. T. II, 340. *n.* 8.

» Carthagin. IV, T. I, 78. — 80. — 100. T. II, 53.

» Chalcedonense. T. II, 54.

» Colonense. T. I, 64.

» Compedense. T. II, 333. *n.* 57.

» Constantiense. T. I, 70. — 102.

» Epaonense. T. II, 343.

» Florentinum, T. I, 84. — 146 *seq.*

» Forguliense. T. III, 254 *seq.* — 325.

» Gangrensis. T. III. 292. *n.* 145.

» Hiberitanum T. II, 18 *seq.* —50.—182 *seq.* —342. T. III, 255 *seqq.*

» Laodicenum. T. III, 72.

» Lateranense I. T. II, 363. — 367.

» Lateran. II. T. III, 447.

» Lateran. III. T. I, 78. — 101. — 112. — 119.

» Ligolense ac Trecense, T. II, 97.

» Limanum. T. II, 305. — 314. *seq.*

» Lugdunense. T. I, 80. — 100.

» Matisconense. T. II, 346 *seq.* et *n.* 31.

» Milevitanum. T. II, 363. T. III, 51. — 313 *seqq.*

» Nannetense T. III, 324.

» Neocaesariense. T. II, 341. T. III, 81.

» Nicaenum. T. III. 72.

» Parisiense XI. T. III, 324.

» Rhemense. T. I, 110. T. II, 184.

» Suessionense. T. III, 331.

» Toletanum I. T. III, 101.

» Tolosanum. T. II, 97.

» Triburiense. T. II, 56. T. III, 326.

» Tridentinum. T. I, 1. — 45. — 66. — 118. — 137. — 147 *seqq.*

— 193. — 199. — 201. — 345. — 405. *n.* 1 6. T. II, 43. — 45. — 71. — 81. — 112. — 115. — 120. et *n.* 88. — 133. — 170. T. III, 35. *n.* 101. — 53. — 123. — 181 *seqq.* et *n* 72. — 376 *seqq* — 390. — 429. — 468.

Concilium Trullanum T. III, 330 *seq.*

» Turonense. T II, 56. — 97. — 345 et *n.* 27.

» Valentinum. T. III, 101 et *n.* 111.

» Vermeriense. T. II, 88. — 355. *n.* 57. — T. III, 332. — 337.

» Veneticum. T. III, 337.

» Verufordiense. T. III, 324.

Congregatio S. Conc. Trid. T. II, 97 *seq* — 112. — 213. — 216. — 219. — 226. — 231 *seqq* 242 *n.* 89 — 265 *seqq.* 296 *seq.* T. III, 373. *n.* 29.

Congregatio S. Inquisit. T. II, 209. — 215. — 218. — 235. — 292. — 308 *seq.*

» Negotiorum extraordin. ecclesiast. T. II, 256. *n.* 155. — 257. *n.* 158.

Congregatio S. Officii. T. II, 211. — 215. — 220. — 224. — 241. *nn.* 80 et 84 et *seqq* — 263. — 289 *n* 21. — 305 *n.* 47. — 310 *seqq* — 321.

Congregatio de propag. Fide. T. II, 155. — 158. — 246. *n.* 105 *seqq.* — 276 *seq* — 302. *n.* 38 — 317. — 319 *seqq.*

Congregatio pro negotiis ecclesiae Gallicanae T. I, 123. *n.* 44.

Consensus expressus vel tacitus principum quid sit? T. II, 75 *seqq.*

Consensus requisitus dum matrim. sanatur in radice. T. II, 162 *seqq.*

Consummatio matrim. confert ad suum complementum. T. II, 24 et *n.* 33.

Civilta cattolica. T. III, 423. *n.* 42.

Contrahentes matrim. cath. utrum licite necne possint praebere consensum coram ministro haeretico. T. II, 275 *seqq.*

Conditiones requisitae ad liceitatem polygamiae ante Evang. T. III, 35. *seqq.*

» » ad solvendum matrim. infidelium, dum alter conjugum convertitur. T. II, 296 *seqq.* et *n.* 30.

Conventus Compediensis. T. III, 338 *seqq.*

Contractus naturalis ac civilis a Sacramento distinctus. quid sit? T. I, 47. — Hunc contractum inter et Sacramentum distinctionis origo, ib. progressus. T. I, 66. — 72. — Corollar. sententia Cani T. I, 72 *seqq.* Licet mentis conceptu possit distinctio haec admitti, tamen non ideo admittenda in matrimoniis christianis in concreto T I, 165. — Hanc realem distinctionem praeter haereticos saec. XVI statuunt Marc. Ant. de Dominis, Honoius, ac theologi aulici, et dein introducta fuit in legislationem Austriacam necnon in Gallicam sub Napoleone I. T. I, 166 *seq.* Exitialis haec doctrina rejicitur argumentis 1° deductis ex natura rei; et liquet imprimis ex eo quod contrahens, cum sit hujus Sacram. minister, eo actu, quo contractum, etiam Sacramentum conficit. — Deinde ex eo quod Christus ipsum contractum conjugalem gratia auxit 168 — illud Sacramentum est factum quod Deus *ab initio* instituit 169, — quodque antea erat *figuraticum* tantum unionis Christi cum Eccl. 169 *seq* *n.* 4. — Tandem confirmatur ex iis, quae occurrunt in rebus actisque civilibus, 170.

2° Haec eadem distinctio rejicitur antiquitatis sensu, ex eo quod eam prorsus ignoravit, quod rata habuit matrimonia clandestina ex solo contractu nuben-

tium orta 171. — quod secundas nuptias sine benedictione celebratas ut verum agnovit Sacrament. 171 *seq.* — Argum. datur generale desumptum ex Patrum testimoniis collectis a Lanoio, quibus constat eos PP. veteris Test. matrim. vocasse Sacram. licet latiori sensu, matrimonia scil. solo contractu constituta sic Sacram. sunt proprio sensu in N. T. 172 *seq.*

3° Ratio agendi Ecclesiae eamdem distinctionem retinendam esse nos docet, et liquet ex Conc. Trid. Sess. XXIV quo constat contractum fuisse et sanctificatum, ut arguit Bellarm. matrimonii sacram. permanet in unione coniugali 172 *seq* — Idem constat ex damnata doctrine Joan. Nuytz, qua negavit contractum naturalem evectum esse ad dignitatem Sacramenti 174. — Tandem id constat ex eo quod Eccl. numquam cogat ad sacerdotalem benedictionem recipiendam eos, qui illicite contraxerint 175. — Ex quibus corollor. deducitur 175 *seq.* — Nec potest dici in matrimoniis christianis, deficiente Sacramento, matrimonium tamen exstare ratione contractus, hoc enim rejicitur 1° natura rei, ita ut sublato Sacramento tollatur contractus 176. — 2° Auctoritate Eugenii IV, Van Espenii 177 *seq.* et *n.* 13. — Concilii Tridentini 178, — et 3° Ecclesiae agendi sentiendique ratione, quae ut fornicarios habet, quicumque contraxerint, quin Sacramentum intervenerit 179. — Tandem idem colligitur ex allocutione Pii IX habita die 27 sept. 1852. — 180. Data etiam veritate sententiae sacerdotem esse matrimonii ministrum, tamen Sacramentum a contractu nequit separari in matrimoniis iuxta formam Trid celebratis 1° quia semper verum erit ipso contractu Sacramentum constitui, 182 *seqq* — 2° Quia id quoque affirmant patroni sententiae Cani, 184 *seqq* — 3° Quia Christus ipsum contractum ad dignitatem sacramenti evexit. 4° Quia eatenus est tantum signum unionis Christi cum Ecclesia, quatenus est contractus gratiam producens, sive quatenus est Sacramentum, 188 *seqq.* et *n.* 23.

Coptorum fides circa sacram. matrim. T. I, 10. *n.* 38.

D

Declaratio et concessio Benedicti XIV circa matrimonia haereticorum Hollandiae, data die 4 nov. 1741. T. II, 192 *seq.*

Decretum cleri Gallican. T. I, 386, *n.* 92.

Dispensatio ex gratia et ex justitia. T. II, 112 *seqq.*

» ex impedimento consanguinitatis in primo gradu lineae rectae numquam datur, si ortum sit ex coniunct. legitimae. T. II, 150 *seqq.* — E contra si oriatur ex coni. illeg. ib 153 *seq.*

Do trinae capita de quibus in Conc. Flor actum est Graecos inter et Latinos T. III, 363. *n.* 8.

Domicilium *aut* quasi-domicilium. T. II. 263 *seq.*

E

Echo du Pacifique. T. III, 57. *n.* 161.

Echo du Mont-Blanc. T. I, 328. *n.* 18.

Episcopi quando dispensare possunt. T. II, 107. *n.* 60. — Non possunt dispensare iure proprio in impedim. dirimentibus. T. II, 107. *Vide* Potestas dispensandi etc.

Euchologia, *vide* Graec.

Exempla matrimon. inter fideles et infideles. T. II. 291. *n.* 25.

F

Facultas Parisiensis. T. II, 62.

Facultas sanandi in radice concessa episcopis Galliae. T. II, 148. — 158. — 163 *n.* 31.

Forma matrim. iuxta sent. eorum, qui docent sacerd. esse ministr. T. I, 72. — Verba, quae formam constituunt, debent esse determinata. T. I, 117.

Formula libelli repudii ap. Hebr. T. III. 156. *n.* 100. — Item apud Romanos. T. III, 167. *n.* 43.

Formulae variae adhibitae in administratione matrim. T. I, 154.

G

Gnostici textu Pauli ad Ephes. abutuntur. T. I, 42.

Graecorum profess. fidei circa Sacram. matrim. in Conc. Lugdun. II, T. I, 2. — Eucologia. I, 6. de bened. nuptial. per Sacerd. T. I, 83, non favent sentent. Cani T. I, 110, et *seqq.* — Doctrina et praxis circa solubilitatem matrim. in casu adulterii. T. III, 359 *seqq.* *Vide* indissolubilitatem, etc.

H

Haeretici, qui matrim. coram solo magist. civil. contrahunt. T. I, 90. — T. II, 192 *seqq.* — *Vide* matrim. clandestina.

Haeretici, qui contrahunt cum infidelibus. T. II, 324.

Haereticorum matrim. sacram. sunt. T. I, 124.

I

Illegitimum apud veteres est *illicitum* matrim. T. I. 98. *n.* 5.

Impedimentor. constituendor. ius ad civil. potest. pertinere deducitur ex sent. M. Cani de sacerd. ministr. matrim. T. I, 73.

Incest. Corinthius. T. II, 139. *n.* 114.

Interpellatio facienda est coniugi infideli. T. II, 296 *seqq.* — Quandonam ab illa dispensatur. 300 *seqq.*

Indissolubilitatem matrim. quod vinculum solo spectato iure naturae, alii absolute negant, alii vero affirmant, licet in peculiaribus adiunctis solubilitatem concedant. T. III, 105 *seqq.* et *nn.* 2 ad 12. — Catholici vero theologi, qui matrim. sola lege nat. spectatum solvi posse docent, id nonnisi iure divino fieri posse contendunt 107 *seq.* et *n.* 22. — Statuendum esse videtur indissolu-

bilitatem omnimodam non pertinere ad praecepta primaria ac essentialia iuris naturae, cum finis primarius etiam sine illa obtineri possit 108 *seq.*, — praeterquam quod saepius a Deo ab insolubilitate dispensatum sit, 109. — Est tamen iuri naturae omnino conformis, cum societas coniugalis perpetuitatem postulet, 109 *seq.* et *n.* 25. — Mala praetera ex solutione matrim. plura oriuntur 110 et *n.* 26 et 27. — Quod experientia confirmat, 111 et *nn.* 28. ad 32. — Infertur indissolubilitatem naturae lege constitui, quod a Patrum auctoritate confirmatur, 113 *seq.* — Non ergo ex solo praecepto positivo firmitas matrim. oritur, 114. — Neque oritur ex voluntate contrahentium, sive lege humana, 115. — Neque proinde contrahentes ad matrim. durationem conditiones apponere possunt, 115, et *nn.* 36 ad 39. — Sententiae, quae videntur oppositae, conciliantur, 118. — Pseudo-philosophi perstringuntur; divortii origo, 118 *seqq.* et *nn.* 41 ad 51.

Verba ab Adamo Genesis. II, 23, 24, prolata positivam legem non continent, sed tamen satis ostendunt Dei voluntatem circa unitatem et praesertim indissolubilitatem matrimonii. T. III, 121 *seq.* et *n.* 55. — Coniugio protoparentum praeterea significatur futura unio Verbi cum humanitate, et Christi cum Eccl. quae unica est, 122 *seq.* et *n.* 57. — Ad illud provocant Patres, ut matrim. indissolubilit. adstruant. ibid. Abraham ex peculiari Dei mandato dimisit uxorem Agar, 123. — Quid per *libellum repudii* a Moise concessum sit iuxta varias sententias, inquiritur, 123 *seqq.* et *nn.* 63 ad 93. — Ex rationibus allatis constat, divortium in lege Mosaica non praeceptum, sed permissum fuisse, licet aegre et non nisi gravi et legali de causa, 134 *seqq.* et *nn.* 96 ad 101.

Indissolubilitas matrim. in lege evang. unde oriatur, iuxta varios auctores exponitur. T. III, 137 *seqq.* — Non videtur oriri neque ex eo quod significet unionem Christi cum Eccl. neque ex eo quod ad dignitatem sacramenti est evectum, 140 *seqq.* — Sed ex eo quod natura sua est insolubile, et quod Deus id solvere non amplius statuerit, 143 *seqq.* — Et sic theologorum variae sententiae componuntur, 146 *seq.*

Indissolubile esse matrim. quoad vinculum etiam in causa adulterii catholica est doctrina. T. III, 147 *seqq.* — Huic doctrinae obiiciuntur textus, qui leguntur Matth. V, 31, 32 et XIX, 3 *seqq.* quorum genuinitas aut integritas a criticis nonnullis in dubium revocatur, 148 *seqq.* et *nn.* 2 ad 11. — Horum rationes examini subduntur, 153 *seqq.* et *nn.* 12 ad 33. — Admissa authentia praedictorum locorum, docent Protestantes communiter interveniente adulterio, matrim. solvi posse quoad vinculum; contra catholici non solvi quoad vinculum sed quoad torum, 161 *seq.* — Variae dantur catholicorum expositiones, 162 *seqq.* — Non posse intelligi Christum locutum esse iuxte legem Mosaicam. Variis rationibus probatur, 165 *seq.* — Neque pariter textus praedictos intelligendos esse de matrim. Iudaeorum vel primorum ex Iudaismo fidelium ostenditur, 167 *seqq.* — Exponitur sententia eorum, qui dicunt Christi verba intelligenda esse de fornicatione ante matrimonium patrata, 170 *seq.* — Eadem sent. refutatur, 172 *seqq.* — Alii eadem verba intelligunt de statu fornicario, 174 — confutantur, 174 *seqq.* et *nn.* 50 ad 86.

Ut vera doctrina exegetice statuatur, distinguenda est facultas dimittendi, a facultate dimissam ducendi. T. III, 188. — Illam Christus cap. V. Matth. concedit, hanc aufert, 189 *seqq.* et *nn.* 87 ad 90. — Idem constat ex verborum contextu, cum dicatur : *facit eam moechari* scil. ille, qui cum dimissa sese conjunxerit, et hujus criminis reus est vir, qui dimiserit uxorem suam absque causa adulterii ; contra vero eiusdem criminis reus non erit, si fornicatio dimissionis causa fuerit, 192 *seq.* — Idem ex incommodis, quae ex contraria interpretatione sequuntur, 193 *seqq.* et *n.* 93. — Idem efficitur circa textum cap. XIX, 3 *seqq.* Matth. in quo Christus concessionem libelli repudii dandi aufert, 193. — Ac proinde negavit dissolutionem quoad vinculum, 196 — Eo quoque sensu praedicta verba discipuli intellexere, 196 *seq.* et *n.* 96. — Nec potest dici solvi vinculum ipso actu adulterii, nec voluntate mariti, 197 *seq.* — Nec obstat Christum respondisse de sola solutione quoad torum, 198 *seqq.* — Indissolubilitas omnimoda confirmatur ex Marci X, 11, 12. 199 *seq.* — Expositio adversariorum, 200 *seq.* — refutatur, 201 *seq.* et *n.* 106. — Idem efficitur ex textu Luc. XVI, 18. Cujus erronea interpretatio reiicitur, 205, *seq.* ac concluditur, 207 *seq.* et *n.* 109.

Indissolubilitas [illegible]na quoque matrim. roboratur ex Ep. ad Rom. VII, 1. 2 Ubi adulterii rea dicitur uxor, quae ad alias transierit nuptias, donec vir eius vixerit. T. III, 208 *seqq.* et *nn.* 112, 113. Nec obstat apost. alludi ad legem Mosaicam, nam loquitur non juxta concessionem datam, sed iuxta legem primitivam, 210 *seq.* — Quod ulterius confirmatur ex tempore, quo haec epistola fuit scripta, et ex solutione rationum, quae opponuntur, 211 *seqq.* et *nn.* 116 ad 125. — Eadem indissolubilitas conficitur ex eis, quae scribit Ap. I, Cor. VII, 10, 11 ac 39. Ut constat ex occasione, qua haec scripsit Ep. et ex obvio contextu, 215 *seqq.* et *n.* 125. — Contraria interpretatio exponitur, 215 *seq.* et *nn.* 126 ad 131, — et refellitur, 217 et *n.* 133.

Quae ex Scripturis ss. pro indissolubilitate vinculi matrim. in causa adulterii allata sunt, determinantur continua traditione, in qua imprimis occurrit Hermas, vir apostolicae aetatis. T. III, 219 *seqq.* et *nn.* ibid. — Deinde St. Justinus M. 226 *seqq* et *nn.* ibid, — Athenagoras, 230. — Tertullianus cum Marcione, 231 *seqq.* et *nn.* ibid. — Clemens Alex. 240 *seqq.* et *n.* 42. — Origenes, 243 *seqq.* et *nn.* 52, 55. — S. Cyprianus, 250 *seq.* et *n.* 56. — Lactantius, 251 *seqq.* et *nn.* ibid. — Concilium Iliberit., 255 *seqq.* et *nn.* ibid. — Concilium Arelat, 261 *seq.* et *nn.* ib. — S. Basilius, 263 *seqq.* et *nn.* ibid. — S. Gregorius Nazian., 271 *seqq.* et *nn.* ibid. — S. Ambrosius, 274 *seqq.* et *nn.* ibid. — S. Epiphanius, 278 *seqq.* et *nn.* ib. — S. Joan. Chrysost., 284 *seqq.* et *nn.* 136, 138. — Theodoretus, 289 *seqq.* et *nn.* ib. — Asterus Amasae ep., 294 *seq.* et *n.* 151. — S. Hilarius Pictav. 296 *seq.* et *n.* 155. Chromatius Aquil. 297 *seqq.* et *n.* 158. — S. Hieronymus, 299 *seqq.* — S. Augustinus, 305 *seqq.* — S. Innocentius I. Rom. Pont., 309 *seqq.* et *nn.* 186, 187. — Concil. Milevit. II, 313 *seqq.* et *nn.* ib. — Analysi instituta documentorum, quae e quinque primis Ecclesiae saeculis allata sunt, liquet Patrum doctrinam esse, ut in nullo casu absque adulterio, vivente altero coniuge, fas sit alteri sese copulare iuxta legem in canone apost. statutam, 317 *seq.* et *n.* 198. — Patres vero, qui dicunt

posse innocentem coniugem dimittere adulterum vel adulteram, numquam affirmant, licitum esse ad alias nuptias transire, ita ut ne unus quidem pro sententia divortii quoad vinculum afferri possit, 319 et *n.* 200. — Hinc non est cur dicatur *plures* Patres in casu adulterii pro solutione matrimonii stetisse, 320.—Aliis occurritur objectionibus, 320 *seqq.* et *nn.* 302, 30. — E documentis, quae suppeditant a VI saeculo, alia sunt certa ac consonant cum avita doctrina, alia vero difficultatem facessunt aut dubia sunt. T. III, 322. — Certa sunt ac indissolubilitatem perfectam matrim. statuunt, quae scriptis reliquit Vene. Beda in comm. in I Cor., 325 *seq.* Item Concil. Herutordiense, 324. — Concil. Paris. VI, 324. — Conc. Nannetense, ib. — Concil. Forrojul. 325 *seq.* et *n.* 209. — Capitula selecta canonum Hibern., 326. — Concil. Tribur. ib. — Capitulare Caroli M. 326 *seq.* et *n.* 315 — ius Graeco-Romanum, 327 *seq.* — Ac Ioannes VIII Rom. Pont., 328 et *n.* 217.

Dubiae vero auctoritatis est canon. XXVI Concilii Hibern. II, 329 et *n.* 220. Dubiae interpretationis canon Concil. Trullani, 250 et *n.* 224. — Item canon Concilii Suession. 321 et *n.* 226. — Similiter canon Concil. Vermer., 332 et *n.* 238. — Responsum datum a Greg. II ad S. Bonifacium ad praesentem quaestionem non pertinet, 332 *seqq.* et *nn.* 229 ad 236. — Varie exponitur decretum Zachariae tributum veriusque dicendum videtur falso illud Zachariae adscribi, 334 *seqq.* et *nn.* 239 ad 242. — Dubiae pariter significationis est capitulum allatum Caroli M., 336 *seq.* — Necnon canon Concil. tum Agatheus tum Venetici, 337 *seq.* — Idem dicendum de effato Alcimi Avitivienneus. Ep. 338 et *n.* 249. — Majorem facit difficultatem conventus Compediens. 338 *seqq.* et *nn.* 152 et 155. — Intricatior versatur quaestio circa Poenitentiale Theodori, Archiep. Cantuar., 341 *seqq.* et *nn.* 254 ad 259. — Non esse Theodori opus affirmandum esse videtur, 345 *seqq.* et *nn.* 260 ad 265 — Theodorus praeterea indissolubilit. matrim. profitetur, 345 *seqq.* — Qui vero hos canones privatim adornarunt, videntur se accommodasse legi civili non vero doctrinam ecclesiae Anglicanae exposuisse, 347 *seqq.* et *nn.* 269 ad 275. — Poenitentiale Romanum dubiae quoque originis et significationis dicendum est, 350 *seq.* et *nn.* 275 ad 278. — Duae synodi Romanae objiciuntur et explanantur, 351 *seq.* et *n.* 280. — Vera doctrina et praxis Rom. eccl. haurienda est ex Stephano II, Rom. Pont., 352 *seqq.* — Ex praefatis documentis, ea quae certa sunt, indubitatam doctr. Eccl. exhibent de omnimoda firmitate vinculi matrim., 354 *seq.* — Quae vero dubia diximus, et contrariam doctrinam continent, sunt aut dubiae auctoritatis, 355 *seq.* et *n.* 283 et 284 — Aut sensus dubii, 356. — Aut etiam si certa fuerint, nullum habent valorem pro sent. opposita. 357 *seq.* — Tandem si solvi posset matrim. ob adulterium juxta textum Matth., haec doctrina et praxis longe lateque fuisset diffusa, 358.

Indissolubilitatem matrim. in casu adulterii, Graeci, tum schismatici tum uniti, non servant saltem in praxi. T. III, 359 *seq.* — Quoad doctrinam vero non dissentiunt ab ecclesia Latina, cum indissolubilitatem absolutam matrim. profiteantur, 360 *seqq.* et *n.* 6. — Nec unquam hac de re dissidium factum est Latinos inter et Graecos, 363 *seq.* et *n.* 8. — Ratio agendi Graecorum id manifestat, qui praxim suam purgare numquam potuerunt, 364 *seqq.* et *nn.*

9. 10. — Praxis haec non ex aliqua doctrina, sed ex legibus civilibus orta videtur, 366 *seqq.* et *nn.* 11 ad 24. — Sedes Romana numquam destitit ab hisce abusibus improbandis, ut liquet ex Eugenio IV in Conc. Flor., 372. — Idem praestitit Clemens VIII, 372 et *n.* 26. — It. Urbanus VIII, Benedictus XIV, 373 *seqq.* et *nn.* 27, 29.—Unde veram esse doctrin. Eccl. Rom. agnoscitur, 374 *seqq.* et *nn.* 30, 31.

Indissolubile esse matrim. in casu adulterii definivit Trid. can VII. sess. XXIV. 376 *seq.* — Liquet ex textu et historia hujus canonis formae, 377 *seq.* — Erroneae hac in re referuntur sententiae, 380 *seq.* et *nn.* ib. — Liquet autem ex scopo et ex objecto canonis eum esse doctrinalem et dogmaticum, 383 *seq.* — Pravis Graecorum post hanc definitionem carpitur, 384 *seq.*

L

Leges Longobardum. T. II, 350, et *n.* 41.

Lex civilis Graecor. circa divortia. T. III, 366 *seqq.*

Lex Julia. T. III, 278 *n.* 121.

Lex matrimonii civ. ubinam existat. T. I, 271 *seq.* et *nn.* 1 et 2. — Ea lex est antiphilosophica, quia in concreto distinguit et separat, quae non nisi in abstracto distingui possunt, 272. — Quam nefas sit talem inducere distinctionem confirmatur ex ratione opposita, qua Eccl. agere posset erga potestatem civilem, 273. — Et imperatores infideles erga Christianos, 174 *seq.* — Nec obest legem civ. tale matrim. tantum *permittere*, non vero *praecipere*, idem eo vel magis quod relate ad actum consummatum vere positiva et praecipiens sit, 276. — Lex eadem contemnit religionem Christ., dum ut honestum habet, quod religioni directe adversatur ibid., Similiter et Ecclesiae contemptum prodit, dum impune id posse fieri statuit, quod Eccles. gravibus sub poenis prohibet, 276 *seq.* — Iterum incredulitatem supponit, quoniam nequit serio credere divinam esse religionem catholicam, qui contra ejus praecepta fornicariam vivendi rationem cohonestari satagunt, 175. — Atheismum tandem prodit politicum, quasi christiani ut cives tantum deberent spectari, et societas civilis esset ultimus hominum finis, 278 *seq.* et *n.* 5. — Legis matrim. civilis auctores et promotores gravissimi criminis rei sunt 1° quia Ecclesiae legem violant, 283. — 2° Quia alios ad peccandum alliciunt, 283 *seq.* — 3° Quia eosdem aeternae damnationis periculo exponunt, 283 *seqq.* *n.* 9. — Lex eadem antipolitica est 1° eo quod pugnat cum fine bono ac honesto, quem omnis sapiens legislator sibi praestituere debet, 288 *seqq.* et *n.* 10. — 2° Quia pugnat cum religione in societate vigente, 291 *n.* 11 et 12. — 3° Quia adversatur communi populi sententiae, 293 *seq.* et *n.* 13. — 4° Quia viam aperit ad corruptionum morum, 294 *seqq.* et *nn.* 15 et 16. 5° Quia tendit in destructionem familiae et societatis 298 *seqq.* — 6° Tandem quia violenta cum sit, vel abrogari debet vel omni vi carere, 299 *seqq.* et *nn.* 18 ac 19. — Lex matrimonii civilis tyrannica est imprimis in Eccles. eiusque ministros, qui si muneri et conscientiae suae pareant, omnigenis vexationibus obnoxii sunt, 303 *seqq.* — Tyrannica pariter est in ipsos coniuges, quorum si

alter coram Ecclesia contrahere voluerit altero renitente, is vi cogeretur ut contractum civilem servaret in eoque permaneret, 304 *seqq.* — Tyrannica non minus est erga prolem, quoniam filii ex pravis parentibus progeniti omni religiosa institutione plerumque destituuntur, et hoc ex causa matrimonii civilis legis, 309 *seqq.* — Tyrannica demum est erga cives universim, qui non possunt non damnare propinquorum suorum connubia mere civilia, eisdemque omni conatu obsistere, legi tamen latae cogebuntur sese subjicere, imo et legitimos habere filios, quos Ecclesia ut spurios declarat, 211 *seqq.* et *nn.* 22, 23. — Nec obest quod dicitur ad hanc novam legem statuendam, id exigi *spiritu*, qui hac aetate societatem informat, et *principiis*, quibus eadem regitur; namque spiritus ille est progenies protestantismi et in dies immutatur, 315 *seqq.* et *nn.* 2, 4. — *Principia* identidem prava sunt et ad impietatem tendunt, 317 *seqq.* et *nn.* 6, 7. — Neque *conscientiae libertas* talem legem exigit. Huiusmodi enim principii promotores et plurimum osores sunt maximi libertatis catholicorum, 322 *seqq.* ut *n.* 12. Eaque nihil aliud significant quam 1° se nihil pati velle quod sibi opponatur, aut 2° emancipationem ab Ecclesiae auctoritate, aut 3° licentiam mala vitiaque omnigena patrandi, 324 *seqq.* et *n.* 15. — Quinimo iidem nullo modo sibi sunt cohaerentes, dum jurejurando interposito legum civilium custodiam exigunt etiamsi legis religionis catholicae adversentur, 327 *seq.* et *n.* 18. — Vera insuper notio libertatis conscientiae eidem legi obstat, quoniam ea exigit, ut nullum lege civili impedimentum ponatur quin civium unusquisque obligationi suae conscientiae satisfaciat, tale autem ponit impedimentum lex de matrim. civili, 329 *seqq.* et *n.* 19. — Libertas tandem conscientiae optime consistere potest cum obligatione servandi ritus religiosi in nuptiis incundis, 334 *seqq.* et *nn.* 21, 24, 26 et 27. — Neque dici potest hac lege servari distinctionem non confundendam inter *civem* et *christianum*, nam contractus matrimonialis unus et indivisibilis est, et tamquam Sacramentum ad Ecclesiam spectat; et si considerari potest sub respectu civili, hoc unum tantum probat, civilem auctoritatem posse eum moderari contractum sub respectu civili seu quoad effectus civiles, qui contractui extrinseci sunt, non vero, contractum ipsum attingere, 336 *seqq.* — Similiter separatio status ab Eccl. huic legi minime favet, supponit enim huiusmodi ratio magistratui civili potestatem inesse circa ipsum contractum coniugalem, dum hoc falsum est quoniam a sola Dei institutione pendet, 342 *seq.* et *nn.* 33 et 34. — Supponit eadem ratio contractum civilem distinctum esse in matrim. Christ. a Sacramento quod pariter falsum est, 344 *seq.* — Supponit tandem scopum legis esse vindicandi independentiam civium et potestatis civilis ab Eccl. Quoniam haec contra Dei legem pugnantia sunt, cum cives ac Status non magis indepedentes sint ab Eccl. quam corpus ab anima, ac homo a Deo, 346 *seqq.* et *nn.* 37 *seqq* — Qui autem dicerent populi religionem ac mores nihil ex hac lege pati, eo quod catholicus cum sit populus, numquam omittet ritum religiosum, ac solum matrim. civile foret rarissima exceptio; illi hoc unum ostenderent populum meliorem esse suis legislatoribus, eumque non lege dirigi, sed legem pravam corrigere ac proinde legem per se pravam esse, 352 *seqq.* et *n.* 54. — Exemplum vero ab aliis populis desumptum, nulla ratione rem

conficit, tum eo quod illud, quod per se pravum est, nullius cuiuscumque exemplo cohonestari potest; tum etiam eo quod apud illas gentes, Galliae scil. et Belgii, mala innumera ex hac lege promanarunt, 357 *seqq.* et *nn.* 57 — 67. — Rationes theologicae pro eadem lege de matrim. civili allatae nullius sunt valoris, namque 1° falsum est Christum separasse societatem civilem a religiosa, unius eiusdemque enim societatis Christus rex ac Dominus est, ac propterea neque societatem a societate, neque potestatem a potestate separavit, sed tantum distinxit, ita ut coniunctim remaneant sicut anima et corpus, 370 *seqq.* et *n.* 78. — Falsum 2° est Sacramentum contractui accedere, sed Sacram. in ipso consistit contractu 372 *seq.* — Falsum 3° est principes ethnicos ius habere in ipsum matrimonii contractum, sed tantum ius habent in ea, quae contractui extrinseca sunt, 373 *seqq.* et *nn.* 79, 80 et 81. — Ac propterea 4° falsum est religionem christianam invenisse contractum matrimonii legibus civilibus subditum, effectus enim solum civiles lege civili regebantur, 375. — Quod 5° additur virtutem suam non mutuari a ritu religioso, verum quidem est, sed nullo modo favet civili potestati circa matrimonii contractum; nam sicut Ecclesia potest statuere ad validitatem contractus matrim. ut ritu religioso celebretur, sic potest efficere ut contractus etiam clandestine initus sufficiat ad valorem Sacramenti, et consequenter totus matrimonii contractus independens est a potestate civili, 377 *seq.* et *n.* 83. — Falsum 6° civilem potestatem non posse vi cogere subditos, ut actibus externis saltem religioni catholicae obsequium praestent. 379 *seq.* et *nn.* 84, 85. — Falsum 7° est legem de matrimonio civili non dogmati sed disciplinae adversari, 381. — Historia Ecclesiastica nullum firmamentum affert pro matrimonio civili, quoniam nequit ostendi post Trid. Conc. et ubi publicatum fuit, contractum esse validum absque parochi praesentia etc., 382 *seqq.* et *nn.* 87 — 93. — Nec unquam matrim. fuit contractus mere civilis ibid. Neque verum est, ut aiunt patroni legis de matrim. civili, Concilium Trid. distinctum docuisse contractum a Sacramento, sed cum Florentino docet haberi Sacramentum, dum adest contractus inter Christianos, et ideo inhabiles reddit ad contrahendum, qui aliter quam iuxta formam a se praescriptam illud attentarent, 387 *seqq.* et *nn.* 95 *seq.* — Falsum quoque est doctrinam Trid. quoad matrim. esse disciplinarem, ac licet sint leges disciplinares, eisdem, ut a potestatem habente latis, oportet obsequium praestari, 392 *seqq.* et *nn.* 102 et 106. — Neque tandem dici potest in favorem legis de matrim. civili, contractum separari posse a Sacramento; et enim inter Christianos contractus matrimonialis est sacram. aut nullus est, 395 *seqq.* — Unde contractus non separatur a Sacramento tanquam res a re, 400 *seq.* — et haec doctrina licet non sit de fide est tamen *certa* et *catholica*, 401 *seq.* et *n.* 113. — Ac proinde inter Catholicos non datur matrim. *verum* quod non fuerit *ratum*, sed cum *ratum* non sit, est verus concubinatus, 403 *seqq.* et *nn.* 114, 115 et 116. — Unde non ad principes sed ad Eccl. spectat formam matrimonii praestituere, 405 *seqq.* et *nn.* 117 — 119. — Neque ideo verum est Trid. damnasse matrimonia clandestina ex delegatione principum, 411 *seqq.* — etc.

Libertas conscientiae. T. I, 322 *seqq.*

M

Matrimonium esse verum N. L. Sacramentum ostenditur ex perpetua Ecclesiae doctrina. T. I, 1.—Quam doctr. exhibuit Trident. Syn. *ibid.*—Hanc perpetuam et const. Eccl. doctr. fuisse prob. ex Conc oecum. Lugdunensi II. Et Florentino, 1, 2. — Ex Conc. Veronensi, I. 3. — Ex synodo Graecorum celebr. adv. Cyrillum Luccarim. I, 5. — Ex serie *ordinum* in Eccl. Lat. ad bened. nupt. 1, 3 et *ss.* — Ex Eccl. log. Graec. Nestorianorum, Monophysitorum, 8 et *seq.* — Ex fide Iacobitarum, Coptorum, Armenorum. 10 et *seqq.* — Ex S. Patribus, 1° qui de *benedictione* mention. fac. — Tertullianus, I, 14. Syricius P. 115. Gregorius Nanz. *ib.* — Hilaricus diac.. *ibid.* — Isidorus Hispal. *ibid.* — 2° qui *sanctificationem* matrim. tribuunt. Ambrosius, *ibid.* — Cyrillus Alex. 1, 16. — Augustinus, *ibid.* — 3° qui *gratiam* per coniugium conferri signif. Tertullianus, 1, 16. — Innocentius I, P. R. *ibid.* — Ambrosius. *ibid.* — 4° Qui matrim. Sacram. vocant. Tertullianus, 1, 17. — Leo M. P. R. *ibid.* — Augustinus, *ibid.*

Matrimonium utp. Sacram. ad Eccl. regimen semper pertinuit, 1, 18. — Ignatius Martyr. *ibid.* — Clemens Alex. *ibid.* — Synesius, 1. 19. — Theophilus Alex. *ibid.*

Falsum est matrim. esse Sacram. ab Ecclesia institutum, 1, 20 et *seqq.*

Matr. esse Sacram. ostend. ex communi Scholast. doctrina. — Hugo a S. Victore, 1, 24. — Petrus Pictaviensis, 1. 25. — Petrus Lombardus, 1. 25. — Albertus M. 1, 26. — S. Thomas. 1, 27. — S. Bonaventura, 1, 27. — Duns Scotus, 1, 28. — Mediavilla, 1, 30. — Quid senser. Durandus a Monte Porciano, 1, 30 et *seqq.* — Petrus Paludanus, 1, 31 et *seqq.*

Matrim. Sacramenti veritas ostendit. ex Eccles. interpret. textus D. Pauli Ephes. V, 32, 1, 35. — Ritualia, Euchologia, R. Pontif. et Patres ad verba Paul. alludunt. 1, 36. — Tria requir. ad constitu. Sacram. Institutio divina, signum rei sacrae, promissio gratiae, 1° Institutum esse a Deo Const. ex Genes. 11, 18. — Matt. XIX, 6. — I ad Cor. VII, 38. — I ad Timoth. IV, 3, et V, 14. — Ad Hebr. XIII, 4. — 2° Esse signum rei sacrae evinc. ex verbis Pauli ad Eph. quod ostend. tum ex veterum interpret. — Ambrosiaster sive Hilaricus diac. 1, 36. — Gregor. Nanz. Joan. Chrysost. Augustinus, 1, 36. — Tum ex ipso textu et scopo Apostoli, 1, 37 et *seqq.* — 3° Conferre gratiam. Ex verbis Apost. ad Ephes. V, 25. — I ad Timoth. 11, 13, 1, 37. — Ex Patribus, Clemens Alex. 1, 41. — Ambrosianus, *ibid.* — Hieronymus, *ibid.* — Theodoretus, *ibid.* — S. Athanasius. 1. 42. — Origenes, *ibid.* — Iraeneus, *ibid.* — Leo M. 1, 43. — Conc. Trident. 1, 44, *n.* 119.

Matrimonii christ. minister. *vide* Minist.

Matrim. quod *in radice* senatur. 1, 90. *Vide* Sanare.

Matrim. *illegitimum* signif. *illicitum*, 1, 97, *ibid.* n. 5.

Matrimonium civile quid sit? T. I, 194. Ex hucusque dictis et ex Conc. Trid. doctrina liquet, matrimonia civilia, in locis ubi Conc. Trid. fuit publicatum inita, turpes esse concubinatus, 195. — Ita quoque Pius IX in Alloc.

hab. 27 sept. 1852, 193 et Leyser *ibid. n.* 1. — Confirmatur ex doctrina PP. qua legem hanc non posse cohonestare, quae lege divina reprobantur, 196 *seqq.* —Hinc gavi vocabulorum abusu rei sunt politici, qui *matrimonii civilis* vocem adhibent, 198. - Hinc quoque ii, qui ita contrahunt poenas in concubinarios ab Ecclesia statutas incurrunt, 199 *seqq.* — Neque lege quacumque civili ab hisce poenis eximi possunt, 201 *seq.*

Matrimonium civile divortio favet, etenim ob solam rationem Sacramenti indissolubile est christ. matrim. ideoque cum matrim. civile nec contract. nec sacram. sit, erit natura sua solubile vel potius nullum erit. 203 *seq.* — Ac licet foret contractus tamen solubilis hic esset; namque insolubilis non est lege naturae, 203. — Nec talis fieri potest auctoritate humana, 205 *seq.* — Argumentum hoc experientia confirmatur, 206 *seqq.* et *n.* 20, 23 et 27. — Necnon auctoritate Eichorn prof. Berolinensis, 210.

Matr. civ. pandit viam polygamiae, quae, lege divina prohibita, inter Christianos haberi nequit T. I, 211. — Ex principiis Catholicis matrim. civile non est nisi concubinatus, inde si postea ad alterum coniugium coram Eccl. quis transiret, hoc solum esset matrim., 212. — Sed ex principiis oppositis non idem consequitur namque cum solubile sit matrim. civile, poterit quis vivente adhuc priore alteram ducere, et veram polygamiam admittere, aut saltem contra coniugii Christ. firmitatem peccare, publiceque polygamiae scandalum praebere, 212 *seq.* — Quae omnia pugnant cum doctrina catholica, 214. — Patet autem quod si semel constiterit matrimonia subesse auctoritate civili, Poterit haec et polygamiam eodem iure permittere, quo solvi eadem posse constituit, 215, et *n.* 33. — Quod argum. confirmetur ratione agendi Mormonitarum, 216 et *n.* 33 et 36. — Et sequitur ex principiis Protestantismi, 217 *seqq. n.* 38. — Ex defectu firmitatis ac unitatis matrim. civ. sequitur illud subvertere publicam honestatem, quae consistit in eo quod actiones civium ad regulam rectae rationis a religione illustratae ordinantur, 220. — Hanc autem religionis regulam seponit matrim. civ. et qui tale matrim. ineunt, illam parvi pendunt, 220 *seq.* — Praeterea ut tales publice cognoscuntur, scandalumque praebent, 221. — Matrimonia ipsa instabilia sunt et affectu tepescente aliisve contradictionibus aut suspicionibus orientibus facile admodum solvuntur, 222 *seq. n.* 41, et 42. Exinde morum corruptela enascitur, quum ii, qui negligunt religionis officium, quod tam facile implere potuere, idque experientia testatur, 224. — Crescit corruptela et ex pravo exemplo pravaque litterarum institutione, 224 *seqq.* — Tendit propterea in ruinam familiae, quoniam religionem, quae vinculum est validius Societatis tum domesticae tum publicae, amandat, 227 *seq.* — Filii quoque exinde procreati, ad parentum exemplar, nulla religionis lege ducti, debitum obsequium eisdem praestare detrectant, 229. — Quod eo vel magis verum erit, quod ordinarie pia ipsorum institutio negligatur, vel etiam omnino a parentibus relinquitur, 230 *seq.* — Item societas publica per civ. matrim. in periculum versatur, namque religione relaxata, publicae auctoritatis vis destruitur, 151 *seq.* et *n.* 49 et 50. — Praesertim cum lege Ecclesiae spreta, lex civilis cum divina in conflictu versetur, 236 *seq.* — Aut cum lex civilis permittat matrim. quod Eccl. prohibet, 238 et *n.* 52 et 53.

— Filii quoque ex tali matrim. orti ut spurii a populo Christiano habentur, dum ut legitimi a lege civili dicuntur, hinc dissidia publica, praesertim dum ex diverso toro nati, haereditatem adire contigerit, 239 *seq.* et *n.* 54.

Matrimonii civ. origo nequit repeti ex antiquitate christiana, quoniam matrim. semper ut res sacra habitum est ac continuo sub Ecclesiae potestate fuit, nec unquam ab auctoritate civili hac in re quidquam fuit praescriptum. T. I, 241 *seqq.* — Imo nec apud gentiles matrim. civile agnitum fuit, sed contra ut sacrum apud eosdem habitum, 244 *seq.* et *n.* 3. — Idque tum indirecte tum directe demonstratur, 245 *seqq.* et *nn.* 8, 10, 13 *seqq.* — Inductum autem est matrim. civ. ex doctrina Lutheri, qui negavit matrim. esse Sacram., 351 *seqq.* et in notis *ibid.* — Ex hoc fonte derivant pseudopolitici erroneam doctrinam de distinctione inter Sacram. et contractum civilem, 265 *seq.* — Ex doctrina sua Protestantes firmitatem matrimonii negant, et causas dissolutionis tribunalibus civilibus deferunt, 257 *seq.* et *nn.* 27 *seqq.* Hinc multiplicantur divortia ac etiam polygamia simultanea habetur, 258 *seq.* et *n.* 31 et 32. — Hinc homines illi, qui Protestantismo aut indifferentismo proclives sunt, magis favent doctrinae de matrim. civili, 260 *seqq.* — Ab initio catholici a protestantium commercio et doctrina abhorruere, nec ullus est inter theologos, qui matrimonii civilis mentionem faciat, donec paulatim hac a Protestantismo aversione decrescente, indifferentismus ac Atheismus in vulgus disseminari coeperit et lege lata an. 1789 et 1793 matrim. civile tandem proclamatum fuerit. — 263 *seq.* Postea communismus et socialismus subsecuti sunt, quibus, proprietatis fundamento subverso, leges quoque matrimonii concussae fuere, 264 *seqq.* et notis 34 *seqq. ibid.*

Matrimonia clandestina. T. I, 133. — 137. — 148 *seqq.*

Matrimonia clandestina omnia, tum catholicor. haereticor. tum mixta, valida sunt ubi Trident. non fuit publicatum. T. II, 192. — Ubi autem concessio Benedicti XIV pro Hollandia data, fuit extensa, ibi quoque matrim. haeretic. clandestina sunt valida licet decret. Trident. ibi publicatum fuerit, 193. — Utrum vero matrim. mixta et haereticor. clandestina, ubi publicatum fuit decret. Trid. et nulla dispensatio aut concessio apostolicae Sedis fuit data, sint valida vel non, valde disputatur inter auctores, 194. — Qui tenent ea matrim. esse valida, arguunt ex mente Conc. Trident. quod voluit decreti valorem pendere ab eius publicatione ne nimis offenderet haereticos, qui illud numquam sane observassent, itaque hoc inconveniens ut vitetur, matrim. illa valida habeantur, 195 *seq.* et *n.* 19. — Deinde si forent invalida, deberet consensus renovari cum ad catholicam fidem convertantur, quod magnum est inconveniens, 190 *seq.* — Impossibile esset haereticis se sistere parocho cath. neque hic posset eorum matrim. benedicere, 197. — Accedit. nihil generatim hucusque fuisse constitutum ab Ecclesia imo suo silentio validitati videtur favere, 198. — Praxis quoque eiusdem favet validitati, quum numquam renovare consensum curet, ac Greg. XVI expresse id supponit, 198 *seqq.* — Quod vero dicunt de matrimoniis haereticorum, id idem statuunt de mixtis, quoniam pars catholica particeps fit dispensationis a forma Tridentina, supposita pro a catholica, 201. — Sic arguunt pro Bavaria, 201 *seq.* — Nec non pro Gallia

pro tempore tum ante non vero post, revocationem edicti Nannetensis, tum ab anno 1787 usque ad nostra tempora, quoniam constituti sunt Protestantes eo tempore in societate religiosa cum templis suis ac ministris, 202 *seqq.*

Auctores vero, qui docent matrim. haereticorum aut mixta clandestina inita in locis ubi Decret. Trid. publicatum fuit, nec indultum ullum a S. Sede concessum, esse prorsus irrita, sequentibus nituntur rationibus 1° Haereticos lege universali Trid., in qua nulla facta est exceptio, obligari T. II, 203 *seq. n.* 42. — 2° Idque Trid. ut certum habuisse, dum conditionem publicationis adjecit, 206 et *n.* 43. — 3° Quia plerique omnes fatentur matrim. mixta sic inita ibidem esse irrita, 206 *seq.* — 4° Quia declaratio Benedicti XIV ideo ad plures regiones extenditur, ut matrim. ita inita fiere ut valida, 207 *seq.* — Quia praxis eccl. Romanae est, ea matrimonia haereticorum haberi invalida, 208. — Documenta, quibus declarantur invalida atque irrita haereticorum matrim. dantur pro Gallia, 209 *seqq.* — Et pro quocumque tempore, 211. — Ideo quoque S. Congreg. inquis. in matrim. mixtis clandestine contracta aut dispenset ut consensus renovetur coram parocho, aut ea sanat in radice, 211 *seq.* — Similia documenta habentur pro aliis regionibus scil. pro civitate Ulma dioec. Constant. 213. — Item quoad matrim. mixta in Hungaria, 214. — In provinciis cath: Belgii, *ibid.* — In Gallia, 215. — In dioec. Coreyrensi, 215. — In insula Melitensi, 216. — Haereticor. vero matrim. declarantur invalida variis documentis, 216 *seqq.* — Argumentis expensis, quibus adstruitur validitas horum matrim. liquet ea nullius esse valoris, 221 *seqq.* et *nn.* 58 ad 66. — Argumenta vero, quibus eorumdem matrim. valor impugnatur, inducta illa esse videntur, — ac proinde matrim. in dictis locis clandestine inita, invalida dicenda, 229 *seq.* et *nn.* 66 et 67.

Matrimonia haereticorum clandestine inita licet Ecclesia non approbet nec ut valida habeat, tamen prudenti silentio ob bonam fidem contrahentium dissimulat ac tolerat. T. II, 231. — Idque variis documentis constat et hoc etiam quando ad cath. religionem convertuntur, 232 *seqq.* — Matrimonia ab initio irrita possunt valida fieri ob consensum renovatum in loco ubi Trident. non obligat, 234 *seq.* — Item possunt esse valida propter desuetudinem seu longam inobservantiam Trid. decreti, 236 *seq.* et *nn. ibid.* — Dejiciuntur querelae haereticorum, 138.

Matrimonia clandestina inita in locis, ubi viget Trident. omnia sunt invalida etiam eorum, qui transmigrant e loco ubi Trident. non fuit publicatum in locum ubi publicatum fuit, ibique non servata forma Tridentini illa contrahunt, quia forma debet servari loci, ubi contractus initur. T. II, 260 *seqq.* — Eorum quoque, qui ex loco, ubi servatur Trident. ad locum, ubi non viget, migrant, invalida erunt matrimonia, nisi ibi habeant domicilium aut quasi domicilium, 264 *seq.* — Contra erunt valida si domicilium vel quasi domicilium ibidem obtinuerint, 265. — Peregrini non valide contrahunt, nisi coram parocho sui domicilii, contra vagi coram parocho loci, in quo versantur, 266 *seq.* — In locis, ubi receptum est Trident. et nullus habeatur parochus aut sacerdos vel etiam si nonnisi summa cum difficultate adiri possit, licite et valide matrim. contrahitur absque parochi praesentia coram duobus aut tribus

testibus, 267 *seqq.* — In locis vero ubi publicatum fuit Trid. et templum habetur simultaneum pro catholicis et heterodoxis, horum invalida sunt clandestina matrim. etiamsi ab ipsis Tridentini publicatio non sit facta, 271 *seq.* et *n.* 195. — Item invalida sunt, quae incuntur coram parocho, qui publicus factus est haereticus, 272. — Item invalida, quae celebrantur in novo templo haereticorum initiato in loco vel dioecesi, ubi receptam est Trid. 275 — Similia responsa dantur pro militibus eorumque capellanis, pro quibus servanda est forma Tridentina, 275 *seq.* et *n.* 168. — Catholici degentes sub principibus acatholicis coram ministro haeretico qua tali seu ut ministro sacrorum, nullo modo se sistere possunt ut consensum renoveni, possunt id tamen coram eo ut coram ministro politico. 275 *seqq.* — Matrimonia infidelium, qui convertuntur. T. I, 121. — Matrimonia infidelium *vera* sunt matrim. licet non *rata* inde et quandoque solubilia sunt. T. II, 278 *seqq.* — Si uterque coniux ad fidem christianam convertitur, negant aliqui auctores eorum matrim. evehi per baptismum ad dignitatem Sacramenti, 280 *seqq* — Dum contra plerique id affirmant, 282 *seqq.* et *n.* 10. — Omnibus perpensis posterior sententia videtur solidior, 285 *seqq.* et *n.* 21. — Corollaria utriusque sententiae, 289. — Disceptant pariter theologi utrum sacrament. habeatur in matrim. contracto inter fidelem et infidelem, dispensatione obtenta: et affirmandum videtur, 589 *seqq.* et *n.* 25 et 26. — Si autem alter tantum ex infidelibus Christianus fit, negandum est ipsius matrim fieri Sacram. 294.

Matrim. infidelium per baptisma non solvuntur. T. II, 295. — Si vero alter convertitur, et alter non, potest solvi Dei privilegio, si infidelis coniux aut noluerit cum fideli parte cohabitare, aut non nisi cum iniuria Creatoris, 296 et *n.* 30. — Requiritur tamen ut infidelis coniux interpelletur, 296. — Si vir infidelis plures uxores duxerit et convertatur, primam, quae est legitima, debet retinere; si vero haec noluerit converti, poterit ex reliquis aliquam eligere, quae baptisetur, quam voluerit, 297 *seqq.* — Si vero prima uxor convertatur antequam alterum matrim. fuerit initum, illam debet retinere, 299. — Si autem infidelis conversus non possit interpellare coniugem infidelem, ab hac obligatione dispensatur, 300 *seq.* et *nn.* 38 ad 43. — Si vero ab initio cohabitare voluerit postea vero male se gerat etc., videtur reviviscere privilegium in favorem fidelis, 304 *seq.* et *nn.* 46 et 47. — Non potest fidelis ab infideli discedere, si affulget spes conversionis, 305 *seq.* — Si coniux infidelis a fideli discedit, ob justam causam scil. ob adulterium post baptisma commissum, fidelis nequit ad alias nuptias transire. Si vero adulterium commissum fuit ante baptisma; debet interpellari pars infidelis, et si noluerit cohabitare, poterit coniux christianus aliud matrim. inire, 309 *seqq.* et *n.* 53.

Matrimonia infidelium inita cum impedimento dirimente orto ex iure divino vel stricte naturali prorsus sunt invalida et solvi debent, si vero impedim. est mere ecclesiasticum, est et manet validum, etiam post conversionem, quia impedim. Ecclesiast. solos christianos respiciunt. T. II, 312. — Si vero impedimentum fuerit partim iuris ecclesiast. partim juris naturae latius sumpti, poterit in eo dispensari, vel matrim. solvi vel etiam non indigent dispensatione, 313. — Si gradus nullus affinitatis in quavis linea, iure stricto naturae

dirimit matrim. erunt inter infideles valida; itaque excessit Conc. Limanum iubendo solutionem ante Baptisma coniugii initi cum noverca vel nuru, et ita sese exposuit periculo sanciendi polygamiam; idque eo vel magis quod matrimonia infidelium solvantur non auctoritate Ecclesiae, sed Dei ipsius in favorem fidei, 314 *seq.* et *n.* 59.

Matrimonia inter fideles et infideles apud barbaras gentes facilius, difficilius vero inter populos Christianos ab apostolica Sede, sublato impedimento, concedantur, 345 *seqq.* — Sectarorum quorumdam et Quaquorum etc., qui Baptisma non recipiunt aut vitiata forma conferunt, matrimonia habenda sunt ut infidelium, 322 *seq.* — Quoad eos haereticos, qui licet Baptisma non reiiciunt, sed saepe non rite conferunt, in dubio debet supponi baptisma rite collatum, donec contrarium certe probetur. — Idemque de Matrimonio, 325.

Matrim. inter absentes. T. I, 122. — T. II, 285. — Matrim. haeretici cum infideli. T. II, 324.

Matrimonia mixta. T. I, 119, 150, et *n.* 51. — T. II, 192 *seqq.* — *Vide* Matrim. clandest. haeretic. et mixta.

Matrim. haereticorum. T. I, 124.

Matrimonia peregrinorum et vagorum. T. II, 261 *seqq.* — 266 *seq.* — Servorum. T. II, 354 et *n.* 57.

Matrimonia viduarum. T. II, 354.

Matrimonium contractum esse negant nonnulli auctores. T. II, 28. — Et si contractus est, tamen ab omni alio contractu differt, et est sui generis, 29 *seq.*

Matrimonium *verum*, ac *verum* et *ratum*. T. I, 148.

Matrim. contracta in infidelitate cum impedim. consanguinit. in primo gradu, non dissolvuntur. T. II, 138. cfr. et T. II, 314 *seq.* — Quae vero solvuntur, non auctoritate Eccl., sed Dei privilegio solvuntur. T. II, 206, 301 et 315 et *n.* 59. — Et hic unicus est casus solutionis in iure can. expressus. T. II, 296, *n.* 30 et 214.

Mormones. T. III, 45, 55, et *n.* 157, *vide* verb. Mormonitae.

Matrimonium etiam consum. solvitur apud Graecos ob monasticam profession. T. III, 457, *n.* 77. — 465, *n.* 85.

Matrimonia rata auctoritate Rom. pont. soluta. T. III, 571 *seq.* et *n.* 117, 474, 491 et *n.* 141.

Materiae et formae vocab. veteribus ignota. T. I, 82, 110.

Materia remota sacram. matrim. secund. sent. quae ter et Sacerd. esse minist. T. I, 72.

Melchitae commun. cum Eccl. Rom. T. I, 8.

Ministri matrim Christ. sunt ipsi contrahentes. T. I, 46.—Doctrinae de Sacerd. Ministr. Matrim. originem perperam repetit Benedictus XIV, a Guilielmo Paris. et Paludano, 46.—Auctor eius doctrin. est M. Canus, I, 47. — Vera sententent. Guilielmi Paris. I, 48 et *seqq.* — Paludani, I, 55 et *seqq.* — D. Thomae, I, 57 et *seqq.*—Sentent. Petri Pictav. T. I, 59.—Roberti Pulli, I, 60.—S. Bonaventurae, *ibid.* — Duns Scoti, *ibid.* — Petri Lombardi, I, 61 et 65. — Dionysi Carthus. *ibid.*— Hugonis a S. Victore, I, 63. — Eamd. sentent. propugn. innumeri theol. I, 62. — Quae unanimis fuit inter scholast. usque ad Canum, I, 65.

—Concil. Colon. sensus, I, 64 et *seqq.*—Conc. Trid. I, 66.—Controversiae progressus, 66 et *seqq.*—Adversar. M. Cani. D. Soto et caet. I, 68 et *seqq.*—Corollaria ex sentent. Cani, *vide* Contract. civil. — Argum. pro sentent, de Sacerd. christ. matrimon. minist. I, 77 et *seqq.* — 1° Argum. biblica, I ad Cor. IV, I, *ibid.* — Traditionalia, 1° SS. PP. 2° Concil. 3° Jurisperit. *ibid.* 4° Nonnull. PP. sacerd. benedict. conferendae grat. vim tribuunt. Tertull. Clemens Alex. Ambrosius, Innocentius I, Timotheus Alex. Synesius Cyrenensis, Augustinus, Gregorius Nanz. I, 79 et *seqq.* — 5° Benedict. sacerd. iugum impon. etc. Tertullianus, Basilius, Cyrillus Alex. Ambrosius, Conc. Carthag. IV, I, 80. — Argum. theol. 1° Ex ratione. 2° Ex testimon. Concil. Florentin. I, 84 et *seqq.* — 3° Ex inconvenient, I, 85 et *seqq.*

Expendantur argum. allat. pro sentent. de Sacerd. minist. Christ. matrim. I, 90. — 1° Arg. biblica. I, 91 et *seqq.* — 2° Argum. Tradition. I, 94 et *seqq.* — Generale vitium argum. M. Cani aperitur. I, 95. — 3° Argum. theologica. *a*) Mutuus viri et foem. consens. potest esse signum efficax gratiae, I, 114, I, 117. — *b*) Habetur persona ministri ad normam. Concil. Florent. I, 115. — *c*) Perperam obiicit. contrahentes, ministr. se esse, non existim. I, 116. — *d*) Non deest verbum, quod accedat ad elem. *ibid.* — *e*) Adest forma in verbis a fidelibus prolatis, *ibid.* — *f*) Eaque verba signum sunt effectus spiritualis, I, 117. — *g*) Ac demum determinata sunt. *ibid.*

Nec obstat Theologorum dissidium in assignanda huius sacramenti materia et forma. T. I, 117. — Non est *iuniorum theologorum* fictio, sed constans Ecclesiae doctrina *civilem hunc humanumque* contractum Christi et Ecclesiae esse Sacramentum, 118. — Illinc patet formam ac materiam apud ethnicos profanam ac naturalem, apud Christianos sacram esse, propter diversam contrahentium conditionem, 118.

Ex praedictis consequitur 1° nihil vetare, quominus matrimonia mixta dicantur sacramenta, dummodo necessaria ad hoc concurrant. T. I, 119.—2° Idem dicendum de copula sponsalia subsequente, qua ante Trident. *praesumptione iuris* matrim. perficeretur, 120.— In regionibus infidelium etiamnum matrimonia sic contractu valent, 120, *n.* 39. — 3° Idem de coniugiis ortis ex diuturna duorum cohabitatione, 120. — 4° Diversa theologorum sententia circa matrim. eorum, qui ex infidelitate ad fidem christianam convertuntur, 121. (Non est necessarium ut post baptisma consensus renovetur, 121, *n.* 41). — 4° Item si alter tantum fidem Christi amplectitur.—6° Item de casu simili. Caeterum nihil obstat aliquem Sacramenti suscipiendi incapacem alteri sacramentum ministrare, I, 121. — 7° Qui absentes per procuratorem vel litteras contrahunt, pariter sacramentum et gratiam recipiunt, 122. — 8° Ideo Eccl. non praecepit illis, qui sine sacerdote coniuncti sunt, ut sacerdotis benedictionem suscipient, quia persuasum habuit eos sacram. contractu inito confecisse, 122. cfr. *ibid. n.* 54. — 9° Nec ullam difficultatem facit argumentum deductum ex sanatione in radice, 123. — Neque 10° illud quod deducitur ex matrim. haereticorum, aut etiam fidelium, qui absque ulla intentione sacram. conficiendi, matrim. ineunt, 124 *seq.* et *n.* 47. — Inde falsum assertum Stattleri Ecclesiam, posse dogmatice definire sacerd. esse matrimonii sacram. ministrum, 125. — 11° Ad verba Bened. XIV

quibus sententiam Cani *probabilem* dicit, respondet St. Alphonsus de Lig. et vera sententia Benedicti XIV aperitur, 126 *seq.*

Argumenta pro sent. de contrahentibus Matrim. christ. ministr. T. I, 127. — Biblica ex Eph. V, 31, 32. — Quid ex his verbis inferat Trident. 128. — Expositio Bern. a Piconio, 129. — Exinde constat illud ipsum connubium, quod primum a Deo institutum est, ac quod in veteri lege absque sacerdotis interventu absolvebatur, a Christo ad dignitatem sacramenti fuisse evectum, 128, 130 et *n.* 3.

Argum. traditur pro contrah. min. sacram. matrim. — Ut argum. ex PP. deductum rite intelligatur, canones duo praemittuntur, I, 131, 132. — PP. non negant adesse matrim. Christ., licet benedictio sacerdotalis deficiat. Tertullianus 132 et *n.* 5. — Item Eccl. quamvis coniugia clandestina ut illicita quovis tempore detestata fuerit, ea tamen non habuit ut invalida, 133. — Idem tradit Hugo a sancto Victore, 134. — S. Thomas, *ibid. seqq.* — Thomas Waldensis, 135 *seq.* — Ac demum Conc. Trid. 136 *seq.* et *not.* 12. — PP. nullum aliud elementum requirunt ad matrim. sacram. praeter contrahentium consensum. S. Ignatius, M. 1, 138. — Cyrill. Alex. — s. Epiph. 138. — Hisce consentiunt PP. illi, qui verba ad Eph. V, de nuptiarum foedere intelligunt, 139. — Necnon et illi ipsi, qui sacerdotalem benedict. commendant, 140. — Idem constat ex Euchologiis orient. et Graec. in quibus totum sacerdotis officium consistere liquet, ut coniunctionem nubentium sanctificet, 141, et *n.* 21. — Insuper secundum et tertium matrim. non benedicebantur et tamen ut sacram. recipiebantur, 142 et *n.* 23. — Simile argum. praestant Ritualia Ecclesiae Occid. in quorum nullo antiquiori legitur formula : *ego vos coniungo,* sed nuptiae tantum benedicebantur, 143 et ut in orientali sic in occidentali Eccl. benedictio denegabatur viduis nubentibus ibid. et 144 *n.* 29. — Quare documenta, in quibus dicitur sacerdotem ministrare matrim. lato sensu accipienda sunt, 145 *seq.* et *n.* 32.

Argumenta theol. quibus evincitur contrahentes esse sacram. matrim. ministros desumuntur imprimis ex instructione Eugenii IV ad Iacobitas, 146 *seq.* — Deinde ex Conc. Trident. 147 *seq.* — Necnon ex disquisitionibus factis in Congregation. praeviis Sess. XXIX. 149 *seqq.* — Atque etiam ex oppugnationibus Pauli Sarpi, 152 *seq.* — Et ex variis formulis in matrim. celebratione adhibitis et a Trid. permissis, 154. — Ecclesiae sensus agendive ratio quoque supponit contrahentes esse matrim. ministros. — Sic matrimonia rata habentur, quae contrahuntur coram parocho reluctante, nec unquam benedicuntur, 155. — Item quae celebrantur coram parocho, qui adhuc diaconus est, 155 *seq.* — Similiter ratio agendi circa matrimonia mixta inita *cum assistentia* tantum *passiva* parochi, 156 et *n.* 51. — Ac tandem matrimonia licite inita coram duobus testibus, absente sacerdote, 157. — Argumentum quoque hac in re praestat Rom. P. Pius IX tum in damnatione operum Io. Nep. Nuytz, 157. — Tum in litteris ad regem Sardiniae datis, 158, *n.* 53. — Ultimum argum. potest desumi ex natura rei, et est praecipuum, quod desumitur ex omnimoda indissolubilitate coniugiorum, quae a fidelibus contrahuntur etiam absque sacerdotali benedictione, quod de contractu naturali dici non potest, 159.

Argumentorum utriusque sent. epicrisi liquet debile esse fundamentum, cui inititur sent. Cani, dum altera contra pro se habeat fundamentum inluctabile, 160 *seqq.*

Moniteur (français). T. I, 222, *n.* 41.

Monophysitarum fides circa Sacram. Matrim. T. I, 8.

Mormonitae. T. I, 216, *seq.* et *nn.* 35, 56.

Mysteriorum nomine quid intellig. B. Paulus, I, Cor. IV, 2. T. I, 91.

N

Nestorianorum fides circa Sacram. Matrim. T. I, 8.

P

Parlamento Sardo. — T. I, 238, n. 52, et 53. — 245, *n.* 3.

Peregrinus. — T. II, 266.

Pétition adressée au Sénat etc. — T. I, 363, *n.* 63

Philosophumena. — T. II, 174 *seq.* et *nn.* 8, 9.

Poenae in bigamos. — T. III, 79 *seqq.*

Poenae in concubinarios latae. — T. I, 199.

Poenitentiale Rom. — T. III, 95, 99 *seq.* — 350 *seq.*

S. Poenitentiaria. — T. II, 157, 160, 218.

Polyandriae apud quosdam populos existentiae exempla. — T. III, 6. *n.* 11.

Polyandriam pravi quidam homines invexerunt. — T. III, 3 *seq.* et *nn.* 1, 2. — Eam adversari iuri divino constat ex Rom. VIII, 3. Necnon iuri naturae ex eo quod fini primario matrim., qui est prolis procreatio, adversatur. — T. III, 5, et *nn.* 8. 9. — Repugnat quoque fini eius secundario cum potius concupiscentiae excitamentum sit quam remedium, et mulier eadem non possit simul esse sub dominio plurium virorum. 5 *seq.* — Nec apud gentes ullos proprio sensu invenitur extitisse, ac indirecte tantum statuta fuit ex principio de communione uxorum, 6 *seqq.* et *nn.* 11, 22. — Nec obstat ficta quaecumque hypothesis, 8 *seq.* et *nn.* 15. — Vel ipsi Sansimoniani testes sese exhibent polyandriam cum matrim. vinculo pugnare, quum ipsum coniugium destruant ad mulierum communionem invehendam, 9. — Ipsi interim omnia iura divina ac naturalia conculcant, veterum haereticorum abominationes renovant, dum se innocentes ac puros iactant, et dum mulieri libertatem promittunt, eius deiectionem praeparant, 9 *seqq.* et *nn.* 16 ad 43.

Polygamiam simultaneam numquam permitti posse contendit Calvinus contra omnes theologes cath. et Scripturae s. auctoritatem. — T. III, 18 *seq.* — Facta distinctione inter praecepta legis naturalis primaria et secundaria, liquet polygamiam simultan. non pugnare cum praeceptis primariis ex eo quod princeps matrimonii finis, prolis scil. procreatio, per eam non impediatur, ac proinde poterit Deus eam permittere, 19 *seq.* — Eam vero neque pugnare cum praeceptis secundariis naturae legis non pauci contendunt theolog. ex eo quod neque secundariis matrimonii finibus obstat, 220 *seqq.* — Tum etiam quia

consuetudine penes universas quasi gentes erat recepta, ac proinde crimen non erat, 21 *seqq.* — et *nn.* 60, 66. — Alii contra contendunt eam secundariis praeceptis iuris naturae prohiberi, quoniam finibus secundariis matrim. adversatur, 23 *seq.* — Itaque statui posse videtur polygam. minus conformem esse iuri naturae, quoniam iura inter coniuges aequalia non remanent, nec perfecta amicitiae societas servatur, neque officio debita praestari omnino possunt, 24 *seqq.* et *n.* 73. — Ac proinde facile infertur eam *quodammodo* legi naturali adversari, quoniam secundarii fines matrim. difficulter admodum haberi possunt, 26 *seqq.* et *n.* 77.

Polygamia nulla positiva lege ante Evangelium fuit prohibita, licet facto institutionis primaevae Deus suam voluntatem non obscure manifestaverit. T. III, 28 *seqq.* — Talis enim positiva lex nuspiam exstat. Patres autem in diversas abeunt sententias, ita ut alii damnent Lamech ut violatae legis reum ob bigamiam simultaneam, 30 *seq.* et *n.* 86. — Alii vero oppositae sententiae polygamiam ab omni crimine absolvunt, 31 *seqq.* et *nn.* 96, 98. — Haec quae contradictoria videntur, componi possunt dicendo, ea non pugnare cum lege expressa Dei, licet pugnent cum implicita lege ex primaeva institutione matrimonii deducta, qua tamen polygamia non omnino prohibetur sed certis finibus detinetur, conditionibusque subiicitur, 35 *seqq.* et *nn.* 101 ad 109. — Ex hac Patrum doctrina sequitur polygamiam cum requisitis conditionibus per se fuisse licitam, nec aliquam ad hoc requiri Dei dispensationem, nec revelationem sive inspirationem, 38 *seqq.* et *nn.* 110 ad 118. — Doctrina haec quoque inter theologos catholicos viget, 41 et *nn.* 119 ad 127.

Polygamia simultanea apud Lutheranos, Mormones ac populos illos catholicos, qui habent legem de matrim. civili, quomodo vigeat. T. III, 44 *seqq.* et *n.* 128. — Lege Evangelica est abolita, ut patet ex Script. Matth. XIX, 3. Marc. X, 11. Luc. XVI, 13 a Rom. VII, 3. I Cor. VII, 10, 46 *seqq.* et *n.* 135. — Universa Ecclesiae traditio hanc confirmat doctrinam, 49 *seqq.* et *nn.* 141 ad 155. — Unde liquet si prima dimittatur et altera ducatur, aut si plures simul ducantur, posteriores nuptias omnes esse adulterii crimina, 54 *seq.* — Nec obstat doctrina Mormonum, 55 *seqq.* et *nn.* 157 ad 162. — Neque pariter obstant documenta historica in oppositum allata, 59 *seqq.* et *nn.* 165 ad 185.

Polygamia successiva. *Vide* bigamia, aut trigamia.

Potestas in matrim. Christ. quid sit. T. II, 5. — Eam habet Eccl. iure divino, ut liquet ex eo quod matrim. est Sacramentum, et ex eo quod Eccl. semper eam sibi tribuit et vindicavit. T. II, 6 *seqq.* et *nn.* 2 et *seqq.* — Quod verum est, licet contrahentes huius sacram. ministri sint, 7. — Ostenditur, 7 *seq.*

Ecclesiae circa matrim. plenam independentemque inesse potestatem non minus quam circa reliqua Sacramenta, liquet ex natura rei. T. II, 11 *seqq.* — Non enim datur discrimen hoc Sacram. inter et alia, nec realis datur distinctio contractus inter et Sacrament. nec inter civem et christianum, sed unum idemque sunt, 12 *seqq.* — Nec Christus Dom. ullam quoad Sacram. hoc adiecit restrictionem, 14. — Et ideo Eccl. constanter hac sua independente usa est potestate tum sub ethnicis principibus, 15 *seq.* — Tum etiam sub christianis, 16 *seqq.* et *nn.* 12 et 25.

Soli Ecclesiae haec competit potestas, tum quia vinculum ipsum perpetuum est res Sacramenti. T. II, 25, et *n.* 32. — Tum quia ob mysticam significationem est res sacra, 24 et *n.* 33. — Tum quia vinculum ortum ex consensu est obiectum conscientiae, quod ad civilem auctoritatem spectare nequit, 25 *seq.* et *n.* 34. — Ac proinde nequit ius hocce principibus, quia ratione principis hoc ius commune foret cunctis principibus, 26. — Et ratione qua Christiani sunt, Ecclesiae sunt filii et subditi, nullumque ius eis competit in rebus sacris, 26 *seq.* — Hinc Eccl. perpetuo respuit leges principum, quae matrimonii vinculum attingerent, 27 *seq.* — Idque eo vel magis erit verum, si sententia statuatur matrimonium non esse contractum etiam in se et independenter consideratum, 28 *seqq.*

Ex eo quod matrim. est Sacram. omnes Christiani deberent logica consequentia, ratum habere solam Eccl. non vero principes, posse impedimenta dirimentia constituere, sed historice contrarium constat. T. II, 31. Lutherus talem potestatem denegarit cuicumque humanae auctoritati, 31. — Postea eam potestatem detulerunt ad regimen politicum. Marc. Ant. de Dominis Launegis, 32 et *n.* 3 — Necnon canonistae deinde non pauci in Austria, 33 *seqq.* et in Belgio, 33 et *n.* 12. — Doctrina haec in legislationem Iosephi II invecta fuit, et adoptata a Concilio Pistoriensi, 34 *seqq.* — Deinde maxime viguit in Gallia, 36 et *nn.* 17 et 18. — Plures tamen egregi viri doctrinae huic obstiterunt, 38 *seqq.* et *n.* 22. — Aliqui etiam Catholici scriptores tum Ecclesiae tum principibus hanc concedunt potestatem, 40 *seqq.* et *nn.* 34, et 39.

Contra Launoium, canones Trid., quibus potestatem Ecclesiae inesse statuendi impedimenta dirimentia definitur, dogmaticos esse tenendum est, etenim iis canonibus non factum aliquod praestandum, sed *potestatis veritas* vindicatur. T. II, 43 *seq.* — Canones iidem editi sunt contra *haereses* et *errores* grassantes. 45. — Similis deinde est canon dogmaticus de Eucharistia suscipienda. 45. — Talis est etiam Ecclesiae sensus circa hosce canones tum quia ante Launoium inauditum esse eos esse disciplinares, tum quia omnia dein celebrata concilia eos ut dogmaticas suscipiunt, 46 *seq.* — Item autem potestatem habere Ecclesiam hinc coercitur, quod ad illum spectat decernere, quae ad sacramentorum validam confectionem requiruntur, 47. — Tum quia et ipsi inest potestas circa res sacras, ac praecipue Sacramenta, nec non potestas condendi leges ad spirituale bonum filiorum suorum, 48 *seq.* et *n.* 4. — Hac potestate Ecclesia perpetua usa est iam a tempore Apostolorum, 49 *seq.* — Impedimenta dirimentia statuit in canonibus apostolicis, 51 *seq.* et *nn. ibid.* — Saec. IV statuitur impedimentum *publicae honestatis*, 52 *seq.* — Deinde impedimentum voti, 53 *seqq.* — Ac postea alia roborat impedimenta, ut ligaminis, 55 *seqq.* et *n.* 66, et 70.

Contendit tamen Launoius in Can. III et IV Sess. XXIV. Conc. Trid., Ecclesiae vocem sumi pro civilibus principibus. Sed quam alienum hoc sit a vero liquet ex eo, quod agatur ibi 1° de veritate doctrinae, 2° de potestate, quae penes Ecclesiam erat, 3° de causis ad iudices Ecclesiasticos spectantes ex Can XII. 4° de potestate in se spirituali, quae omnia laicis non possunt com-

petere. T. II, 57 *seqq.* — Id idem liquet ex eo, quod Conc. intendit errorem Lutheri damnare, qui docuit, Ecclesiam non posse statuere impedimenta dirimentia matrim. ut constet ex ipsis operibus Lutheri, 59 *seqq.* et *n.* 84 et 85. — Absurdum id praeterea est, quoniam Eccl., dum universalitatem fidelium significat, princeps nullus hanc potestatem habet, quoniam nullus Eccl. universam repraesentet, et a fortiori eam non haberent principes infideles. Principes dein hoc ius obstinerent ut membra Ecclesiae; ac tandem quoniam Concilium coetum Sacerdotalem hac potestate spoliasset, 63. — Praeterea ipsum Conc. Trid. scil. hierarchia ecclesiastica impedim. clandestinitatis constituit, et licet principes rogarent, noluit constituere impedim. dirimens matrim. initum contra parentum voluntatem, 64 et *n.* 84. — Tandem Ecclesiam significare aut *coetum fidelium* aut *hierarchiam ecclesiasticam*, ex substrata materia judicandum est, docere scil. regere praecipere etc., ut in casu, ad coetum hierarchicum spectat, 64 *seqq.* et *n.* 88.

Neoterici plerique theologi contendunt potestatem constituendi impedimenta dirimentia matrim. Ecclesiae fuisse concessam *expresso* vel *tacito* principum consensu. T. II, 66 et *n.* 92. — Quam falsum hoc sit, constat ex declaratione Pii VI data episcopo Trevir. qua affirmat haec impedimenta ab Eccl. constitui *proprio iure*, 67 *seq.* et *n.* 95. — Necnon ex Constit. dogm. adversus synod. Pistor., 69. — Et damnatione doctrinae Nepom. Nuytz facta a Pio IX, 70 et *nn.* 98 et 99. — Commentum eiusdem asserti quoque liquet ex eo quod Trid. intendit damnare errores Lutheri, qui nuspiam hanc potest. principibus originariam esse negavit, 71. — Nec unquam concilium Ecclesiae extraneam, scil. principum, protestatem dogmatice adstruere intendit, sed suam propriam. Ac propterea eadem potestate ipsum quoque usum esse novimus, 71. — Falsa esset hac in hypothesi definitio Trid. Eccl. uti hac potestate consensu principum, ut patet, si principes ea potestate uterentur, et certum id est sub principibus infidelibus ac tribus primis saeculis, 72. — In ipso Conc. Trid. principum legati horum iurium derogationem non fuissent passi, aut saltem mentionem concessionis factae fieri iussissent, 73. — Dicant praeterea quandonam, a quonam, utrum a singulis vel ab omnibus simul talis potestas concessa sit? Nihil horum statui potest, 73 *seq.* et *n.* 100. — Quid tandem significat *expressa vel tacita consensio? Expressa consensio* certo data non fuit, quoniam nullibi prostat, 75 *seq.* — Tacita vero consensio supponit hoc ius inesse principibus, qui silent, non vero Ecclesiae, et Ecclesiae actionem legitimam non esse nisi auctoritate principum. — Utrumque falsum, ergo... 76 *seqq.* et *n.* 105.

Potestas dispensandi ab impedim. dirim. ei sane competit, qui ius habet ea constituendi scil. Ecclesiae. — Suprema autem Ecclesiae potestas residet in Rom. Pont. poterit ergo Rom. Pont. removere impedimenta dirimentia. T. II, 78 *seq.* — Inest praeterea Rom. Pont. plenitudo potestatis in Eccl. et propterea etiam ipsi reservatae sunt causae maiores, quas inter numer. causae matrimoniales, 79 *seq.* — Id quoque ex Trid. liquet, praesertim ex ratione agendi circa impedim. in quarto consanguinitatis gradu, 81 *seq.* — Necnon ex aliorum Concil. auctoritate, 82. — Hac dispensandi potestate usa est Eccl. ab apostolicis tem-

poribus teste Paschali II, et eius potestatis usus vestigia prostant sub S. Greg. M. erga Anglos, 82 *seqq.* et *n.* 11. — Et erga Germanos necnon temporibus subsequentibus, 84 *seqq.*

A tempore Innocentii III, qui dispensationem indulsit Othoni IV ut duceret filiam Philippi in quinto gradu sibi consanguineam, 83 et *n.* 11. — Frequentiora huius potestatis usus exempla occurrunt indubitata, 87 et *n.* 21. — Ideoque Rom. Pontifices constituerunt, ut ante matrimonia ineunda inquisitio circa impedimenta forte existentia fieret, 88. — Atque post matrim. inita relaxationes saepius concesserunt, 88. — Imo episcopos et concilia provincialia ob nimiam facilitatem hac in re interdum cohibuerunt, 89 *seq.* — Licet tandem observare aliud esse auctoritatem, aliud eiusdem exercitium, 90 *seq.* et *n.* 28.

Episcopos proprio iure non posse hac dispensandi potestate uti, liquet ex eo quod auctoritas episcoporum est circumscripta, impedimenta vero dirimentia universalem Ecclesiam afficiunt. T. II, 92 *seq.* et *n.* 93. — Actum deinde esset, si id possent episcopi, de universali Ecclesiae disciplina ac facile potentum cederunt voluntate, 93 *seq.* et *n.* 31. — Nec unquam Episcopi hac usi sunt potestate, 94 et *nn.* 32, 33. — Et si dispensaverunt in matrim. cum impedimento iam contractis, id non fecerunt absque assensu Rom. Pontificum, 95. — In impedimentorum autem praeviis dispensationibus concedendis Episcopos nullam habere potestatem constat ex ipsorum Episcoporum actis publicis, 96 *seq.* — Necnon ex respons. data a Congreg. Conc. Trid. XIV Kal. Febr. 1661. — Id non minus certum ac ratum est ex theologorum ac canonistarum doctrina, 99 *seqq.* et *nn.* 43, 48, 53 — Necnon auctoritate Rom. Pontificum, 102 *seqq.* et *n.* 60.

Argumenta autem, quibus vindicare quidam nituntur Episcopis ius proprium inesse dispensandi ab impedim. matrim. dirimentibus, nullius valoris sunt; quum 1° ex eo quod Episcopus *in sua dioecesi potest quidquid Pontifex in universo orbe, si excipias, quae totius Ecclesiae statum respiciunt*, non sequatur Episcopum posse irritare in sua dioec. quod Rom. Pont. pro tota Eccl. constituit, ut sunt impedimenta dirimentia. 107 *seq.* — Id praeterea ne Episcopus faciat a iure prohibitum est. T. II, 108 *seq.* — 2° Praescriptio deinde, quam invocant, quoad Episcopos universim non viguit, quoniam ex universo orbe facultatem dispensandi postulant ab Apostolica Sede, et qui contrarium fecerint, improbantur, nec unquam contra legem in substrata materia praescribi potest, 110 *seq.* et *n.* 67. — Multo vero magis absonum est quod in theologia Nanciensi legitur Rom. Pont. contra Sedes recentes erectas numquam posse praescribere, ac si huiusmodi Sedes a iure communi immunes forent, 111 *seq.* — 3° Principium ab Alois. Litta inventum quo, dicit dispensationes *ex gratia* solius legislatoris esse et dispensationes *ex iustitia* spectare ad iudicem, ante finem saec. XVIII inauditum; novitate, 113 et *falsitate* splendet. — Etenim licet iusta ratio ac maior utilitas, iuxta Trid. dispensationem postularent, tamen ideo ius nullum in petentibus agnoscitur, 113. — Et ideo non ex *iustitia* sed *gratia* dispensantur, 114. — Ac licet iudices in casu speciali iustissimas esse rationes ad dispensandum a lege iudicarunt, inde non

sequitur eos posse dispensationem concedere, 114. — Posset praeterea appellari ab Episcopo dispensante ad Rom. Pont., 114 *seq.* — Concil. praetercea Trid. statuendo dispensationis dandae regulam, ideo non ad extendendum sed ad coercendum dis ensandi usum intendit, 115. — Nec propter rationes existentes obligationem dispensandi imponit, 116. — Pugnat praeterea universalis Eccl. prax s et doctrina cum hocce principio, 116. — Falso tandem supponit Rom. Pontifices *ex grat'a* dispensantes id fecisse absque gravi urgente ratione, dum contra id numquam fecerint, nisi gravi urgente causa, et quidem ad huc *ex grat'a*, 117 *seq.* et *n.* 84. — 4° Quum dicunt *reservationem* esse impedimentum exercitii propriorum iurium, nec reservationes pontificias posse nullitatem affere in usu iurium episcopalium, falsissima asserunt, ac supponunt, in re de qua agimus, iura esse propria episcoporum, quae falsa omni ex parte, 119 *seq.* — Necnon verbis divi Thomae abutitur, 121 *seq.* — 5° Principium tandem quod possunt, reservationem dispensandi quam sibi solis Rom. Pontifices vindicant, non esse ex aliquo concilii canone sed ex consuetudine, falsum quoque est, dum Trid. soli Rom. Pont. hanc potest confirmaverit, oriaturque ex ejus primatu, 122 *seq.* — Praeterea licet ex consuetudine Rom. Pontifices soli dispensandi ius obtinuerint, tamen ab Episcopis abrogari nequit utpote inferiores, quin iura laedantur pontificis, quae universa probat Ecclesia, 123. — Hac consuetudine tandem abrogata, universa disciplina ecclesiastica pessumdaretur, 123 *seq.*

Potestas Eccles'ae dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, non extenditur ad omnia impedimenta dirimentia; scil Eccl. non potest dispensare in iis quae stricte iuri naturali adversantur; ut sunt, error, vis, aut perpetua impotentia. T. II, 125 *sqq.* et *n.* 93. — Impedimentum autem consanguinitatis in linea recta, aliqui dicunt id esse naturae iuri contrarium *in infinitum*; alii in primo gradu tantum alii autem neque in primo gradu illud stricto naturae adversari autumant. In praxi tamen numquam dispensatio locum habebit, 129 *seqq* et *nn.* 95, 97 et 98. — Primum autem gradum consanguinitatis in linea collateralis alii dicunt cum iure naturae stricto pugnare, alii vero id negant; — nunquam tamen Eccl in hoc gradu dispensationem concessit, 130 *seqq.* et *nn.* 99, 102. — Quoad secundum vero et tertium gradum aliqui etiam putant, nixi auctoritate Levitii, ea ita iuri naturae opponi, ut dispensatio in eis dari non possit, 132. — Sed omnium christianorum consensu impedimenta Levitici, qua talia, christianos non obligant, idque ex Trid constat, et non certum est ea presse legi naturae esse contraria; unde ex doctrina Ecclesiae de iis iudicandum, 132 *seqq.* — De impedimento affinitatis disceptatur utrum ex lege naturae an vero ex iure ecclesiastico enascatur, 136. — Olim quoad primum gradum in linea recta non pauci id oriri putabant ex iure naturae, nunc non amplius dubitari licet, hunc gradum tantum dirimere matrim. iure ecclesiastico, et in eo Eccl. dispensare posse. Ita Bened. XIV et Congreg. SS. Inquisit., 136 *seqq.* — Necnon antiqua concilia, quae matrimonia cum tali impedimento inita, dissolvi prohibent, 137 *seqq.* — Attamen, licet Eccl. haec in impedim. dispensare possit, nihilominus propter turpitudinem, quae in huiusmodi coniunctionibus deprehenditur, et propter reverentiam qua

descendentes adstringuntur erga ascendentes, etc. Numquam, in impedimento orto ea affinitate in primo gradu lineae rectae. *quod* provenit *ex coniunctione legitima*, dispensationem concessit, 139 *seqq.* et *nn.* 144, 118, 124. — Sed non desunt exempla dispensationis concessae, quando impedimentum est ortum ex *coniunctione illegitima*, 143 *seq.* et *n.* 137. — In primo autem gradu affinitatis collaterali dispensationem concedi posse non dubitatur, 133 et 144 *seqq.* ac *nn. ibid.* — Et a fortiori in reliquis gradibus, 145 *seq.*

Potestas sanandi in radice est illa, qua tolluntur impedimenta, quibus consensus datus, unde oritur matrim. irritus aut invalidus erat. T. II, 146 *seq.* — Impedimenta si fuerint iuris stricto sensu naturalis, aut iuris divini, ut impedim. ligaminis, non possunt ab Eccl. tolli, 147 et 149. — Ablato vitio a consensu seu a radice matrimonii, consequuntur omnes effectus veri matrim. hucusque impediti, 147 *seq.* — Et hoc quidem a primo instante, quo datus fuit consensus, 148. — Potestas autem Ecclesiae sese extendit ad omnia et sola impedimenta canonica seu iuris ecclesiast., 149. — Supponitur consensum vere fuisse datum, et quidem bona fide, saltem, juxta quosdam, ex parte unius contrahentium, secus nullus adesset datus consensus nec quidquam adesset quod sanaretur, 149 *seq.* et *nn.* 3, 5. — Modus explicandi hanc sanationem varius est, 151 *seqq.* et *n.* 6.

Potestatem sanandi matrim. in radice penes Eccl. esse patet ex constanti eius praxi, cuius documenta exstant iam a sexto saeculo in Conc. Aurel. III. T. II, 138 et 153 *seq.* — Rom. vero Pontifices a Bonifacio VIII et deinceps frequentius ejusmodi sanationes indulserunt, 154 *seqq* et *nn.* 8, 16. — Omnes quoque theologi hanc potest. supponunt in Eccl. et ius can. id statuit, 158 *seq.* et *nn.* 21, 22. — Falsum autem est, quod ait Boston, hanc potest. sese extendere tantum ad matrim. inita sine formalitate quacum iniri debuissent, ut valida essent, 160. — Falsum quoque est hanc potestatem competere episopis, 161.

Potestate sanationis in radice obtinentur potissime primitivus matrimonii ipsius valor et prolis legitimatio. T. II, 161. — Ut primus effectus obtineatur, contra Sanchez aliosque constat consensum non esse renovandum, nisi id ut conditio imponatur, vel primus consens. propter cognitum impedim. nullus fuerit, 162. — Neque, ut nonnulli dicunt, necesse est ut consensus prior moraliter perseveret, nisi in clausulis dispensationis exigatur, 162 *seq.* — Quinimo matrim. potest teste Bened. XIV sanari etiamsi consensus, ab altero coniugum, vel etiam iuxta quosdam contrahentes positive retractassent, 163 et *nn.* 30, 31. — Cuius rei factum refert Bolgani, 164 *seq.* et *n.* 35. — Legitimare autem posse Rom. Pont. tum quoad effectus spirituales directe et ubique, 166. — Quoad effectus vero civiles *directe* in sua ditione, et indirecte quoad reliquias orbis partes contra quosdam tenendum est, 166 *seqq.* et *nn.* 41, 43. — Quod vero effectus civiles nunc non ubique ex hac legitimatione obtineantur, id fit quoniam leges civiles obstant, quominus matrim. religiosum effectus civiles consequantur, 169.

Potestati Ecclesiae non vero principum, ut quibusdam asserere placuit,

causas omnes matrimonii contractum respicientes, subesse constat, Can. XII Conc. Trid., auctoritate Pii VI. T. II, 170 *seq.* — Damnatione Synodi Pistor. 172. — Necnon et Script. Sacrae tum Vet. tum Nov. Legis ubi nuspiam quidquam circa matrim. regibus demandatur, sed solis Apostolis, 172 *seq.* — Facta ididem confirmant, quum omni tempore non ad reges sed ad Rom. Sedem causae matrimoniales deferantur tum a simplicibus fidelibus, tum a summis imperantibus, 174 *seqq.* et *nn.* 7, 19. — Testes huius rei vel ipsi Protestantes habeatur, 179 *seq.* — Similiter Ecclesiae potestatem extendi ad sponsalia, contra id quod damnatum est a Pio VI in synodo pistor. et a Pio IX in Nep. Nuytz, constat ex falso principio, cui opposita doctrina nititur, causas scil. matrimoniales ad politicam auctoritatem spectare, 180 *seq.* — Deinde matrim. utpote Sacram. subest Eccl. potestati, ac propterea etiam quidquid ad illud disponit sicut sponsalia, 181. — Sponsalia praeterea impedimentum matrimonii constituunt, ac proinde est iuris Ecclesiae, 82. — Talis quoque est doctrina Patrum, 182. — Conciliorum, 185 et *n.* 15. — Quae praxi Ecclesiae firmatur, 184. — Potestas vero civilis poterit quoad sponsalia constituere ea, quae ad sociale bonum conducunt, et affectus civiles respiciunt, 185 *seq.* — Ad sponsalia incunda leges civiles et antiquius Eccl. requirunt parentum consensum, 185. — Contra Nicolaus I. id non requirit, 181. — Potestas quoque Ecclesiae sese porrigit ad matrimonia mixta et haereticorum, quae proinde obnoxia sunt ecclesiast. impedimentis ex eo quod haeretici obligantur universalibus Eccl. legibus. T. II, 187 *seq.* — Constat id quoque ex Bened. XIV et Pio VII, 188 *seq.* — Nec obest haereticos hasce leges non observare, 190. — Nec dici potest Ecclesiam eos ab impedimentis dirimentibus dispensare, 190. — Nec potest dici hos contractus esse ligitima matrimonia utpote contractus naturales; nam inter christianos naturales non dantur, 191. — Non tamen omnia matrim. haereticor. sunt invalida sed ea tantum, quae incuntur cum impedimento dirimente, 191 *seq.*

Principum iura in matrim. christianum ad ea, quae matrimonio extrinseca sunt, tantum sese porrigunt, T. II, 325 *seq.* — Talia vera sunt quae ad Societatis bonum pertinent vel effectus civiles, 327. — Hinc iure civili possunt prohiberi atque ut illegitima haberi, quae alioquin valida sunt coram Eccl. et in conscientiae foro, 327 *seqq.* et *n.* 3, 8 et 9. — Hoc ius quoque pertinet ad principes gentiles; principes vero Christiani possunt ac deberent legibus latis Ecclesiae praesidiis esse ejusque auctoritatem tueri, 331. — Et nominatim quoad matrimonia, 335 *seq.* — Nullo revelationis documento constat principes christianos habere potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonium, 336. — Tribus prioribus saeculis, cum non essent principes christiani, sola Eccl. hoc ius exercuit, ac propterea documenta posteriora nequeunt vindicare hanc potestatem originarie spectare ad principes, 334. — Documenta IV saeculi et illis posteriora ab adversariis allata examini subiiciuntur, 337 *seqq.* et *nn. ibid.* — Documentis indubitatis constat principes legibus, quibus constituunt impedimenta dirimentia, canones ecclesiae confirma et tueri voluisse, 347 *seqq.* et *nn.* 41. 44 et 49. — Praeterea hae principum leges valorem nullum habebunt, nisi quatenus sunt ab Ecclesiae receptae et approbatae, quia lege civili

habebantur matrimonia irrita, quae lege ecclesiastica erant valida et vice versa, 352 *seqq.* et *nn.* 53, 57 et 58.

Principibus vero neque cum Ecclesia communem esse potestatem impedimenta constituendi matrim. dirimentia, iam confectum est; attamen fundamenta tum interna tum externa catholicorum auctorum, pro opposita doctrina adducta examinantur. T. II, 357 *seqq.* et *nn.* 60, 62, 67 et 75. — Doctrina D. Carrière ad trutinam revocatur, 368 *seqq.* et *nn.* 79 ad 81. — Principes non posse relaxare impedimenta dirimentia matrim. nisi quoad effectus civiles ex hucusque dictis liquet, quoniam ea statuere nequeunt, 371 *seq.* et *nn.* 82 et 83 — Afferuntur tamen leges quibus huiusmodi relaxationes principibus tribuuntur et quidem, tum ex auctoribus paganis, sed haec abs re sunt, quoniam matrim. Christ. non respiciunt, 377 *seq.* et *nn.* 92 et 94. — Tum ab imperatoribus christianis conditas; et hasce ad sola impedimenta civilia et quoad effectus civiles solummodo valere ex earumdum examine instituto constat, 379 *seq.* et *n.* 97. — Afferunt dein facta huiusmodi relaxationem quae a principibus fuerunt datae, et haec penitius inspiciuntur scil. primum respicit matrim. Balduini com. cum Judith, Caroli Calvi filia, 381 *seqq.* et *n.* 105. — Secundum spectat matrim. Margarethae, Karinthiae dom. cum Ludivico, Ludovici imperatoris filio, quae matrimonio erat iuncta cum Joanna regis Boh. filio, 384 *seq.* et *n.* 110 ac 111. — Tertium est matrim. Alfonsi Castellae regis cum Urraca, 385 *seq.* — Facta dein exstant, quibus liquet vel ipsos principes invitos matrimonia impedimento aliquo irrita solvere debuisse, nulla data ab Ecclesia dispensatione, 391 *seq.* et *n.* 119. — Exeutiuntur quae gesta sunt quoad matrim. initum inter Philippum I, regem Galliarum et Bertradam, 393 *seqq* et *nn.* 126 et 133. — Ex quo facto consecutiones deducuntur adversus Joan. Nep. Nuytz, 399 et *nn.* 143 ad 150.

Potestate principum subesse causas omnes matrimoniales nuperrime contendit Joan Nep. Nuytz cujus doctrina compendiosa alienum, oculis subjicitur. T. II, 403 *seqq.* — Plura in hac doctrina asserta sunt falsa, alia haeretica, vel haereticalia, alia paralogistica, 406 *seqq.* et *nn.* 152 ad 162.

Principes infideles habere potestatem constituendi impedimenta dirimentia matrim. plerique theologiae moralis ac iuris institutores docent. T. II, 414 *seq.* et *n.* 2.

Principes plures posse leges ferre iuxta vel praeter ius naturale ad bonum societatis, ac etiam quibus contractus adversantes publico bono irritantur, et quidem obligantes in conscientia extra dubium est. T. II, 416 *seq.* — Quinimo eos posse nuptias prohibere societati noxias easque privare effectibus civilibus, indubitatum est; sed verisimilius videtur eos quoad vinculum ipsum ius nullum habere etiam quoad subditos suos infideles, 417 et *n.* 8. — Argumenta quibus hoc ius negatus desumuntur 1° ex parte Dei qui ipse ante quacumque societatem civilem matrim. cum suis proprietatibus praecipuum instituit. Non ergo principibus hoc ius competit, 410. — Licet non omnia determinaverit. Erit matrim. respicientia, potuit haec relinquere determinanda auctoritati sacerdotali, eo vel magis quod matrim. res sacra sit ac religiosa, eo enim voluit significare futuram Verbi incarnationem, et ordinare ad homines

religiosos procreandos, 419 *seq.* et *n.* 10.—2° Ex parte principis, cuius potestas pro obiecto habet bonum commune subditorum; atqui externum id totum est, non internum, nec ad conscientiam refertur, ut est vinculum matrim. 420 *seqq* et *nn.* 12, 13. — Nec obstant facta ex historia allata, quibus principes vera matrimonia irrita fecerunt; namque de vinculo solvendo non cogitaverunt. id si cogitavissent, putassent profecto, matrimonio soluto, actus matrimoniales esse illicitos: atqui ne fornicationem quidem illicitam esse sibi persuasum habebant, 422 et *n.* 14, 15. — Sed id unum voluere, coram lege illa irrita reddere, scil. privare effectibus civilibus, 423 *seq.* — Irritare autem vinculum non potuere, nisi quatenus illud esset contra legem naturalem, aut quatenus principes munia sacerdotalia exercuissent, 424 *seq.* — Nec paritas institut. potest quoad alios contractus, nec quoad Conc. Trid. quod inhabiles reddit clandestine contrahentes, 425 *seq.* — Peccant quidem contrahentes contra legem principis, sed non ideo invalide contrahunt, 426 *seq.* et *nn.* 19, 21. — 3° Idem eruitur ex natura matrimonii: natura sua est sacrum quid, id est, actus, quo vinculum exurgit obligans coram Deo et quidem ex libera voluntate ortum: ad quae potestas civilis attingere nequit, 427 *seq.* — Actus est deinde, quo quis vitae statum eligit, quo officia contrahit: quae independentia prorsus sunt a civili potestate, 428 *seq.* et *n.* 22. — Finis denique matrimonii est moralis ac religiosus scil. procreatio adoratorum veri Dei, 429 *seq.* — Et hoc tum in statu supernaturali, tum in naturali possibili tum in statu naturae lapsae, 430 *seqq.* et *nn.* 23 et 24. — In societate pagana nec principes nec falsorum Deorum sacerdotes ius quodcumque habuere statuendi impedimenta huiusmodi, licet in praxi multa usurpata potestate constituerint ex defectu auctoritatis legitimae etc., 431 *seqq.* et *nn.* 28 et 29. — Auctoritas theologor. pro contraria sententia non est tam communis ut vulgo asseritur, et plures pro sententia modo exposita pugnant, 435 *seq.* et *nn.* 31 ad 40. — Neque diu potest S. Thomam oppositae sententiae favere, 486 *seqq.* et *nn.* 43, 45. — Ea infirmatur deinde rationibus oppositis, 439. — Eo vel magis quod ante obortas doctrinas damnosas, ut illis mos est, theologi liberius loquuntur, 440. — Tandem frustra petitur documentum quodcumque Apostolicae Sedis, qua diceretur: matrimonia infidelium inita contra patrias leges esse invalida: nullum tale documentum uspiam invenitur, 440 *seqq.* et *n.* 49 et 51.

Principes infideles si nullum ius habent in vinculum matrimonii, falsum est illud per evectionem ad Sacram. fuisse eis subtractum T. II, 445, *seq.* et *n.* 52. — Falsum pariter ius exclusivum Ecclesiae aut ex aliqua lege ecclesiastica, aut ex consensu principum, aut ex Ecclesiae usurpatione manare, 444.—Falso laberat supposito assertum, hanc principum potestatem esse inamissibilem, aut negari principibus christianis, quod infidelibus conceditur, 445 *seq.* et *nn.* 55, 54. — Aut principes aliquid amittere, dum christiani fiunt, 446 *seqq.* et *nn.* 55 ac 56. — Ac principes christiani licet aliquod ius in matrim. amitterent, plura quoque ex christiana religione commoda capiunt, 448 *seqq.* et *n.* 58. — Iidem cum nihil possint in vinculum matrimonii leges principum, illud invalidum reddere nequeant, idque nominatim dicendum de matrim. inito absque parentum consensu, 459 *seqq.* et *n.* 59 ac 60. — Id etiam verum est de filiis regiae

stirpis in Gallia, nisi ab Ecclesia id impedimentum probatum fuerit, secus impedimentum principis, non invalidum, sed tantum illicitum reddet matrim. huiusmodi effectibusque privabit civilibus, 452 *seqq.* et *n.* 61. — Et ita factum est in matrim. Gastonis, fratris Ludovici XIII cum Margaretha, principe Lotharingiae, 454. — Sicut principes carent iure in vinculum matrim. sic quoque carent potestate dispensandi ab impedimentis dirimentibus, 454. — Hinc licet in Galliis fideles debeant se sistere officiario civili ad matrim. ineundum, non concedimus D. Carrière id debere fieri ne matrim. irritum sit, 455. — Verum quoque est sic melius consuli matrimonio pluribus de causis, sed negamus eidem D. Carrière id fieri ob impedimenta civilia, 456 et *n.* 66. — Alia plura absona addit idem D. Carrière ex semel statuto principio principibus inesse ius in matrimonii vinculum, 457 *seqq.* et *nn.* 67, 68 ac 69. — Et haec sententia magna ex parte pendet ex sententia de potestate principum infidelium, 460.

Protestantium doctrina circa matrim. T. I, 252 *seqq.*

Publicatio Conc. Trid. necessaria, ut obligat. T. II, 195 *seq.* et *n.* 19.

R

Raptus impedim. T. II, 353.

Responsum S. Sedis datum ad vicarium apost. Bredensem quoad matrim. mixta inita in provinciis catholicis Belgii. T. II, 214.

Ritualia Eccl. Latinae de sacerdot. bened. matrim. T. I, 83. — Non favent sent. de sacerd. ministr. matr. christ. T. I, 110 *seqq.*

Rituale Leodiense. T. I, 4. *n.* 5. — Lemovicense *ibid.* — Chaldaeor. 9. — Ambrosian. 4, *n.* 6. — Bituricense, 112.

S

Sacerdotale Romanum. T. I, 113.

Sacramenta omnia a Domino J. C. instituta. T. I, 20.

Sacramentarium ad fidem Eccl. testandum auctoritas. T. II, 12. de bened nupt. 83.

Sacramentarium Gelasii. T. I, 4. — Gregorii M. T. I, 5. — Leonis M. *ibid.*

Sacramenti quae signif. in textu Eph. T. I, 44 *seqq.*

Sanare matrim. in radice. T. I, 90, 123. — T. II, 146 *seqq.* — *Vide* potestas sanandi.

Sansimoniani. T. III, 15 *seqq.*

Scholasticus quid signif. T. I, 22, *n.* 69.

Scholasticos non deflexisse a PP. institutis. T. I, 22—25.

Servorum matrimonia. T. II, 354 et *n.* 57.

Separatio Ecclesiae a Statu. T. I, 279 *seq.* et *n.* 5, 346 *seqq.*

Synodus Detroitensis. T. II, 252. *n.* 140.

» Parisiensis. T. II, 334.

» Pistoriensis. T. I, 76, 406 *seq.* — T. II, 35. 69, 172, 408.

Synodus Sutchuensis. T. I, 120. *n.* 39. — T. II, 250. *n.* 123, 301. — Extenditur ad imperium Sinense et regna adiacentia, 312. *n.* 55.

Solutionem imperfectam matrim. sive separationem quoad torum et cohabitationum, vinculo manente, multas ob causas fieri posse definivit Trident. T. III, 389 *seqq.* et *nn.* 1 ad 3. — Causae vero sunt, aut mutuus consensus, iuxta Christi doctrinam Matth. XIX, 29. et sanctorum exempla, 391. — Aut crimen scil. adulterii, iuxta Evangelii doctr. 391 *seq.* — Casus nonnulli excipiuntur, 392 et *nn.* 4, 5. — Licet quaestio agitetur, utrum solum adulterium stricto sensu sit causa separationis, vel etiam alia graviora crimina ad hoc sufficiant, 392 *seqq.* — Tenendum videtur, cum agatur de poena gravissima, adulterium stricto sensu intelligendum esse, 394. — Cui doctrinae consonat Script. Sacra, Patrum auctoritas, necnon consuetudo fori ecclesiast. 394 *seqq.* et *n* 9. — Aliud crimen, ob quod separatio fieri potest, est apostasia a vera religione. 396. et *nn.* 13, 14. — Tertia separationis causa crimen est : si coniux a coniuge altero ad peccatum impellatur, 396 *seqq.* — Hanc Ecclesiae doctrinam novam non esse constat tum ex ipsa rei natura, qua huiusmodi separationes saepius fieri contingit, 398 *seqq.* — Antiquitas dissolutionis huius in Evangelio fundata, eruitur quoque ex doctrina Patrum, ex antiquorum conciliorum ac Roman. Pontificum statutis, necnon ex iure can. et historiae ecclesiast. documentis, 400 *seqq.* et *n.* 20. — Nec verum est, ut ait Chemnitius, hanc doctrinam opponi evangelicae et apostolicae doctr. ut ex contextu inspecto patet, 403 *seqq.* et *n.* 21. — Idem patet ex Patrum interpretationibus, 405 *seqq.* — Obiectiones a Chemnitio propositae solvuntur, 407 *seqq.* et *nn.* 26, 30. — Separationem a thoro et cohabitatione simul cum indissobilitate vinculi a pluribus impetitur, 412 *seqq.* et *nn.* 31 ad 33. — Verum si toties matrimonii vinculum esset solvendum, quoties adversarii statuunt, multo maiora et graviora exinde orirentur mala, 415 *seqq.* — Et licet incommoda non pauca ex imperfecta solutione proveniant, bona quoque non pauca exinde promanant, 417 *seq.* — Insuper malis exinde oriundis medendis christiana religio praestat medicinas. 418 *seqq.* — Aliis Erasmi rationibus satisfit, 421 *seqq.* et *nn.* 40, 42

Solvi posse per solemnem religionis professionem, matrim. ratum et non consummatum, est doctrina Ecclesiae. T. III, 425 *seq.* — Hanc impugnant novatores ac Ianseniani, 426 *seqq.* et *nn. ib.* — Definivit. Trident. matrim. verum sacram. praedicta de causa solvi posse, 429. — Eamque doctrinam viguisse ab antiquissima aetate variis constat factis et exemplis, 430 *seqq* — Necnon decretali Alexandri III, 433. Et decreto Innocentii III, 434. — Ex quibus constat apostolicam hanc viguisse traditionem ab initio in universa Eccl., 435. — Inde respondetur ad rationes oppositas. 435 *seqq.* et *n.* 28.

Solvi matrim. ratum non consumm. per prof. religionis solemnem, dicunt plures theologi cum S. Thoma, *iure naturae*, T. III, 437. — Et hoc quia iure nat. potest quis ad statum perfectiorem transire, quando id fit ut in casu, sine detrimento alterius, tum etiam quia matrim. sub hac implicita conditione contrahitur, 437 *seq.* — Impugnant tamen has rationes alii, si quidem aiunt, debere prius ostendi matrim. hoc in casu esse solubile, ac ostendi adhuc post foedus initum licere statum religionis profiteri, 439. — Eo vel magis

quod et alii perfectiones status possint eligi, nec probetur talem transitum non vergere in detrimentum alterius, 439 et *n.* 37. — Necnon quod gratis asseratur matrim. contrahi sub tali conditione, 440 *seq.* et *n.* 38. — Alii propterea dicunt, illud fieri iure ecclesiastico, tum quia nullo alio iure solutio haec obtineatur, tum quia non excedit potestatem Ecclesiae tum etiam quia talis est Eccl. modus agendi, 441 *seqq.* — Iterum alii theologi insurgunt aiendo, talem potestatem Ecclesiae asseri quidem, sed non probari; deinde Eccl. in hisce uti auctoritate sibi propria, nec se gerere ut interpretem iuris divini, 443 *seq.* — Tandem si Eccl. potestatis esset solvere matrim. ob talem professionem religionis, posset quoque Eccl. hanc solutionem eadem de causa tollere, 444 *seq.* — Alii itaque praefatam solutionem matrim. deducunt ex iure positivo divino, eo quod provenire nequeat ex iure naturali aut ecclesiastico, et tamen ex altera parte certo constat hoc institutum constanter viguisse in Eccl., 445 *seq.* — Existentem autem traditionem secuti sunt Romani Pontifices in suis decretis 446 *seq.* — Nec obstat solemnitatem professionis relig. esse serius ab Eccl. institutam; nam solemnitas tantum extrinseca est vitae religiosae, et licet post solemnitatem inductam solemnis professio exigitur, non sequitur eamdem iam antea necessariam fuisse, 447 *seqq.* et *nn.* 64, 65. — Responsa dantur difficultatibus factis contra canonem Trident. et desumptis ex Scripturis, 450 *seq.* et traditione, 453 et *nn.* 72 ad 90.

Solvi posse matrim. ratum non consum. *auctoritate Rom. Pont.* aliis de causis quam ob religionis profes. solemn. plures theologi, quorum argumenta referuntur, negant. T. III, 466, *seqq.* et *nn. ibid.* — Plures vero affirmant, et eum ex facto, quo constat Romanos pontifices dispensasse a vinculo matrim rati, 470 *seqq.* et *n.* 115. — Tum ex eo quod non pugnet cum Script. sacra, 472. — Tum ex eo quod Romano Pont. plena sit data potestas ad Ecclesiae bonum, ac ipse sit interpres Scripturae sacrae, 473 *seq.* et *n.* 118. — Argumenta vero adversariorum, desumpta ex non usu illius potestatis, nullius sunt ponderis, 475 *seq.* — Non maioris valoris est illud, quod ait Sylvius, Ecclesiam non habere potestatem in ea, quae divinae sunt institutionis, 476. — Nec dici valet, matrim. ratum idem quoad essentiam esse ac consummatum, differunt enim in perfectione vel integritate, 477. — Nec ratio Sacramenti, neque indissolubilitas obstat, 478 *seqq.* et *n.* 124. — Nec obstant, quae afferuntur ex Nicolao I, 481 *seq.* et *nn.* 128, 130. — Alexandro III, 483 *seqq.* et *n.* 132. — Innocentio III, 486 *seqq.* — Aut Hadriano VI et Innocentio VIII, 489 *seqq.* — et *nn.* 139 ad 140. — Ex quibus omnibus rite perpensis, concludere licet, Romano Pontifici competere auctoritatem solvendi matrim. ratum non consumm. aliis de causis, quam ob solemnem religionis professionem.

Sponsalia olim a sacerd. benediceb. T. I, 104, 110. — Spectant ad potest. Eccl. *Vide* Potestas Eccl.

Statuta Aurelianensia. T. II, 97.

Statuto Sardo. T. I, 291. *n.* 11.

T

Theologi cath. non debent exclusive vocum etymolog. sectari, sed logicam et traditionalem exegesim. T. I, 44.

Theologi cath. caveant, ne obtentu severioris criscos probationes omittant. T. I, 45.

Tribuna de New-York. T. III, *n.* 66.

Trigamia ac subsequentia coniugia sicuti bigamia ut legitima in Eccl. habita sunt, licet circa haec severior fuit disciplina quam circa bigamiam. T. III, 86. — Ac ratio, qua bigamia permittitur, eadem valet pro aliis nuptiis, 86 *seq.* — Confirmatur auctoritate Patrum, 87. — Reprehendunt tamen severe nubentes, ob horum in libidinum aestum. 88 *seq.* et *nn.* 79, 85. — Et iuxta statutam disciplinam loquuntur P. P. qui in eas invehuntur, 91 *seq.* et *nn.* 81 ad III.

U

Univers. T. I, 207. N° 20. — 208, N° 23. — 209, N° 27. — 217, N° 37. — 223, N° 42, — 271. N° 1.

V

Vagus. T. II, 266.

Valendenses seu *Pauperes Lugdun.* matrim. inter sacram. retinuerunt. T. I. 3, *n.* 4.

Viduae. T. II, 554.

AUCTORES,

QUORUM SENTENTIAE IN HOC OPERE LAUDANTUR AUT DISCUTIUNTUR.

A

Aguirre (De). T. III, 256, *n.* 70.
Aimoinus. T. II, 398.
Allatius. T. I, 111. — T. III, 85.
Albaspinaeus. T. II, 8. *n.* 3.
Albertus. M. T. I, 26.
Alcimus Avitus Vien. T. III, 338 et *n.* 249.
Alexander III. P. R. T. I, 101, *n.* 11. — T. III, 55, 82, 435. 483 *seqq.*
S. Alphonsus de Liguorio. T. I, 70, 126.
Amari (Michael). T. I, 295, *n.* 15.
Ambrosiaster. T. I, 139. — T. III, 82.
S. Ambrosius. T. I, 15. 16, 78, 80, 103, 140, 197. — T. II, 338 *seqq.* 379. — T. III, 52, 72, 80, 115, 179, 274 *seqq.* 430.
Ammianus Marcellinus. T. III, 59.
Amort. T. III, 216 *seqq.*
S. Antonius. T. III, 473, 478, *n.* 124.
Arnobius. T. I, 248.
Arcadius. T. II, 380. — T. III, 90, *n.* 83, 91. — 285 *n.* 131.
Assemanus Io Sim. T. I, 8, 10, 13, *n.* 38, 141, *n.* 21.
Asterius Amasenus. T. III, 294 *seq.*
S. Athanasius. T. I, 42.
Athenagoras. T. III, 50, 73, 230.
Augustinus, de matrim. et Sacram. T. I, 16, 17 et *seqq.* — Interpr. text. Paul. ad Ephes. V. 32. T. I, 36. — De sacerd. minist. I, 80. — I, 107, 139. 197, 351. — T. II, 140, 333, 339 *seq.* — T. III, 28, *n.* 77, 32, 38, 52, 72. 87. 131, 139, 180, 303 *seqq.* — 393, 402 *seqq.* — 419 *seqq.*
Avogadro delle Motte. T. I, 125, *n.* 47. — 378, *n.* 83.

B

Bar-Hebraeus. T. I, 10.
Baluzius. Capitul. reg. Francor. T. I, 53, *n.* 8. — T. III, 335, *n.* 442.
Basilius. De Sacerd. minist. T. I, 80 et *seqq.* — I. 108. — T. II, 18, 21 — T. III, 70, 88, 97, *nn.* 102, 185. — T. III, 263 *seqq.*
Baldericus. T. II, 391 et *n.* 119.
Baston. T. II, 371 *seq.* — 456 *seq.*
Bardesanus. T. III, 6, *n.* 11.
Basnagius. T. III, 60, *n.* 172.
Balsamon. T. III, 185.
Barruel. T. III, 110, *n.* 27, 112, *n.* 31.
Batz (Jos.) T. III, 118 *seqq.* et *n.* 123, 382 *seqq.*
Benedictus XIV. de ministro matrimon. christ. T. I, 46, 90, 98 *n.* 5. — I, 104, *n.* 15. — 121, *n.* 41. — 126 *seq.* — 137, *n.* 12. — 345. — T. II, 106, 116, 137, 142, 147, 150 et *n.* 3. — 159, *n.* 22. — 161, 165, 188, 192, 198, 200, 249 *n.* 120, 259, 266, 285, 303, *n.* 41.—316, 370, *n.* 79.—T. III, 373, 444, 471.
Bellarminus. T. I, 36, 70, 120, 178, *n.* 13. — T. III, 9, *n.* 15, 109, 118, 158, 403 et *n.* 20. — 460, *n.* 81.
Benassal Isaac. T. I, 10.
Beda (Ven). T. III, 323, 432.
Berg. T. I, 68. — I, 107.
Berardi Sebast. T. I, 89.
Bentham. T. III, 112, *n.* 32. — 117, *n.* 39.
Beveregius. T. III, 318, *n.* 198.
Berardi (Car. Seb.). T. III, 482, *n.* 130.
S. Bernardus. T. II, 115.
Binius. T. III, 364.
Binus (Severin). T. II, *n.* 28.
Billuart. T. I, 70. — I, 121, *n.* 41. — T. II, 101.
Bingham. T. I, 96, *n.* 3.
Bianchi (Ant.) T. II, 330, *n.* 9.
Biner. T. II, 421, *n.* 12.
Binterim. T. III, 333, *n.* 231 et alibi.
Blanihinius. T. I, 5, *n.* 10.
Blascus. Carol. T. I, 87.
Blastares. T. III. 367, n. 14 et *seq. n.* 17.
Blanc (Louis). T. III, 3, *n.* 1.
Bolaenus (Boileau). T. I, 43, *n.* 117.
Bollandiani. T. III, 431.
Bolgeni. T. II, 164.
Boehmerus (Lutheranus). T. II, 179. — T. III, 125, *n.* 63.
S. Bonaventura, prob. matrim. esse Sacram. T. I, 27. — Contrab. esse minist. matrim. 60. — T. II, 24, *n.* 33.

Bonifacius VIII, Rem. P. T. II, 315, *n.* 59.
Bossuet. T. III, 469, *n.* 101.
Bouvier. T. II, 228, *n.* 66.
Bruner. T. I, 68.
Braun. T. III, 381 *seqq.*
Buchanan. T. III, 17. *n.* 43.
Bucerus. T. III, 422.

C

Cabassutius. T. II, 110.
S. Caesarius episc. Arelat. T. II, 344. — T. III, 82.
Coelestinus (S. R. P.) T. I, 352.
S. Caesarius. I, 143.
Caelestinus III, Rom. P. T. II, 80.
Caesar T. III, 6, *n.* 11.
Caietanus. T. I, 40, 89. — T. III, 208, *n.* 112 *seqq.*
Calvinus fals. interpr. textum Paul. ad Ephes. V. 32. T. I, 56. 252. — T. II, 7, 407, *n.* 152. — T. III, 18 *seq.*
Calmet. T. I, 43, *n.* 118. 91, *n.* 1.
Callixtus P. R. T. I, 78. — I, 95 et *seqq.*
Cantu. T. III, 25, *n.* 73.
Caprara, Card. T. II, 147 *seq.* 163 *n.* 31.
Carillo. T. I, 323, *n.* 12.
Carolus Magnus. T. I, 55, *n.* 8. — T. II, 176, 350. — T. III, 181, *n.* 75 *seq.* 326 *seq.* 356.
Cariophyllus (Ioan.) T. I, 6, *n.* 11.
Carrière, I, 70. — T. II, 41 et *seq. n.* 39, 102, 146, 366, *n.* 75. 368 *seqq.* — 440 *seqq.* — 455 *seqq.* et *n.* 6. — T. III, 43, *n.* 127.
Carolus Calvus. T. II, 176. — T. III, 238, *n.* 40. — 312, *n.* 186.
Carillo Phil.) T. I, 279, *n.* 5.
Caramuel. T. II, 135.
Cassander. Theol. prot. T. I, 20.
Canus Melchior falso affirm. P. Lombardum denegasse gratiam conferri per matrimonium. T. I, 26, *n.* 81. — 34 *n.* 96. — Auctor doctrinae de sacerd. ministro matrim. 47. — Eius argument. 77 et *seqq.* — Eius sentent. coroll. expend. 71 et *seqq.* — Argum. diluunt. I, 90 et *seqq.* passim.
Cassidorus. T. II, 378.
Cassianus. T. III, 457, *n.* 77.
Catharini. T. III, 209, *n.* 113 *seqq.*
Cellensis (Petrus). T. II, 86.
Cicero. T. II, 140, *n.* 118.
Considérant (Victor). T. III, 4, *n.* 2.
Clemens XII. Rom. P. T. II, 156.

Clemens XIII. T. II, 157, 317 *seq.* — 321 *seq.*
Clemens IV, Rom. P. — T. II, 117 et 118, *n.* 84.
Clemens P. R. T. I, 78. — I, 102. — T. II, 108.
Clemens VIII, Rom. P. T. I, 145. — T. III, 373 *seq.*
Clemens IX, Rom. P. T. II, 316 *seq.* et *n.* 61. — T. III, 31.
Clemens XI, Rom. P. T. II, 102.
Clemens Alex. T. I, 18, — I, 79. — I, 106. — T. III, 50, 69, 88, 184, 240,
Chardon. T. II, 87, *n.* 21.
Chlotarius II, T. II, 350.
Chrysostomus interpret. text. Paul. ad Ephes. V, 32. — T. I, 56. I. 41. 196. — T. III, 31, 37, 185, 284 *seqq.*
Chromatius Aquileiensis, T. III, 297 *seqq.*
Chemnitius. *Vide* Kemnitius.
Collet. T. I, 121, *n.* 41. — T. II, 362, *n.* 67. — T. III, 43. *n.* 127, 480 *seq.* — 490 et *n.* 140.
Collationes Andegav. T. I, 70. — T. II, 102, *n.* 53.
Constantius. T. I, 96, *n.* 1 et 3.
Constantinus (Imp.) T. III, 345, *n.* 195, 367.
Cotelerius. T. III, 92, *n.* 87, 325, *n.* 309.
Croix (De la). T. III, 369, *n.* 18.
Cuiaccius (Iac.) T. I, 24.
Cyrillus Alex. T. I, 80. — I, 108, 158.
S. Cyprianus: T. II, 410, *n.* 158. — T. III, 250 *seq.*

D

Debreyne. T. III, 5, *n.* 9.
Dens. T. II, 150, *n.* 5.
Dio Cassius. T. I, 248, *n.* 10. — T. III, 185.
Dobmayer. T. I, 67. — I, 77. — I, 94.
Dolliner. T. I, 68.
Dominis (Marc. Ant. de). T. I, 116. — T, II, 337 *seqq.*
Dositheus, Patriarch. T. I, 6, *n.* 11.
Drouinius. T. I, 186. — T. II, 101, 470.
Duhamel. T. I, 67.
Duns, Io. Scotus, asser. matrim. esse sacram. T. I, 28.
Dupleix, (Scipion). T. II, 453, *n.* 61.
Dupin. T. III, 298, *n.* 158.
Durandus. T. I, 20, *n.* 65. — I, 30 et *seqq.* — T. III, 41, *n.* 119, 83.
Durandus Guil. T. I, 143. — T. II, 74, *n.* 100.
Duveyrier. T. III, 16, *n.* 42.

E

Ebediesu Sobensis. T. I, 8.
Ebediesu Mosulanus. T. I, 9, *n.* 25.
Ecgbertus archiep. Eborac. T. III, 457.
Eichorn. T. I, 210.
Enfantin. T. III, 3, *n.* 1.
S. Epiphan. T. I, 138. — T. III, 100, 278 *seqq.*
Erasmus reprehenditur. T. I, 20.— Fals. interpr, textum Paul. ad Ephes. V. 32. — I, 36. — T. III, 208 *seqq.* — 213, *n.* 122. — 215, *n.* 126. — 276, *n.* 116. — 412 *seqq.*
Estius. T. I, 40, 67, 92. — T. III, 122, *n.* 57, 397.
Eugenius IV, Rom. P. T. I, 146. — T. III, 94, 140, 372.
Euripides. T. III, 119, *n.* 46.
Eusebius. T. III, 12, *n.* 23.
Evaristus, P. R. T. I, 78, 81. — I, 97.

F

Fabricius, Bibl. Graec. T. I, 6, *n.* 12. — T. III, 63 *seq.*
Fagnani. T. II, 269, 436, *n.* 40.
Ferreti, adnotator. T. II, 151, *n.* 6. — 168 et *n.* 43.
Feye (Item Io.) T. II, 205, *n.* 42.
Flavius (Ios.) T. II, 173. — T. III, 42, *n.* 126, 190 et *n.* 90.
Fleury. T. I, 382, *n.* 87.
Fouchet (Claudius). T. I, 344, *n.* 33.
Fredericus II, Bor. rex. T. I, 207.
S. Fulgentius. T. III, 99.

G

Galanus. T. I, 11, *n.* 35. — *Ibid. n.* 37.
Garnerius. T. III, 264, n. 93.
Gasparin (De) T. III, 439, *n.* 37.
Gelasius. P. R. T. I, 4.
Gelasius Rom. P. T. II, 353.
Gerbaesius. T. II, 40, *n.* 34, 359 et *n,* 62.
Georgius Arbelensis. T. I, 9.
Gersonius. T. II, 65 *seq.*
Gerhardus (Io.) T. III, 259, *n.* 41; 250, *n.* 53; 282 et *n.* 127; 335, *n.* 241.
Gibertus. T. I, 67.
Goarius. T. I, 6, *n.* 14; 7, *n.* 17; 8, *n.* 20; 19, *n.* 63; 96, *n.* 3 et 111.

Gotti. T. II, 198.
Gratianus. T. I, 78, *n.* 81, 95, 97, 98 et *seqq.*
S. Gregorius Magnus, P. R. — T. I, 5, 117, *n.* 33; 197, 331. — T. II, 84. 353, *n.* 53. — T. III. 397, 431, 456, 464.
S. Gregorius Nanz. de matrim. ut sacram. T. I, 15. matrim. rei sacrae signum, ex textu Paul. ad Ephes. — T. I, 36. — De Sacerd. minist. matrim. T. I, 80, 107. — T. III, 71, 88, 271 *seqq.*
S. Gregorius Turonensis. T. II, 349. — T. III, 432.
S. Gregorius II, Rom. P. — T. II, 85. — T. III, 61, 332 *seqq.*
Gregorius III, Rom. P. T. II, 85.
Gregorius XIII, Rom. P. T. II, 300.
Gregorius XVI, Rom. P. T. II, 199, 224, 236, *n.* 134.
Gregorius Dettiensis. T. I, 141, *n.* 21.
Gropperus. T. I, 64.
Grotius. T. I, 7, 20, *n.* 65.
Guilielmus Parisiens. T. I, 36, et *seqq.*

H

Habert Ludov. T. I, 185. — T. II, 100, 435 et *n.* 31.
Hagel. T. I, 68.
Hahn Hahn (Ida). T. III, 426, *n.* 2.
Hardhuin. T. I, 102, *n.* 11; 115, *n* 31.
Hegel. T. II, 30, *n.* 46.
Héricourt. T. II, 83, *n.* 11; 91, *n.* 28; 178, *n.* 19; 328, *n.* 3; 432, *n.* 60.
Hermannus Coloniensis. T. I, 47.
Hermas. T. III, 50, 69, 178, 221 *seq.*
Heeren. T. III, 110, *n.* 26.
Herodotus. T. III, 6. *n.* 11, 22.
Herzog. T. I, 3, *n.* 4.
Heuser. T. II, 373, *n.* 81; 436, *n.* 39.
Hieremias. T. I, 6, *n.* 11.
S. Hieronymus. T. I, 41, 139. — T. II, 50, *n.* 48, 292, *n.* 25. — T. III, 31, 52, 84, 95 *seqq.* — 179, 224, *n.* 18; 299 *seqq.* — 393 *seqq.*
Hilaricus, diac. T. I, 15, 36, 41.
S. Hilarius Pictav. T. III, 179, 296 *seq.*
Hildebertus. T. II, 96, *n.* 36.
Horatius. T. I, 296, *n.* 16.
Hormisdas, P. R. T. I, 78, 99.
Hosius, card. T. I, 116, *n.* 52.
Hondorfius. T. III, 63 et *n.* 181.
Hug. T. III, 149 *seqq.*
Hugo a S. Victore. T. I, 24. — Prob. matrim. esse sacram. 134.

I

Iacobus. I. P. T. III, 217, *n.* 133.
Iafferson. T. III, 7, *n.* 12.
Iâger. T. III, 149 *seqq.*
Ieremias patriarcha Constant. T. III, 362 *seq.*
Ignatius Martyr. T. I, 18, 138. — T. II, 8.
Innocentius I, P. R. T. I, 5, *n.* 10, 16, 79, 106. — T. II, 54, 55, 80. — T. III, 54, 309 *seqq.*
Innocentius XI, Rom. P. T. II, 135.
Innocentius III, Rom. P. T. I, 148. — T. II, 299 *seq.* — 304, *n.* 46; 353 *seq.* — 354. — T. III, 54, 85, 181, 392, *n.* 4; 434, 486 *seqq.*
Iuvenin. T. I, 57. — T. II, 100.
Iosephus Abudaenus. T. I, 10.
Ioannes Diaconus. T. I, 5.
Ioannes Phesalens. T. I, 97, *n.* 4.
Ioannes XXII, Rom. P. T. II, 409 *n.* 154.
Ioannes VIII. Rom. P. III, 328.
S. Iraeneus. T. I, 42. — T. III, 74.
Isidorus Hispalens. T. I, 15, 78, 99, 351. T. III, 393.
Iustinianus Imper. T. II, 348 *seq.* — 352, *n.* 49.
S. Iustinus, M. T. III, 42, *n.* 126; 51, 75, 153, 226 *seqq.*
Iuvenalis. T. III, 112, *n.* 30.
Iuvencus. T. III, 178 *seq.*
Ivo. T. I, 97, *n.* 4. — T. II, 392, et *n.* 122; 395, *n.* 131; 400.

K

Kemnitius, theol. protest. T. I, 11, *n.* 35. — T. III, 403 et *seqq.*
Klee Henric. T. I, 70.
Klein (Sam.) T. III, 373, *n.* 30; 408, *n.* 26.
Koppe, theol. protest. interpret. text. Pauli ad Eph. V. 32. T. I. 37, *n.* 99.
Kuinoël. T. I, *n.* 78. — T. III, 152 *seqq.*
Küstner. T. I, 21, *n.* 68.

L

Labbeus. T. I, 102, *n.* 12.
Lacerda. T. III, 33, *n.* 96.
Lactantius. T. III, 251 *seqq.*
Lagedaemon. T. I, 121, *n.* 44.
Lapide (A.) Corn. T. I, 91, *n.* 1. — T. II, 172, *n.* 4.

Lancellotti (Card.) T. III, 492.
Lassaulx. T. I, 21, *nn.* 68; 67.
Launoius. T. I, 166. — T. II, 32, *n.* 5, 44; 385, *n.* 111; 412, *n.* 162; 445, *n.* 55; 446, *n.* 55. — T. III, 228, 287, *n.* 136; 312, *n.* 186; 345, *n.* 197; 381 *seqq.*
Laurea. T. II, 304, *n.* 46.
Leo VI, cogn. sapiens. T. II, 349.
S. Leo I, Rom. P. T. II, 364.
Leo Magnus, P. R. T. I, 5, 17, 351. — T. II, 80, 331.
Leurenius. T. II, 141.
Leyser Aug. T. I, 195, *n.* 1.
Lhullierus. T. I, 386, *n.* 95.
L'herminier. T. I, 67.
Lieberman. T. I, 70 et *seqq.*
Litta. T. II, 112 *seqq.* — 374 *seqq.*
Lombardus Petrus, scholasticorum magister. T. I, 22, *n.* 69. - Probat matrim. esse sacram. 25.
Lupus Christ. T. I, 105, *n.* 19. — T. II, 183, *n.* 31. — T. III, 351, *n.* 224.
Lutherus fals. interpr. text. Paul. ad Ephes. V, 32. T. I, 56. — T. II, 89 *seqq.* et *n.* 81.
Lucius III, de matrim. sacram. T. I, 3; I, 29, *n.* 88.

M

Maistre (De) T. III, 18, *n.* 44.
Malaterra. T. II, 394 *seq.*
Maldonatus. T. III, 427 *seqq.* — 458 *seq.*
Maran. T. III, 227, *n.* 24.
Marbesius. T. I, 70.
Marca (De). T. II, 351 *seq.*
Mariana (Ioan). T. II, 385 *seqq.*
Marrei. T. II, 25, *n.* 34.
Martenius. T. I, 4, *n.* 7, 96, *n.* 3; 100, 111.
Martin. T. II, 435, *n.* 38.
Martinus V. P. R. T. I, 102, 111.
Maschat. T. II, 139, 141, 268.
Mediavilla, de matrim. sacram. T. I, 30.
Melanchton. T. I, 289, *n.* 10.
Menardus. T. I, 4, *n.* 7. — I, 7, *n.* 18.
Mendoza. T. II, 345.
Mersennius. T. III, 3, 36, *n.* 104.
Metternich. T. I, 333, *n.* 26.
Meursius. T. I, 248, *n.* 13.
S. Meygoldus. T. III, 84.

Michaël Palaeologus. T. I, 2. — T. III, 362.
Michaël Magnus, patriarch. Iacobit. T. I, 10, *n.* 28.
Michaelis. T. III, 128, *n.* 80.
Minucius Felix. T. III, 51, 76.
Moëhler. T. I, 285.
Montalembert. T. III, 64, *n.* 184.
Montfaucon. T. III, 185, *n.* 82.
Montaltus (Card.) T. III, 386.
Moser. T. II, 29.
Mosquera. T. I, 271, *n.* 1.
Muller. T. I, 68.
Muratori. T. I, 5, *n.* 10; 7, *n.* 18. — T. III, 223, *n.* 9.

N

Natalis Alex. T. I, 185. — T. II, 45, 70, *n.* 99; 99, 132, *n.* 102; 347, 351 et *seq.* — T. III, 250, *n.* 52; 265. *n.* 96 et 266.
Nestius pistor. T. II, 77, *n.* 103; 376. *n.* 84 *seqq.*
Nicephorus, patriarcha Constantin. T. III, 83.
Nicolas (Aug.) T. I, 232, *n.* 49; 235, *n.* 50.
Nicolaus I, P. R. T. I, 78, 97, 197. — T. II, 180 et *n.* 24; 184, 186, 361, 382, *n.* 105. — T. III, 31, 53, 66, 481.
Nicolaus Portuens. T. I, 97, *n.* 4.
Nuytz (Joan. Nep.) T. I, 175. — T. II, 70, 169, *n.* 1; 374 et *nn.* 82, 85 *seqq.* — 399, *n.* 143 *seqq.* — 406 *seqq.*

O

Oberthar. T. I, 21, *n.* 66 et 67.
Odericus Vitalis. T. II, 393 *seqq.* et *n.* 126; 397 *seq.*
Origenes. T. I, 42. — T. II, 51. — T. III, 70, 77. 155 *seqq.* et *n.* 19. — 246 *seqq.*
Ouhamus (Guil.) T. I, 347, *n.* 38.
Otto. T. III, 75, *n.* 35.
Ozanam, T. II, 356, *n.* 58.

P

Pallaviccinus. T. I, 66, 149 *seq.* — 511 *n.* 22; 590, *n.* 98. — T. II, 111, *n.* 67; 196, *n.* 19; 206, *n.* 43. — T. III, 377 *seqq.*
S. Patricius. T. III, 326, 329 *seq.*
Paulus V, Rom. P. T. I, 145.
Paulus III, Rom. P. T. II, 302, *n.* 39.

Paulus (Juriscons.) T. II, 185.
Paulusius Heidelberg. T. III, 151.
Petavius. T. I, 19. *n.* 62. — T. III, 282, *n.* 129.
Petra (Card.) T. II, *n.* 58.
Petrus Pictaviensis, prob. matrim. esse Sacram. T. I, 25. — Contrahentes esse minist. matrim. T. I, 59.
Petrus Paludanus aff. matr. esse sacram. et gratiam confer. Docet contrah. esse minist. matrim. T. I, 55, 31 et *seqq.* de ministro matrim. 47.
Petzek. T. I, 67. — T. II, 35, *n.* 12.
Philastrius Brix. T. III, 178.
Picardus. T. III, 13.
Piconio (A.) Bernard. T. I, 91, *n.* 1; 129.
Piette. T. I, 67.
Pirhing. T. II, 261.
Pius VI, Rom. P. T, I, 124, *n.* 46; 156, *n.* 51; 375. *n.* 79. — T. II, 67 *seqq.* — 103 *seq.* — 170, 210, 372, *n.* 81; 408, 410.
Pius IX, Rom. P. T. I, 157 *seq.* et *n.* 53, 180. 195. 361 *n.* 60 et *n.* 61; 412. — T. II, 38, *n.* 22; 529, *n.* 8; 409.
S. Pius V. — T. II, 298.
Pius VII, Rom, P. T. I, 407, n. 119. — T. II, 105, 189, 237.
Pius VIII, Rom. P. T. II, *n.* 1, 53.
Pius IV, Rom. P. T. II, 106.
Pitra. T. III, 375, *n.* 31.
Plautus T. III, 120, 50.
Plato. T. I, 317, *n.* 4.
Pontius. T. I, 121, *n.* 41. — T. II, 141.
Pothier. T. I, 70.
Pott. T. III, 49, *n.* 134.
Portalis (Senior). T. I, 332, *n.* 19.
Pontas. T. I, 70.
Poype de Vitrieu (Claud.) T. II, 100.
Proudhon. T. I, 265, *n.* 34; 267, *n.* 36.
Ptolomaeus. T. III, 150 et *n.* 5; 156 *seq.*
Pullus Rob. T. I, 60.
Puffendorfius. T. III, 6, *n.* 11; 106 *seq.* — 117, *n.* 38.

R

Raynaudus. T. I, 70.
Raynaldus. T. II, 409, *n.* 154.
Renaudotius. T. I, 6, *n.* 11; 11, 15, *n.* 38; 142, *n.* 23.
Richter. T. III, 349. *n.* 275.
Richardus, episc. Sarum. I, 112.
Rigaltius. T. II, 17, *n.* 12, — T. III. 232, *n.* 36.

Rigantius. T. II, 141, 145, *n.* 140.
Rodulphus a Diceto. — T. II, 87.
Romagnosi. T. III, 110, *n.* 25.
Rosenmuller. Theolog. protest. interpret. text. Pauli ad Ephes. V. 32. T. I. 37, *n.* 99, 91, *n.* 1; 253, *n.* 24; 372, *n.* 78.
Roskovany. T. I, 67, 69 et alibi passim.

S

Salmeronius. T. I, 39, *n.* 104.
Sallustius. T. I, 325, *n.* 15.
Salvador. T. I, 217, *n.* 38; 254, *n.* 24.
Sanchez. T. II, 23, *n.* 32; 40, 162, 358, 415, *n.* 2. — T. III, 118.
Sardagna. T. I, 70.
Sarpi (Paul). T. I, 152 *seq.*
Sauter. T. I, 68.
Sauzet. T. I, 240, *n.* 54; 293; *n.* 13; 359, *n.* 58.
Schmalzgrueber. T. II, 140, 141, 150, *n.* 5; 261.
Schroedl. T. III, 348, *n.* 271 et *seq.*
Seldenus. T. I, 384, *n.* 91.
Seneca. T. III, 111.
Simonettus. T. I, 70.
Siricus, P. R. T. I, 15, 46, *n.* 121; 96. 110. — T. II, 52, 182, 364.
Sirmondus. T. III, 338, *n.* 249.
Smith. T. III, 44, *n.* 129; 55, *n.* 157.
Smith (Thom.) T. III, 363, *n.* 6; 366, *n.* 10.
Socrates. T. III, 59.
Sollerius. T. I, 10.
Soterius, P. R. T. I, 14.
Soto Dominic. T. I, 20, *n.* 65; 30, *n.* 93; 69, 105, *n.* 16.
Soto (Petrus). T. II, 66, *n.* 92; 359 *seq.*
Standlin. T. II, 36, *n.* 17.
Stattler. T. I, 110, 125.
Stephanus II, Rom. P. T. III, 352 *seqq.*
Suarez. T. II, 188. — T. III, 442 *seq.* — 455, *n.* 73,
Sugerus. T. II, 397 *seq.*
Suidas. T. III, 184.
Sulaka, Patriarch. Syr. T. I, 8.
Symmachus. (Rom. P.) T. II, 55.
Synesius. T. I, 19, 78, 80, 107.
Sylvius. T. I, 67, 185. — T. III, 476, 479.

T

Tacitus. T. I, 248, *n.* 10. — T. III, 25.
Tanchelinus. T. III, 13.
Taparelli. T. I, 380, *n.* 85. — T. II, 127, *n.* 93 1, 28 *n.* 95.
Tertullianus. De matrim. ut sacram. T. I, 14, 16, 17. — De sacerd. ministr. T. I, 79 et *seqq.* — 105, 152, 140. — T. II, 17 et *n.* 12; 50, 51, *n.* 55; 410, *n.* 157. — T. III, 30, 69, *n.* 8, 111, 154 *seqq.* — 178, 231 *seqq.*
Theodoretus. T. I, 41. — T. III, 32, 71, 289 *seqq.* — 406.
Theodorus Studita. T. I, 82, 108, 109, *n.* 22. — T. III, 71.
Theodorus, Cantuar. archiep. T. III, 79, *n.* 41; 81 *seq.* — 342 *seqq.* et *nn.* *ibid.* — 335, *n.* 283 et *seq.*
Theodosianus codex. T. II, 377, *n.* 92; 380 et *n.* 97. — T. III, 81.
Theologia Petrocor. T. I, 70. — Gratianopolit. *ibid.*
Theologi Wirtemburg. T. I, 70.
Theophilus, Alex. T. I, 19.
Theophilus Antioch. T. III, 50, 76 *seq.* — 155.
D. Thomae Aq. sentent. de contrah. minist. matrim. T. I, 57 et *seqq.* — 134 *seq.* — 189 *seq.* — 332. — T. II, 114, 119 et 121 *seq.* — 126, 127 *seqq.* — 279 304, *n.* 46; 325, 332, 364 *seq.* — 367 *seq.* — 438. — T. III, 27, 131, *n.* 91; 158, 438.
Thomas Wald. T. I, 135 *seq.*
Thomasinus. T. II, 93, *n.* 31; 99.
Thomasius, J. M. T. I, 4, *n.* 7. — T. III, 4, *n.* 4; 6, *n.* 11.
Tillemont. T. III, 298.
Timotheus II. Patriarch. T. I, 9.
Timotheus Alexand. T. I, 79, 107.
Tirinus. T. I, 43, *n.* 118; 91, *n.* 1.
Tostatus. T. III, 41.
Tournelius. T. I, 67, 121, *n.* 41. — T. II, 100, 364 *seq.*
Tripier. T. I, 359, *n.* 57.
Tropper. T. II, 229.

U

Ulpianus. T. II, 185.
Urbanus III, Rom. P. T. II, 354.
Urbanus VIII, Rom. P. T. II, 265.

V

Valerius Max. T. III, 111, *n.* 28.
Vartanus, Armen. episc. T. I, 11.
Van Espen. T. I, 70, 177 *seq.* — T. II, 68, *n.* 95; 255 *seq.*
Vaseille. T. I, 336, *n.* 27.
Vasquezius reprehend. T. I, 38, *n.* 105; 42, *n.* 121: 70, 121, *n.* 41.
Venericus. T. II, 392 et *n.* 120.
Vernier. T. I, 70.
Verricelli. T. II, 131, *n.* 100.
Vezzosi Franc. T. I, 4, *n.* 7.
Virgilius. T. I, 249, *n.* 14. — T. III, 85, *n.* 71.
Viventiolus, Episc. Lugdun. T. II, 344.

W

Walter Ferd. T. I, 70. — T. II, 206, *n.* 42. — T. III, 571, *n.* 21.
Walter I. T. III, 490, *n.* 140.
Weitling. T. I, 266, *n.* 34.
Wiesse. T. I, 11, *n.* 68.
Wilkins. T. III, 330, *n.* 220.

Z

Zacharia. T. II, 143.
Zacharias. Rom. Pont. T. III, 334 *seqq.*
Zeno, Veron. T. III, 178.

INDEX

LOCORUM SCRIPTURAE SACRAE.

Genes. cap. I, 27. — T. I, 345, *n.* 55.
» » II, 21 *seqq.* — T. I, 345, *n.* 55.
» » II, 24. — T. III, 451 *seq.*
» » II, 23, 24. — T. III, 30, 121.
» » XV, 4. — T. III, 40.
» » XVI, 2. — T. III, 39.
» » XXI, 12. — T. III, 39.
Levitic. cap. XVIII. — T. II, 139, *n.* 114.
» » XX. 10. — T. III, 128, *n.* 78.
» » XXV. 6. — T. II, 420, *n.* 10.
Deuteron. cap. V, 14. — T. II, 420, *n.* 10.
» » XII, 18. — T. II, 420, *n.* 10.
» » XVII, 17. — T. III, 22.
» « XXI, 15, 17. — T. III, 22, 27.
» » XXII, 22. — T. III, 128, *n.* 78, 190, *n.* 89.
» » XXIV, 1, 4. — T. III, 125,
IV. Regum. Cap. XVII, 20, 21. — T. I, 284.
Judith. Cap. XVI, 20, 21. — T. I, 346, *n.* 57.
Psalm. XXXIV, 32. — T. I, 325.
» LXXXI, 7, — T. I, 281.
Prov. XXII, 6. — T. I, 310.
Eccles. I, 15. — T. I, 310.
Sap. II, 1-12. — T. I, 325.
Eccles. XXV, 11. — T. III, 424.
» XXVI, 1 et 3. — T. III, 424 *seq.*
Jerem. III, 1. — T. III, 130.
Amos. VII, 17. — T. III, 175.
Malach. II, 16. — T. III, 130.

I Machab. I, 12-15 et 19. — T. I, 327.
Matth. V, 31-32. — T. III, 148 *seqq.* — 172, 174, 177, 188 *seqq.* — 451 *seq.*
» XVIII, 9. — T. III, 396.
» XIX, 3. — T. III, 47, 124 *seq.* — 148 *seqq.* — 172, 175, 194 *seqq.*
» XIX, 4. — T. I, 168.
» XIX, 5, 6. — T. III, 30, 452.
» » 8. — T. III. 130.
» » 9. — T. III, 177.
» » 29. — T. III, 391.
» XXII, 21. — T. II, 416.
Marc. X, 11. — T. III, 47.
» X, 11 et 12. — T. III, 191, 199 *seqq.*
Luc. XIV, 26. — T. III, 396.
» XVI, 13. — T. III, 47.
» XVI, 18. — T. III. 205 *seqq.*
Rom. VII. 1-4. — T. III, 208 *seqq.*
» VII, 3. — T. III, 47 *seq.* — 86.
» XIII, 1-7. — T. II, 420, *n.* 10.
I Corinth. I, 17. — T. I, 92.
» IV, 1 et 2. — T. I, 77, 91 *seqq.*
» V, 1. — T. III, 175.
» V, 4. — T. III, 451 *seq.*
» VII, 9. — T. III, 79.
» VII, 10 et 11. — T. III, 48, 155, 215.
» VII, 12 et 15. — T. II, 295 *seq.* — 302 et *n.* 38.
» VII, 27. — T. III, 451 *seq.*
» VII, 39. — T. III, 69, 86, 213, 410.
» VII, 40. — T. III, 69.
II Cor VI, 14. — T. II, 49.
Ephes. V, 22. — T. I, 55.
» V, 30. — T. I, 168.
» V, 32. — T. III, 158.
I Tim. V, 14. — T. III, 69.
Tit. III, 10. — T. III, 396.

NIHIL OBSTAT

IOS. KLEUTGEN S. I. THEOL. DEPUT.

IMPRIMATUR

FR. DOMINICUS BUTTAONI O. P. S. P. A. MAGISTER.

IMPRIMATUR

FR. A. LIGI BUSSI ARCHIEP. ICONIEN. VICESGERENS.

IMPRIMATUR

Leodii, 3. Ianuarii 1860.

† THEODORUS, EPISCOP. LEODIENSIS.

236.7
P.429

211

PERRONE

AUTHOR

De Matrimono Xtiono

TITLE

Vol III

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

211